
NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08162859 0



Ex Libris

Petri Jacobi Teding van Berkhout

J.U.D.

1758

ANNALES

ACADEMICI.

MDCCCXL—MDCCCXLIX.

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU. | PROSTAT APUD E. J. BRILL.

1851.


63168





Annales Academici, qui ab anno 1815, *ex decretis Regiis d.* 2 *Aug.* 1815 *et* 13 *Octob.* 1836, *publicis sumtibus in lucem prodierant, anno* 1840 *typis describi desierunt ex decreto Regio d.* 15 *Febr.* 1843.

Nunc denuo eduntur Ampl. Curatorum curá, Academiarum et Athenaeorum sumtibus, ita ut ea quoque, quae per octo annos intermedios publice in Academiis et Athenaeis gesta sunt, typis excudantur, omissis tantum orationibus, quarum, quae privatim ab autoribus VV. Cll. editae sunt, exempla in Bibliothecis Academicis adservabuntur.

Quae igitur hoc annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA.

ACADEMIA GRONINGANA.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A. D. IX FEBR. MDCCCXL AD VIII FEBR. MDCCCXLI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

JOANNES RUDOLPHUS THORBECKE,

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

HENRICUS GUILIELMUS TYDEMAN.

IN FACULTATE JURIDICA.

J. R. THORBECKE.
H. G. TYDEMAN.
C. J. VAN ASSEN.
H. COCK.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

J. CLARISSE.
W. A. VAN HENGEL.
N. C. KIST.
J. F. VAN OORDT.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

C. G. C. REINWARDT.
J. DE GELDER.
P. J. UYLENBROEK.
J. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
G. J. VERDAM.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

J. H. VAN DER PALM, quantum aetas et valetudo sinebant.
M. SIEGENBEEK.
J. BAKE.
J. NIEUWENHUIS.
P. HOFMAN PEERLKAMP.
G. L. MAHNE.
J. M. SCHRANT.
H. E. WEYERS.
A. RUTGERS.

IN FACULTATE MEDICA.

G. SANDIFORT.
M. J. MACQUELYN.
J. C. BROERS.
C. PRUYS VAN DER HOEVEN.

LECTORES.

P. O. VAN DER CHYS, titulo Prof. extraord.
F. KAISER, Astron. Lector.
G. G. BRILL, Lector German. Litt..

ACTA ET GESTA IN SENATU.

A. 1840.

Die 9 Maji. Lecta est epistola Curatorum, nuncians, decreto Regio d. 11 Martii h. a. professionem docendae *Oeconomiae ruralis*, morte Cl. WTTEWAAL vacantem, tributam fuisse Clar. VAN DER BOON MESCH et popularem praeterea ejus artis institutionem fore curandam.

Die 10 Septembris. Luget Senatus obitum Viri Celeberrimi JOANNIS HENRICI VAN DER PALM, Professoris Emeriti.

Lecta est epistola Curatorum de Doct. FRIDERICO KAISER, Astronomiae Lectore, ex decreto Regio d. 15 Aug., creato Professore extraordinario in Classe doctrinarum Mathematicarum et Physicarum, jure suffragii et beneficiorum ordinarii Professoris.

Rector ad Senatum retulit de Rege, Principe Auriaco et hujus Filio Principe haereditario, occasione nati Pronepotis regii, salutandis.

Die 16 Octobris. Rector retulit Regem Principesque occasione nati Pronepotis regii a legatis ex Senatu Academico esse salutatos.

Quum August. Rex GUILIELMUS I interea temporis abdicaverit et solium cesserit Principi tunc Auriaco jam Aug. Regi GUILIELMO II, solennis decreta est legatio, quae novo Regi Senatus nomine gratularetur.

Die 17 Octobris. Cl. F. KAISER munus auspicatus est habita oratione *de novissimis Astronomiae incrementis.*

Die 7 Novembris. Rector ad Senatum retulit se cum Cl. Senioribus legatione ad gratulandum novo Regi esse perfunctum.

Die 23 Decembris. Senatus designavit Candidatos quatuor, quorum nomina ad Regem deferantur, ut inde Rectorem Magnificum in proximum annum legat, viros Cl.

J. F. VAN OORDT.
J. VAN DER HOEVEN.
G. L. MAHNE.
G. SANDIFORT.

Senatus actuarium creari jussit ex quatuorviris

G. SANDIFORT.
J. F. VAN OORDT.
J. VAN DER HOEVEN.
G. L. MAHNE.

A. 1841.

Die 30 Januarii. Lectae sunt literae Curatorum, Senatum certiorem facientes, decreto Ministri, interioris Regni administrationis, d. 21 Decembris 1840, C. E. BROUN, Berolinensem, absque stipendio publico nominatum esse *Lectorem Germanicarum Literarum*, in locum Lectoris G. G. BRILL, qui aliorsum migraverat.

Die 5 Februarii. Lecta est epistola Curatorum cum decreto Regio de lecto Rectore Magnifico Cl. J. F. VAN OORDT.

Rectori futuro decernuntur a Senatu Assessores Cl.

J. van der Hoeven.
A. Rutgers.
C. Pruys van der Hoeven.
C. J. van Assen.

Die 8 Februarii. Rector retulit in conventu Curatorum, Rectoris et Assessorum, Cl. G. Sandifort creatum esse Academiae Actuarium in annum sequentem. Rector cum Senatu caeterisque Professoribus in auditorium descendit et orationem recitavit *de* Simonis Slingelandi *consilio rempublicam emendandi.* (Ed. L. B. 1841.)

Deinde Actuarius legit decretum Regium de novo Rectore et nomina actuarii et assessorum edidit.

Tum programma recitavit certaminis literarii pro hujus Academiae vice in annum sequentem indicti.

Denique Senatus caeterique Professores novum Rectorem in senaculum deduxerunt et salutarunt.

SERIES LECTIONUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

HABENDARUM A DIE VII SEPTEMBRIS MDCCCXL

RECTORE MAGNIFICO

JOANNE RUDOLPHO THORBECKE.

FACULTAS JURIDICA.

J. R. Thorbecke explicabit Historiam Juris Romani, diebus Martis, Jovis et Veneris	horâ IX.
Historiam Europae diplomaticam a regno Ludovici XIV usque ad Congressum Viennensem, diebus Martis, Mercurii et Jovis	I.
Historiam Politicam et Juris Civilis Patriae nostrae, inde a Carolo V, diebus Lunae, Martis et Mercurii	XII.
Historicam tradet Legis Fundamentalis, cum aliis nostri aevi Legibus Fundamentalibus comparatae, interpretationem, diebus Lunae, Martis et Mercurii	XI.
H. G. Tydeman Encyclopaediam Juris tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii	XII.
Jus Mercatorium Belgicum, ex novo Codice, edit. Lipmanni, tradet diebus Martis, Mercurii et Jovis	I.
Oeconomiae Politicae principia, ad patriam nostram adplicata docebit, die Lunae	I et II.
et die Veneris	I.
Statisticam Patriae describet, die Jovis	XII.
et die Veneris	XI et XII.
C. J. van Assen interpretabitur libros Digestorum, diebus Martis, Jovis et Saturni	VIII.
Institutiones Juris Civilis Romani, diebus Lunae et Mercurii	IX—XI.

Gaji Commentarios Institutionum, et selectos auctorum classicorum locos ad Jus Civile pertinentes, diebus Jov. et Ven. horâ IX.
Jus Civile hodiernum, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . VIII.
Ordinem judiciorum et rem judiciariam privatam cum exercitationibus forensibus, die Jovis . . . . XI.
die Veneris . . . . X.
et die Saturni . . . . IX.
H. Cock tradet Jus Naturale, diebus Lunae, Mercurii et Veneris VIII.
Jus Publicum et Gentium, diebus Lun., Mart., Merc. et Jov. X.
Jus Criminale, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris IX.

FACULTAS THEOLOGICA.

J. Clarisse Apologeticen tradet, diebus Lunae et Mercurii . . X.
Theologiam Moralem exponere perget, diebus Lunae et Mercurii XI.
Historico-Criticam in aliquot Libros Sacros utriusque Testamenti Introductionem dabit, diebus Martis et Jovis . . . XI.
W. A. van Hengel Epist. Pauli ad Romanos interpretabitur, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . VIII.
Theologiam Pastoralem tractabit, diebus Martis et Jovis . VIII.
De praecipuis Theologiae Dogmaticae capitibus auditores interrogabit, diebus Jovis et Veneris . . . . IX.
Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris V sqq.
Oratoriae Sacrae exercitationibus praeërit, die Jovis . . . . I.
N. C. Kist Historiam Ecclesiasticam docebit imprimis recentiorem, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Theologiam Naturalem tradet die Jovis et Veneris . . . . . XII.
Monumenta Histor. Eccl. veteris explicabit, dieb. Jov. et Ven. XI.
Exercitia disputandi, de quaestionibus argumenti potissimum Historico-Theologici, moderabitur, die Saturni . . . . . . I.
Orationibus Sacris praeërit, die Martis . . . . II.
J. F. van Oordt, J. G. Fil., Theologiam Christianam Theoreticam tractabit, diebus Martis, Jovis et Veneris . . . . . . X.
et Mercurii . . . . IX.

Introitum in Theologiam dogmaticam tradere perget, die Ven. horâ I.
De institutione Oratoris et Antistitis Sacri exponet, additis exercitiis cum homileticis tum oratoriis, dieb. Mart. et Jov. I.
Publice disputandi de locis Theologicis opportunitatem praebebit, die Saturni . . . . I.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

C. G. C. REINWARDT Chemiam universam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis XI.
Rei Herbariae fundamenta tradet, diebus Lun., Mart. et Merc. I.
Plantarum Historiam illustrabit, verno et aestivo tempore matutino, iisdem diebus et Jovis . . . . VII.
Mineralogiae et Geologiae elementa tradet, diebus Jov. et Ven. I.
J. DE GELDER Calculum Differentialem et Integralem, diebus Lunae et Mercurii . . . . XII.
Mechanicam Analyticam, diebus Martis et Jovis . . . . . . XII.
Partem Theoreticam et Practicam Paedagogices, ad disciplinas Mathematicas relatae, futuros Gymnasiorum Praeceptores docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XI.
P. J. UYLENBROEK Physicam docebit, dieb. Lun., Mart., Merc. et Jov. XII.
Arithmeticam Universalem sive Algebram explicabit, die Jovis I.
et Veneris . . . . VIII et I.
J. VAN DER HOEVEN Anatomen et Physiologiam comparatam tradere perget, diebus Lunae et Martis . . . . XI.
aestivo tempore . . . . X.
Primas lineas Zoologiae tradet, diebus Mercurii, Jovis et Vener. XI.
Ornithologiam exponet, diebus Martis et Jovis . . . . I.
Animalium fossilium historiam tradet, praemissis Geologiae elementis, die Mercurii . . . . I.
Entomologiam explicabit diebus et horis dein indicandis.
A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiae doctrinam ejusque in artibus usum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis IX.
Pharmacologiam chymicam docebit, diebus Lunae et Mercurii XII.

Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Jovis . . . . horâ XII.

Chymiam practicam et experimenta instituendi artem docebit, die Saturni . . . . V—VII.

G. J. VERDAM, Prof. Extr., elementa Geometriae planae et Trigonometriam rectilineam tradet, diebus Mercurii et Jovis . . VIII. et die Veneris . . . . IX et X.

Stereometriam et Trigonometriam Sphaericam, hujusque usum explicabit, diebus Lunae et Martis . . . . VIII.

Geometriam, quam vocant *Descriptivam*, docere perget, diebus Martis et Jovis . . . . XI.

Geometriam Analyticam, itemque Calculum Differentialem et Integralem exponere paratus est.

Si qui sint Commilitones, qui Staticam et Dynamicen, aliasve Disciplinarum Mathematicarum partes explicari sibi cupiant, Eorum studia lubentissime adjuvabit.

Methodum docendi Matheseos elementa futuris Gymnasiorum praeceptoribus explanabit, diebus et horis, in Auditorum commodum constituendis.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

J. H. VAN DER PALM, quantum aetas et valetudo patientur, studiis juvenum Academicorum non deërit.

M. SIEGENBEEK Historiam Patriae, ad ductum Compendii, a se editi, enarrabit, diebus Martis, Mercurii et Jovis . . . . X.

SPIEGELII carmen didacticum, *Speculum cordis (Hertspiegel)* dictum, selectis auditoribus *gratis* explicare paratus est, horis postea constituendis.

Exercitia oratoria moderabitur, hora, auditoribus commoda.

J. BAKE interpretabitur DEMOSTHENIS *Leptineam* et *Midianam*, tum SOPHOCLIS *Antigonam*, diebus Lun., Mart., Merc. et Jovis X.

Antiquitates Atticas explicare perget, ordinem secutus libri Schoemanniani, diebus Lunae et Mercurii . . . . I.

In Scholis Paedagogicis tractabit, *Historiam Criticam Oratorum Atticorum*, iisdem diebus . . . . horâ II.

J. NIEUWENHUIS Logicam docebit, diebus Veneris et Saturni . . IX.

Metaphysicam, die Jovis . . . . V.

diebus Veneris et Saturni . . . . XI.

Hist. Philos. explicabit, diebus et horis Auditoribus commodis.

P. HOFMAN PEERLKAMP explicabit Historiam Universalem ex Summario edito Leidae apud C. C. van der Hoek, a. MDCCCXL, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XI.

Interpretabitur Libros I et II *Histor.* T. LIVII, et HORATII *Carmina*, adhibitis hominum doctorum judiciis de editione Harlemensi a. 1834, diebus Lun., Martis, Merc. et Jovis XII.

G. L. MAHNE Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.

Historiam Artium et Doctrinarum studii apud Romanos exponet, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.

J. M. SCHRANT praecepta stili Neêrlandici seu Eloquentiae, nec non Oratoriae artis externae, tradet, dieb. Mart., Jov. et Ven. II.

VONDELII Tragoediam *Gysbrecht van Amstel* interpretabitur, diebus Lunae et Mercurii . . . . II.

Sacrae Eloquentiae historiam criticam, cum veteris tum recentioris aevi,

nec non Antiquitates Germanicas tradet diebus et horis Auditoribus commodis.

H. E. WEYERS Sermonis Hebraei elementa tradet, tum Grammaticâ explicandâ, tum analyticis exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . VIII.

De iisdem elementis cum tironibus familiariter domi colloquetur, die Mercurii, horis vespertinis . . . . V—VII.

Litterarum Arabicarum, Chaldaïcarum et Syriacarum initia docebit, diebus Jovis et Veneris . . . . VIII.

et diebus Martis et Jovis . . . . I.

Provectioribus gratificari perget interpretando *Chrestomathiam Arabicam*, a Cl. KOSEGARTENIO editam, die Lunae . . . I.

Bar-hebraei Chronicon Syriacum, die Mercurii . . . . . . horâ I.

Bidpaji Fabulas, a Sacyo editas, die Veneris . . . . I.

A. Rutgers Jesajae Vaticinia adversus gentes exteras et tertium Psalmorum librum interpretabitur diebus Lunae et Martis . . IX.

Secundum Samuelis librum cursoria lectione tractare perget, die Mercurii . . . . I.

Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XII.

J. Bake et P. Hofman Peerlkamp praeërunt disputandi exercitiis, diebus Jovis . . . . I.

FACULTAS MEDICA.

G. Sandifort Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . X.

Physiologiam, anatome comparata illustratam, iisdem diebus IX.

Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore . . III—V.

M. J. Macquelyn Supellectilem Pharmaceuticam duce Pharmacopeâ Belgicâ explicare perget, et praecepta Diaetetica tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . VIII.

Doctrinam Morborum Chronicorum cum exercitatione in Nosocomio Academico, dieb. Lun., Mart., Merc., Jov. et Sat. IX.

J. C. Broers Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Martis, Mercurii et Veneris . . . . XII.

Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit quotidie . . . . VIII.

Collegio Casuali, diebus Lunae, Jovis et Saturni . . . . . . XII—III.

Operationibus Chirurgicis hiberno tempore, horis dein indicandis.

Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . X.

Medicinam Forensem, die Mercurii et Veneris . . . . I.

C. Pruys van der Hoeven Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . I.

Medicinam Practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie . . . . , ... horâ XI.

Historiam Medicinae tradet, diebus Martis . . . . I.

M. J. Macquelyn et C. Pruys van der Hoeven disputandi exercitiis praeërunt, die Jovis . . . . III.

P. O. van der Chijs, titulo Prof. extr. ornatus, Numismaticam generalem tradere paratus est diebus et horis quae auditoribus convenient.

F. Kaiser, Astronomiae Lector, Astronomiam Theoreticam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.

Astronomiam Practicam, iisdem diebus . . . . X.

Artis observandi exercitiis quotidie praeërit.

Provectioribus discipulis, disquisitiones Cl. Hansen, aliorumque, de perturbationibus, quas motus corporum coelestium patiuntur, aptis horis, commentabitur.

Astronomiam quam popularem vocant, tradet d. Merc., horâ vesp. VI.

Astronomiae primas notitias mathematicas, secundum *Lectiones Cosmographicas* a Clarissimo de Gelder editas, tradet eodem die horâ vespertinâ . . . . VII.

Singulos suos auditores, ad coelum, tubi optici ope, perlustrandum, aptis temporibus evocabit.

G. G. Brill, Lector Germanicarum Litterarum, aget de Goethii tragoediae, cui nomen Faustus, parte secunda, diebus Martis et Veneris, horâ post meridiem . . . . VI.

Commilitonibus vero harum litterarum rudibus grammaticam docendis, cum imperitioribus vero legendis facilioribus intellectu scriptis, vacabit horis de quibus convenerit.

PROGRAMMA
CERTAMINIS LITERARII
A
RECTORE ET SENATU ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE
D. VIII MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXLI.

INDICTI.

Rector et Senatus Academiae Lugduno-Batavae ex Regiis Edictis diei 2 m. Augusti a. MDCCCXV n°. 14 et d. 13 m. Octobris a. MDCCCXXXVI n°. 87, omnes Academiarum Belgicarum cives et Athenaeorum alumnos in annum sequentem ad certamen Literarium invitant et evocant, et Quaestiones, e singulis Ordinibus Academicis, promulgant has:

EX ORDINE THEOLOGORUM.

Quaeritur, quatenus libri Apocryphi Veteris Testamenti, et libri Novi Testamenti, de doctrina morum inter se consentiant et dissentiant.

EX ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Quaestio Physica.

Exponantur praecipua Amperii Theoriae Electro-dynamicae capita, atque indicetur quatenus haec Theoria valeat ad phaenomena Electro-dynamica rite explicanda.

Quaestio Botanica.

Quaeritur expositio observationum et sententiarum de plantarum foecundatione et fructificatione, habita praesertim ratione eorum, quae novissime de hoc argumento pertractata sunt. Dein, quid vere de his sit statuendum, decernatur.

EX ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. Hooftii *Comoedia* Warnar met de pot *dicta, ita explicetur, ut obscuriora illustrentur, et instituta cum* Plauti Aulularia *et* Molierii *fabula, quae* Avari *nomen habet, comparatione, de poeticis dotibus judicium feratur.*

II. *Ita explicetur locus e disciplina Logica de diversis philosophandi methodis, ut inquiratur primum in singularum vim propriam et rationem; deinde, ut in ipsarum successione Anthropologice ostendatur ingenii humani in studio veritatis progressio.*

EX ORDINE MEDICORUM.

Quaeritur Historia Critica Theoriae, de Pulsu.

EX ORDINE JURIS CONSULTORUM.

Quaeritur, Historia et Literatura Juris Mercatorii *Belgii Septentrionalis, usque ad annum* 1811, *quo Jus Francicum apud nos fuit introductum.*

Commentationes ante diem 1 Novembris hujus anni mittantur ad Virum Cl. G. Sandifort, Senatus Academici Actuarium.

Universa concertationis ineundae ratio cognoscatur ex Regiis Edictis in initio hujus Programmatis laudatis.

NUMERUS ADOLESCENTIUM

QUI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

STUDIIS OPERAM DEDERUNT IPSO DIE 31 DECEMBRIS MDCCCXL.

IN FACULTATE JURIDICA.	IN FACULTATE THEOLOGICA.	IN FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	IN FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM.	IN FACULTATE MEDICA.	CUNCTUS NUMERUS.
280	128	7	40	182	637

In hunc numerum excepti sunt 157, qui nomen in albo professi sunt, eo tantum consilio, ut hic examinarentur, ceterum in diversis Athenaeis versantur.

SERIES

CANDIDATORUM QUI GRADUM DOCTORATUS ADEPTI SUNT

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

A DIE IX FEBRUARII MDCCCXL AD DIEM VIII FEBRUARII MDCCCXLI.

ANNO MDCCCXL.

d. 21 Febr. JANUS DANIEL TAUNAY, Surinamensis, publice defenso Specimine *de tributis in reditum directis et indirectis*, Juris Rom. et Hod. D. creatus est *cum laude.*

d. 27 Febr. JOANNES JACOBUS DE HOLLANDER, Aartswouda-Hollandus, def. Dissert. *de Euripidis supplicibus*, Philos. Theor. Mag. et Lit. Hum. D. *cum laude.*

d. 3 Mart. ABRAHAMUS RUTGERUS VISSER, Haganus, def. Spec. *de jure venandi*, Juris Utriusque Doct. *cum laude.*

d. 9 Mart. CAROLUS CORNELIUS ALOYSIUS BEENS, Bredanus, publice def. Dissert. *de mora*, Juris Utriusque D. *cum laude.*
CORNELIUS VAN GINNEKEN, ex pago Teleringen, Brab. Sept., publice def. Diss. *de victus ratione lactantium*, Med. Doct. *cum laude.*

d. 13 Mart. GUILIELMUS ADRIANUS HIRSCHIG, ex pago Ginneken, Brab. Sept., publice def. Diss. contin. *selecta Alexidis comici fragmenta*, Phil. Th. M. et Litt. H. D. *cum laude.*
ADRIANUS JANUS FERRIER, Haganus, def. Diss. *de variis modis acquirendi per occupationem*, Doct. Juris Romani.

d. 14 Mart. GUILIELMUS HENRICUS VAN BREE, Eindhoviensis, def. Diss. *de hydrocephalo acuto infantium*, Med. D. *magna cum laude.*
JACOBUS HERMANUS VAN MIERLO, Bredanus, def. Diss. *de jure retentionis*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 21 Mart. PHILIPPUS JACOBUS CAROLUS KRIEGER, ex Oude Tonge, Med. Doct., defensis scriptis Thesibus, Art. Obstet. Doctor.

d. 27 Mart. OTTO DANIEL DE RUUK, Arnhemia Gelrus, def. Diss. *de crimine stellionatus jure Romano*, Doct. Juris Romani.

ARNOLDUS NICOLAUS RIETVELD VAN DER FEEN, Amstelod., publice def. Diss. *de societatis exercitoriae actore*, J. U. D. *cum laude.*

d. 30 Mart. BERNARDUS HENRICUS FRANCISCUS BANTZINGER, Goudanus, def. Diss. *de tutela dativa jure Belgico*, J. U. D. *cum laude.*

d. 3 April. PETRUS ABRAHAM BORGER, Lugduno-Batavus, publice def. Diss. *de parte epistolae Pauli ad Romanos paraenetica*, Theol. Doct. *magna cum laude.*

d. 6 April. JACOBUS ANDREAS VAILLANT, Maasslusa-Hollandus, def. Diss. *de munere tabellionis*, J. U. D. *cum laude.*

d. 9 April. CONRADUS JACOBUS NICOLAUS NIEUWENHUIS, Rheno-Traject., def. Diss. *de arbitrio ex compromisso*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 10 April. TJEPKE MULIER, Bolsvardia-Frisius, def. Diss. *de exsecutoribus testamentariis jure Belgico*, J. U. D. *cum laude.*

JOHANNES SIEWERTSZ VAN REESEMA, Roterodamensis, def Diss. *de assecuratione salvae navigationis*, J. U. D.

d. 11 April. JACOBUS PETRUS ROUX, e prom. Bonae Spei, M. D. def. Thesibus, Art. Obstetr. D.

JANUS ARNOLDUS VAN HAMEL, Doesburgensis, M. D. def. Thesibus, Art. Obstetr. D.

JOANNES DE WAL, HENR. F., Leovardiensis, def. Diss. *de exceptionibus Juris civilis hodierni*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 29 April. PETRUS JACOBUS SURINGAR, Lugduno-Batavus, def. Diss. *de Arrio Menandro J. C. ejusque fragmentis*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 1 Maji. HENRICUS JOANNES OLIVIERIUS CAROLUS THEODORUS HACFORT TER HORST, Gelrus, def. Diss. *de testamento mystico s. clauso sec. jus Neerlandum*, J. U. D. *cum laude.*

d. 2 Maji. GERARDUS JOANNES FRANCISCUS MERZ, Haganus, M. D. def. Thesibus, Art. Obstetr. D.

d. 12 Maji. PETRUS HENRICUS JACOBUS WELLENBERGH, Wilsveen-Hollandus, def. Diss. *de orthragorisco mola*, M. D. *cum laude.*

d. 13 Maji. GERARDUS THEODORUS CALLENFELS, Slusa-Zelandus, M. D. def. Thesibus, Chirurg. D.

d. 14 Maji. RUDOLPHUS HOUWINK, Meppela-Drenthinus, M. D. def. Thesibus, Art. Obst. D.

d. 22 Maji. JOANNES GEORGIUS ANTONIUS GOUVERNEUR, Bredanus, def. Diss. *de modis, quibus matrimonium dissolvitur jure Neerlando*, J. U. D. *cum laude*.

JASPERUS ANDREAS ADRIANUS LEEMANS, Zaltboemela-Gelrus, publice def. Diss. *de crimine incendii*, J. U. D. *cum laude*.

d. 25 Maji. CHRISTIANUS JOHANNES VOLCK, Leovardiensis, def. Diss. cont. *historiam belli de successione Austriaca, et pacis, quae insecuta est, Aquisgranensis*, J. U. D.

d. 3 Junii. MICHAEL JACOBUS KUYS, e Prom. Bonae Spei, M. D., def. Thesibus, Art. Obstet. D.

d. 5 Junii. GULIELMUS MARINUS JOANNES CORNELIUS LAPIDOTH, Isalastadiensis, def. Diss. *de ulcere Noma*, M. D. *cum laude*.

d. 12 Junii. MATTHEUS SCHOONEVELD, PETR. JAC. F., Amstelod., publice def. Diss. *de actionibus possessoriis*, J. U. D. *cum laude*.

DAVID RUTGERS VAN ROZENBURG, JR., Amstelod., publice def. Diss. *de condit. et juribus agrorum, e quibus fodiuntur cespites bituminosi in patriâ nostra*, J. U. D. *cum laude*.

ALOYSIUS SPRENGER, Tyrolensis, def. Diss. *de originibus medicinae Arabicae sub Khalifatu*, M. D.

d. 13 Junii. RYKUS SWETS, Hardinxvelda-Hollandus, def. Diss. *de Cephalalgia idiopathica*, M. D. *magna cum laude*.

GERHARDUS JOANNES KRONENBERG, Daventriensis, def. Diss. *de causis mitigandi*, J. U. D. *cum laude*.

HENRICUS GUILIELMUS DAAMES, Haganus, M. D. def. Thesibus, Art. Obstet. D.

d. 18 Junii. JOHANNES SANDIFORT, Lugduno-Batavus, def. Diss. *de vitiis acquisitis articulationis coxae*, M. D. *magna cum laude*.

JANUS KIPS, J. J. F., Haganus, def. Diss. *de usu et abusu medicamentorum emeticorum et purgantium*, M. D. *magna cum laude*.

d. 19 Junii. GUILIELMUS SIEWERTSZ. VAN REESEMA, Roterodamensis, publice def. Diss. *de Bodemariae in avarias contributione*, J. U. D. *cum laude*.

Idem, G. S. VAN REESEMA, J. U. D., publice def. Diss. exhibente *Parmenidis, Anaxagorae, Protagorae principia et Platonis de iis judicium*, Ph. Th. M. et Litt. H. D., *magna cum laude.*

d. 22 Junii. GUILIELMUS FREDERICUS MENZEL, Lugd.-Batavus, publice def. Diss. *qua exhibetur Hermiae irrisio gentilium philosophorum*, Theol. D. *magna cum laude.*

d. 23 Junii. JOANNES HAREMAKER, Zaandyk-Hollandus, M. et A. O. D., def. Thesibus Chirurgiae Doctor.

CORNELIUS VAN ROSSEM, Amstelod., publice def. Diss. *de Catarrho epidemico*, M. D. *magna cum laude.*

d. 24 Junii. MEINARDUS SIDERIUS GORTER, Leovardiensis, def. Diss. *de Pancreatitide*, M. D. *cum laude.*

CORNELIUS ELIZA OVERGAAUW PENNIS, Delfensis, def. Diss. *de institutis administr. civitatis Delfensis*, J. U. D. *cum laude.*

JOANNES DIDERICUS NINABER, Hellendoorn Transisalanus, def. Diss. *de Rachitide*, M. D. *cum laude.*

d. 25 Junii. ELISABERTUS PYNACKER HORDYK, Naaldwyk Hollandus, M. D., def. Thesibus Art. Obs. D.

d. 26 Junii. ARNOLDUS SIX, Hillegommensis, def. Diss. *de errore facti in delictis dolosis*, J. U. D. *cum laude.*

HENRICUS BERNARDUS VAN RHYN, ex Zwammerdam, def. Diss. exhib. *conspectum morborum hoc anno in clinice Cl. Pr. v. d. Hoeven observatorum*, M. D. *magna cum laude.*

d. 29 Junii. HENRICUS CORNELIUS VAN SON, Dongensis, def. Diss. *de morbis placentae*, M. D. *magna cum laude.*

PETRUS CORNELIUS PRINCE, Goudanus, publice def. Diss. *de horis et diebus in codice civili Neerl. obviis*, J. U. D. *cum laude.*

d. 30 Junii. JANUS HENRICUS GUILIELMUS BOISSEVAIN, Amstelod., publice def. Diss. *de foenore et usuris secundum Cod. N. praecepta*, J. U. D. *cum laude.*

d. 1 Julii. JANUS BASTIANUS MOLEWATER, Roterod., publice def. Diss. *de typho abdominali*, M. D. *cum laude.*

d. 2 Julii. AUGUSTUS MAXIMILIANUS GERARDUS SMULDERS, ex urbe Soerabaija, publice def. Diss. *ad librum V responsorum Scaevolae, quantum in Digestis superest*, J. U. D. *cum laude.*

Gustavus Janus Guilielmus Wiselius, Amstelod., publice def. Diss. *de jure deliberandi et beneficio inventarii*, J. U. D.

Joannes Baptista Verheyen, Sylvaducensis, def. Diss. *de Cautione danda ex Jure Civili Hodierno*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 3 Julii. Henricus Cankrien Jr., Roterod., def. Diss. *de Ludo et Sponsione praecipue jure Belgico*, J. U. D.

Guilielmus Henricus Dullert, Arnhemensis, publice def. Diss. *de Pollicitationibus*, J. U. D. *cum laude.*

d. 4 Julii. Edzard Jacobus Lewe van Nyenstein, Groninganus, def. Diss. *ad titulum Digestorum de Abigeis*, Jur. Rom. D.

Franciscus Fredericus Karseboom, Amstelod., publice def. Diss. *de navium detentione, vulgo Embargo dicta*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 19 Sept. Janus Henricus Nieuwveen, Leidensis, def. Diss. *in Hetoemoclis epistolam, quae legitur in Symp. Luciani*, Ph. T. M. et Litt. H. D. *cum laude.*

d. 26 Sept. Cornelius Gualtherus de Prill Morell, ex pago Bloemendaal, def. Diss. *de Inflammatione diaphragmatis*, M. D.

Conradus Kerbert, M. D., defensis Thesibus Art. Obs. D.

d. 5 Octob. Henricus Petrus Gesinus van Diggelen, Sassa Gandavensis, def. Diss. *de Inventario sec. Jur. Civ. Neerl. praecepta*, J. U. D. *cum laude.*

d. 9 Octob. Marius Henricus 's Jacob, Amstelod., publica def. Diss. *ad Titulum XXII Codicis de ordine Judiciorum criminalium*, J. U. D. *cum laude.*

d. 12 Octob. Julianus Henricus Molkenboer, Harlemensis, publice def. Diss. *de Colocynthide*, M. D. *magna cum laude.*

d. 13 Octob. Franciscus Cornelius Donders, Tilburgensis, def. Diss. *Observationes Anatomico-Patholog. de Centro nervoso*, M. D. *magna cum laude.*

d. 15 Octob. Petrus Marius Mess, Leidensis, M. D. def. Thes. Chirurg. D.

d. 16 Octob. Johannes Conradus van Hasselt, Zutphaniensis, def. Diss. *ad locum C. C. de malitiosa desertione*, J. U. D.

d. 26 Octob. Jacobus Sarluis, publice def. Diss. *de differentia inter Melancholiam et Melaenam*, M. D. *cum laude.*

d. 28 Octob. FRANCISCUS JOANNES PETRUS TOLLENS, Roterod., def. Diss. *de Principum titulis sec. Jus Gentium Europ. Hod.*, J. U. D. *cum laude*.

d. 29 Octob. PETRUS MARIUS NOLTHENIUS, Amstelod., def. Diss. *de Epilepsia*, M. D. *magna cum laude*.

d. 30 Octob. DAVID LEON, Haganus, publice def. Diss. *de Calumnia sec. jus Hodiernum*, J. U. D.

d. 6 Nov. ISAACUS THOOFT, Roterod., publice def. Diss. *de magno Concilio Ordinum Foed. Belg. anni* 1651, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 9 Nov. GERLACHIUS CORNELIUS JOANNES VAN REENEN, Amstelod., publice def. Diss. *de bello, quod de successione Austriae gestum est, pace aquisgraniensi composito*, J. U. D. *magna cum laude*.
JACOBUS DE NEUFVILLE, Amstelod., publice def. Diss. *de iis, quae ad tollendum servorum Afrorum commercium, inde a Congressu Viennensi, inter populos gesta sunt*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 10 Nov. GUILIELMUS HENRICUS VAN DER DUYN TOT BENTHORN, Brabantus, def. Diss. *de praesumptionibus sec. C. C. Neerl.*, J. U. D. *cum laude*.

d. 16 Nov. JACOBUS NICOLAUS EVERTS, Twelloa Gelrus, def. Diss. *de competentia judicis cantonnalis*, cet. J. U. D. *cum laude*.

d. 20 Nov. CAROLUS ARNOLDUS JULIUS DE CLERMONT, ex pago Vaels, def. Diss. *ad edict aedilium, in digest. Lib. XXI. T. I.* J. U. D. *cum laude*.

d. 21 Nov. GYSBERTUS HENRICUS MAASDORP, ex prom. Bonae Spei, M. D. def. Thes. Chir. D.
JOANNES ELIAS VALETON, Haganus, def. Diss. *de definitionibus in C. C. nostro obviis*, J. U. D.
JOANNES PETRUS ERMERINS, Zirizea Zelandus, M. D. def. Thes. Chir. D.

d. 25 Nov. HERMANUS AMESHOFF JR., Amstelod., publice def. Diss. *de societate commenditaria*, J. U. D. *cum laude*.
HENRICUS GUILIELMUS DAAMES, Haganus, M. et A. O. D. def. Thes. Chir. D.

d. 26 Nov. PETRUS ANTONIUS MARIA VAN OOSTHUYSE VAN RIJCKEVORSEL, Roterod., def. Diss. *de Jurisdictione volunt. judicis cantonnalis*, J. U. D. *cum laude*.

d. 27 Nov. FREDERICUS LUDOVICUS WILHELMUS DE KOCK, Amboinensis, def. Diss. cont. *quaestiones quasdam*, J. U. D. *cum laude*.

d. 28 Nov. HENRICUS JOANNES ANTONIUS VAN DER HEYDEN, Eindhoviensis, M. D. def. Thes. Chir. D.

d. 30 Nov. ABRAHAMUS SCHARP, Gorinchemensis, M. D. def. Thes. Art. O. D.

d. 5 Dec. GUALTERUS PETRUS ADRIANUS STRUYK, Dordracenus, publice def. Diss. *de leg. civ. Neerl., ut salva sit res familiaris minorum*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 16 Dec. ALEXANDER CHRISTIANUS BAUER, Gildenhusa-Benthemensis, def. Diss. *de parotitide*, M. D. *cum laude.*

d. 18 Dec. HENRICUS CAROLUS MICHAELIS, Amstelod., def. Diss. cont. *L. A. Senecae consolationem ad Marciam*, Ph. Th. M. et Litt. H. D. *cum laude.*
ANTONIUS EWALDUS VAN DISHOECK, Sassa Gandavensis, def. Diss. *de hereditatis petitione sec. C. C. Neerl.*, J. U. D.

d. 19 Dec. HENRICUS BERNARDUS VAN RHYN, ex Zwammerdam, M. D. def. Thes. Art. Obst. D.

d. 23 Dec. JOHANNES MOOLENBURGH, Zonnemaire Zelandus, def. Diss. *de dilatatione Bronchiorum*, M. D.

ANNO MDCCCXLI.

d. 16 Jan. DANIEL VAN ECK, Hontenissa Zelandus, def. Diss. cont. *quaestiones e libro I. C. C. Neerl.*, J. U. D. *cum laude.*

d. 18 Jan. EDUARDUS JOSEPHUS CORNELIUS MARIA DE KUYPER, Veghelensis, def. Diss. *de pignore sec. jus Neerl.*, J. U. D. *cum laude.*

d. 22 Jan. JOANNES LEMKER SLICHTENBREE, Daventriensis, def. Diss. cont. *annotationes ad titulum C. C. de cura*, J. U. D. *cum laude.*

d. 3 Febr. GUILIELMUS MARINUS JOANNES CORNELIUS LAPIDOTH, Isalastadiensis, M. D. def. Thes. Art. Obstr. D.
RYKUS SWETS, Hardinxveld Hollandus, M. D. def. Thes. Art. Obst. D.

d. 4 Febr. JOANNES DIDERICUS NINABER, Hellendoorn Transisalanus, M. D. def. Thes. Art. Obst. D.

d. 5 Febr. GABRIEL RIPPING, Medioburgensis, def. Diss. *de Otitide*, M. D. *cum laude.*
MEINARDUS SIDERIUS GORTER, Leovardiensis, M. D. def. Thes. Art. O. D.

d. 6 Febr. JOANNES GUILIELMUS CRAMER, Amstelod., def. Diss. *de Tetano*, M. D. *cum laude.*

FATA ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

INDE A. D. IX FEBR. MDCCCXLI AD VIII FEBR. MDCCCXLII.

RECTORE MAGNIFICO

JOANNE FREDERICO VAN OORDT, J. G. FIL.,

SENATUS ACADEMICI ACTUARIO

GERARDO SANDIFORT.

ACTA ET GESTA IN SENATU.

A. 1841.

Die 26 Maji. Lectae sunt literae Curatorum, d. 25 Maji, nuntiantes augustissimum Regem die 1 Junii in hanc urbem accessurum et inspecturum res Academicas.

Die 1 Junii. Rector cum Senatu se contulit in curiam urbanam Regemque salutavit. Hinc cum reliquis Professoribus in senaculum reversus Regem a Curatoribus introductum exspectavit, cui deinde Observatorium Astronomicum, Hortus Botanicus et Musaea commonstrata sunt.

Die 14 Septembris. Lecta est epistola Curatorum, d. 14 Junii, communicantium Virum Consultissimum L. C. Luzac, ex decreto regio d. 9 Junii h. a. nominatum esse Curatorem hujus Academiae.

A. 1842.

Die 6 Januarii. Senatus designavit Candidatos quatuor, quorum nomina ad Regem deferantur, ut inde Rectorem Magnificum in proximum annum legat, viros Cl.

J. VAN DER HOEVEN.
G. L. MAHNE.
G. SANDIFORT.
H. G. TYDEMAN.

Candidati, e quibus actuarius creetur, designati sunt V. Cl.

J. F. VAN OORDT, J. G. FIL.
J. VAN DER HOEVEN.
G. L. MAHNE.
J. R. THORBECKE.

Die 7 Februarii. Recitantur literae Curatorum d. 6 Febr. communicantium decretum Regis d. 30 Januarii h. a., quo in annum sequentem Cl. J. VAN DER HOEVEN constituitur Rector Magnificus.

Rectori futuro decernuntur a Senatu Assessores Cl.

M. SIEGENBEEK.
G. SANDIFORT.
H. COCK.
W. A. VAN HENGEL.

Die 8 Februarii. Rector retulit in conventu Curatorum, Rectoris et Assessorum, Cl. J. F. VAN OORDT, J. G. FIL., creatum esse Academiae Actuarium in annum sequentem. Rector cum Senatu caeterisque Professoribus in auditorium descendit et orationem recitavit *de perfecta Institutoris specie in* JESU CHRISTO *conspicua.* (Ed. L. B. 1842.)

Recitatis deinde ab Actuario judiciis Facultatum de Commentationibus, pro certamine literario conscriptis, renuntiatisque victorum nominibus, Rector juvenibus ornatissimis, ex ordine Phil. Theor. et Literarum Hum. MATTHIAE DE VRIES et DIONYSIO BURGER, Litt. Hum. in hac Academia Candidatis et ex Ordine Jureconsultorum WILHELMO ADRIANO CORNELIO DE JONGE, J. U. hac in Academia Candidato nummos aureos tribuit.

Ex Ordine Medicorum Ornat. MICHAELEM JACOBUM GODEFROI, Med. hac in Academia Candidatum *honoris causa* nominavit.

SERIES LECTIONUM

HABENDARUM A DIE VI SEPTEMBRIS MDCCCXLI.

FACULTAS THEOLOGICA.

J. F. van Oordt, J. G. Fil., Theologiam Christianam Theoreticam tractabit, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . horâ X.

De institutione Oratoris et Antistitis Sacri exponet, additis exercitiis cum homileticis tum oratoriis, die Lunae . . . . X.
et Mercurii . . . . IX.

Collocutiones de Theologia Dogmatica instituet, d. Mart. et Jov. I.

Publice disputandi de locis Theologicis opportunitatem praebebit, die Saturni . . . . I.

Exercitia catechetica, si qua opportunitas adsit, lubens moderabitur.

J. Clarisse, si aetas, vires, valetudo et rerum suarum ratio patientur, Theologiam Moralem exponere perget, d. Lunae et Merc. XI.

W. A. van Hengel Euangelistarum narrationes, quae *Passionem* ita dictam Christi continent, interpretabitur, d. Lun., Merc. et Ven. VIII.

Hermeneuticam Literarum sacrarum docebit, d. Mart. et Jov. VIII.

Theologiae Pastoralis capita quaedam tractabit, die Mercurii IX.

De praecipuis Theologiae Dogmaticae capitibus auditores interrogabit, diebus Jovis et Veneris . . . . IX.

Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris V sqq.

Oratoriae Sacrae exercitationibus praeërit, die Jovis . . . . I.

N. C. Kist Historiam Ecclesiasticam docebit imprimis antiquam, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.

Theologiam Naturalem tradere perget, dieb. Jovis et Veneris XII.

Monumenta Histor. Ecclesiasticae veteris explicabit, die Martis XI.

Sive Dogmatum, sive Morum doctrinae Christianae exponet historiam, diebus Jovis et Veneris . . . . XI.

Exercitia disputandi, de quaestionibus argumenti potissimum Historico-Theologici, moderabitur, die Saturni . . . . . . I.

Orationibus Sacris praeërit, die Martis . . . . II.

FACULTAS DISCIPLIN. MATHEM. ET PHYSIC.

C. G. C. Reinwardt Chemiam universam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis horâ XI.
Rei Herbariae fundamenta tradet, diebus Lun., Mart. et Merc. I.
Plantarum Historiam illustrabit, verno et aestivo tempore matutino, iisdem diebus et Jovis . . . . VII.
Mineralogiae et Geologiae elementa tradet, diebus Jov. et Ven. I.

J. de Gelder Calculum Differentialem et Integralem exponet, diebus Lunae et Mercurii . . . . XII.
Mechanicam Analyticam, diebus Martis et Jovis . . . . . . XII.

P. J. Uylenbroek Physicam docebit, dieb. Lun., Mart., Merc. et Jov. XII.
Arithmeticam Universalem sive Algebram explicabit, die Jovis I.
et Veneris . . . . VIII et I.

J. van der Hoeven Zoologiae fundamenta tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XI.
aestivo tempore . . . . X.
Anatomen et Physiologiam comparatam exponet, d. Jov. et Ven. XI.
Anthropologiam sive hist. natur. hominis docebit, d. Mart. et Jov. I.
Geologiae elementa tradet, die Mercurii . . . . I.

A. H. van der Boon Mesch Chymiae doctrinam ejusque in artibus usum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis IX.
Pharmacologiam chymicam docebit, diebus Lunae et Mercurii XII.
Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Jovis . . . . XII.
Chymiam practicam et experimenta instituendi artem docebit, die Saturni . . . . V—VII.

G. J. Verdam, Prof. Extr., elementa Geometriae planae et Trigonometriam rectilineam tradet, diebus Mercurii et Jovis . . VIII.
et die Veneris . . . . IX et X.
Stereometriam et Trigonometriam Sphaericam, hujusque usum explicabit, diebus Lunae et Martis . . . . VIII.
Geometriae analyticae primas lineas ducet, hujusque doctrinae usum in Geometriâ, tum elementari tum sublimiori, monstrabit, diebus Lunae et Mercurii . . . . II.

Geometr. analytic. partem sublimiorem explicat, d. Mart. et Jov. horâ II.
Geometriam, quam vocant *describentem*, docebit, d. Lun. et Jov. XII.
Calculi Differentialis et Integralis partes elementares exponet, diebus Martis et Veneris . . . . XII.
Calculi Integralis partes sublimiores explicabit, d. Lun. et Mart. I.
Mechanicam analyticam tradet, diebus Mercurii et Jovis . . I.
Methodum docendi Matheseos elementa futuris Gymnasiorum praeceptoribus explanabit, die Lunae . . . . XI.
Si qui sint Commilitones, qui rei hydraulicae principia aliasve Disciplinarum Mathematicarum partes explicari sibi cupiant, horas in Eorum commodum constituet.

F. Kaiser, Prof. Extr., Astronomiam Theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.
Astronomiam Practicam, iisdem diebus . . . . X.
Artis observandi exercitiis quotidie praeërit.
Provectioribus discipulis, disquisitiones Cl. Hansen, aliorumque, de perturbationibus, quas motus corporum coelestium patiuntur, aptis horis, commentabitur.
Astronomiam quam popularem vocant tradet, d. Merc., horâ vesp. VI.
Astronomiae primas notitias mathematicas, secundum *Lectiones Cosmographicas* a Cl. de Gelder editas, tradet eodem die horâ vespertinâ . . . . VII.
Singulos suos auditores, ad coelum, tubi optici ope, perlustrandum, aptis temporibus evocabit.
Si qui sint qui Chronolographiae et Calendariographiae operam dare cupiant, in auditorum commodum horas constituet.

FACULTAS PHIL. THEOR. ET LIT. HUMANIORUM.

M. Siegenbeek Historiam Patriae, ad ductum Compendii, a se editi, enarrabit, diebus Martis, Jovis et Veneris . . . . X.
Taciti *Vitam Agricolae*, secundum Hooftii versionem, hujusque *Tragoedias*, selectis auditoribus *gratis* explicare paratus est, horis postea constituendis.
Exercitia oratoria moderabitur, hora, auditoribus commoda.

J. BAKE explicabit CICERONIS *Brutum* et *Oratorem*, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . horâ IX.

Interpretabitur DEMOSTHENIS *Midianam*, tum Thucydidis lib. II. iisdem diebus . . . . X.

Ex Antiquitatibus Atticis exponet locum de administratione aerarii, diebus Lunae et Mercurii . . . . I.

Scholas Paedagogicas habebit iisdem diebus . . . . II.

J. NIEUWENHUIS Logicam docebit, diebus Veneris et Saturni . . IX.

Metaphysicam, die Jovis . . . . V.

diebus Veneris et Saturni . . . . XI.

Hist. Philos. explicabit, diebus et horis Auditoribus commodis.

P. HOFMAN PEERLKAMP explicabit Historiam Universalem ex Summario edito Leidae apud C. C. van der Hoek, a. MDCCCXL, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XI.

Interpretabitur PLAUTI *Mostellariam*, et *Aeneidis* VIRGILII librum IX, die Veneris . . . . XI.

G. L. MAHNE Antiquitates Romanas tradet, d. Lun., Mart. et Merc. XII.

Historiam Artium et Doctrinarum studii apud Romanos exponet, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.

J. M. SCHRANT praecepta stili Neêrlandi seu Eloquentiae, nec non Oratoriae artis externae, tradet, dieb. Merc., Jov. et Ven. II.

Eloquentiae historiam criticam, cum veteris tum recentioris aevi, enarrabit, diebus Lunae et Martis . . . . II.

VONDELIUM interpretabitur, dieb. et hor. Auditoribus commodis.

H. E. WEYERS Sermonis Hebraei elementa tradet, tum Grammaticâ explicandâ, tum analyticis exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . VIII.

De iisdem elementis cum tironibus familiariter colloquetur, die Mercurii, horis vespertinis . . . . V—VII.

Litterar. Arabicarum et Syriacarum initia docebit, d. Jov. et Ven. VIII.

et die Martis . . . . I.

In Scholis Chaldaïcis continuabit lectionem capitum libri DANIËLIS, Chaldaïce scriptorum; et his ad finem perductis, ad capita libri EZRAE, eâdem linguâ scripta, transibit; d. Jov. I.

Provectioribus gratificari perget interpretando *Chrestomathiam Arabicam*, a Cl. Kosegartenio editam, die Lunae . . . horâ I.
Bar-hebraei Chronicon Syriacum, die Mercurii . . . . . . I.
Bidpaji Fabulas, a Sacyo editas, die Veneris . . . . I.
A. Rutgers Zephanjae Vaticinia et secundum Psalmorum librum interpretabitur, diebus Lunae, Martis et Saturni . . . . IX.
Secundum Samuelis librum cursoria lectione tractare perget, die Mercurii . . . . I.
Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XII.
Si qui sint, qui linguae Sanskritae elementa sibi explicari cupiant, eorum studia lubentissime adjuvabit.
Provectioribus explicare perget Mahâbbârati partem, a Nalo nominatam et Anthologiam Sanskritam a Cl. Lasseno editam, die Saturni . . . . V—VIII.
J. Bake et P. Hofman Peerlkamp praeërunt disputandi exercitiis, diebus Jovis . . . . I.

FACULTAS MEDICA.

G. Sandifort Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . X.
Physiologiam, Anatome comparata illustratam, iisdem diebus IX.
Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore . . XII—II.
M. J. Macquelyn Supellectilem Pharmaceuticam duce Pharmacopoeâ Belgicâ explicare perget, et praecepta Diaetetica tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . VIII.
Doctrinam Morborum Chronicorum cum exercitatione in Nosocomio Academico, dieb. Lun., Mart., Merc., Jov. et Sat. IX.
J. C. Broers Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Martis, Mercurii et Veneris . . . . XII.
Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit quotidie . . . . VIII.
Collegio Casuali, diebus Lunae, Jovis et Saturni . . . . . . XII—III.
Operationib. Chirurgicis hiberno tempore, horis dein indicandis.

Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . horâ X.

Medicinam Forensem, die Mercurii et Veneris . . . . I.

C. Pruys van der Hoeven Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . I.

Medicinam Practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie . . . . XI.

Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Jovis . . . . I.

M. J. Macquelyn et C. Pruys van der Hoeven disputandi exercitiis praeërunt, die Jovis . . . . III.

FACULTAS JURIDICA.

H. G. Tydeman Encyclopaediam Juris tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.

Oeconomiae Politicae principia ad patriam nostram adplicata, docebit, die Lunae . . . . I.

et diebus Jovis et Veneris . . . . XII.

Statisticam Patriae describet, die Lunae . . . . II.

et diebus Martis, Mercurii et Jovis . . . . I.

C. J. van Assen interpretabitur libros Digestorum, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . IX.

Institutiones Juris Civilis Romani, d. Lun., Mart. et Merc. VIII.

Gaji Commentarios Institutionum, et selectos auctorum classicorum locos ad Jus Civile pertinentes, horis postea constituendis.

Jus Civile hodiernum, diebus Jovis, Veneris et Saturni . . VIII.

Ordinem judiciorum et rem judiciariam privatam cum exercitationibus forensibus, die Jovis . . . . XI.

die Veneris . . . . IX et X.

H. Cock tradet Ordinem Judiciorum Criminalium, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . VIII.

Jus Publicum et Gentium, diebus Lun., Mart., Merc. et Jov. IX.

Jus Criminale, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . X.

Jus Naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . . XI.

J. R. THORBECKE explicabit Historiam Juris Romani, diebus Martis, Jovis et Veneris . . . . horâ IX.

Historiam Europae diplomaticam a regno LUDOVICI XIV usque ad Congressum Viennensem, diebus Martis, Mercurii et Jovis . . . . I.

Historiam Politicam et Juris Civilis Patriae nostrae, inde a Pace Monasteriensi, diebus Lunae, Martis et Mercurii . XII.

Historicam tradet Legis Fundamentalis, cum aliis nostri aevi Legibus Fundamentalibus comparatae, interpretationem, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XI.

Jus Mercatorium, diebus Mercurii et Jovis . . . . II.

et die Veneris . . . . I.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extr. ornatus, Numismaticam generalem tradere paratus est diebus et horis, quae auditoribus convenient.

J. C. E. BROUN, Litterarum Germanicarum Lector, aget de SCHILLERI carmine dramatico aut Tragoedia (Trilogia), quae *Wallenstein* audit, diebus Martis et Veneris horâ post meridiem VI.

Grammatices Germanicae rudibus Grammaticam tradet, et imperitioribus, scriptis facilioribus ad intelligendum explicandis, vacabit, horis et diebus dein indicandis.

NUMERUS ADOLESCENTIUM

QUI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

STUDIIS OPERAM NAVARUNT IPSO DIE 31 DECEMBRIS MDCCCXLI.

IN FACULTATE THEOLOGICA.	IN FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	IN FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM.	IN FACULTATE MEDICA.	IN FACULTATE JURIDICA.	CUNCTUS NUMERUS.
126	9	53	208	282	678

In hunc numerum excepti sunt 178, quorum

in Facultate		Theologica	35
"	"	Disc. Math. et Physicarum . . .	2
"	"	Phil. Theor. et Litt. Hum. . . .	22
"	"	Medica	52
"	"	Juridica	67
			178

qui nomina in albo professi sunt, eo tantum consilio ut hic examinarentur, ceterum in diversis Athenaeis versantur.

S E R I E S

CANDIDATORUM QUI GRADUM DOCTORATUS ADEPTI SUNT

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

A DIE IX FEBRUARII MDCCCXLI AD DIEM VIII FEBRUARII MDCCCXLII.

Anno MDCCCXLI.

d. 17 Febr. Carolus Theodorus van Riet, ex pago Deurne, def. Diss. *de Nephritide*, Med. D.

Antonius Rudolphus Wymans, Sylva-Ducensis, def. Diss. cont. *Quaestiones medicas nonnullas*, M. D. *cum laude*.

d. 23 Febr. Petrus Franciscus Vermeulen, ex Ouden Bosch, def. Diss. *de Hepate et nonnullis hepatis morbis*, M. D.

d. 6 Mart. Henricus Cornelius van Son, Dongensis, M. D. def. Thes. A. O. D.

Constantinus Engbert van Goor, Amstelod., def. Diss. *de trajectitiae pecuniae contractu apud Romanos*, J. U. D. *cum laude*.

d. 24 Mart. Abrahamus van Stipriaan Luiscius, Delfensis, def. Diss. *de Scilla maritima*, M. D. *cum laude*.

d. 27 Mart. Johannes Martinus Ludolphus van Kervel, Gorinchemensis, publice def. diss. *de forma donationum inter vivos*, J. U. D. *cum laude*.

d. 2 April. Petrus Mattheus Joannes Vossen, Leidensis, def. Diss. *de pelvi feminina ejusque relatione ad caput foetus*, M. D.

Benjamin Nachenius, Amstelod., publice def. Diss. *de notione* **ΤΟΙΣ ΕΡΓΟΙΣ** *et* **ΤΩΙ ΕΡΓΩΙ** *in Ev. Joh.*, Th. D. *magna cum laude*.

Abrahamus Isaacus Stants, Amstelod., def. Diss. *de Physometra*, M. D. *cum laude*.

d. 26 April. Petrus Bel Jr., Amstelod., publice def. Diss. *de curatione eorum, qui ultro sibi curatorem petunt*, J. U. D. *cum laude*.

Joannes Gerardus de Backer, Goesa Zelandus, def. Diss. cont. *quaestiones quasdam de Jure Neerl.*, J. U. D.

d. 1 Maji. GERARDUS ABRAHAMUS DE MEESTER, Harderovic., def. Diss. *de judiciis Gelriae tempore reip. prov. unitarum*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 6 Maji. ABRAHAMUS DE VRIES, Amstelod., publice def. Diss. *de commercio epistolarum ex juris principiis aestimato*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 7 Maji. HENRICUS VAN DER HORN VAN DEN BOS, Roterod., M. D. def. Thes. Art. Obs. D.

BERNARDUS HENRICUS ALPHERTS, ex pago Ommeren, M. D. def. Thes. Chir. D.

Idem B. H. ALPHERTS, M. et A. O. D. def. Thes. Chir. D.

d. 17 Maji. JANUS CAROLUS GROOTENDORST, Goudanus, def. Diss. cont. *quaestiones medicas*, M. D. *cum laude*.

d. 24 Maji. PETRUS MARIUS NOLTHENIUS, Amstelod., M. D. def. Thes. A. O. D.

GYSBERTUS HENRICUS MAASDORP, e prom. Bonae Spei, M. et Ch. D. def. Thes. Art. Obst. D.

d. 26 Maji. JACOBUS PETRUS ROUX, e prom. Bonae Spei, M. et A. O. D. def. Thes. Chir. D.

MICHAEL JACOBUS KUYS, e prom. Bonae Spei, M. et A. O. D. def. Thes. Chir. D.

d. 27 Maji. LUDOVICUS VERHEYEN, Sylva-Ducensis, def. Diss. cont. *quaestiones quasdam*, J. U. D.

d. 28 Maji. ABRAHAMUS FERF, Berguma Frisius, def. Diss. *de executoribus Testamentariis*, J. U. D.

JANUS BARTHOLDUS LUDOLPHUS WENTHOLT, Roterod., publice def. Diss. *de debitoris obaerati patrimonii liquidatione* cet., J. U. D. *magna cum laude*.

d. 3 Junii. GEORGIUS LIEVINUS HENRICUS ELLERMAN, Antverp., def. Diss. *de morbis encephali et medullae spinalis*, M. D. *magna cum laude*.

d. 5 Junii. JACOBUS PAULUS AMERSFOORDT, Amstelod., publice def. Diss. *de axiomatibus*, Ph. Th. M. et Lit. H. D. *cum laude*.

Idem J. P. AMERSFOORDT, Ph. Th. M. et L. H. D. publice def. Diss. *de cura magistratus circa institutionem publicam*, J. U. D. *cum laude*.

d. 8 Junii. JOANNES ANTONIUS WILHELMUS BOERKAMP, Graviensis, def. Diss. *de arce Athenarum* cet., Ph. Th. M. et L. H. D. *cum laude*.

JOHANNES PETRUS ERMERINS, Zirizea Zelandus, M. et Ch. D. def. Thes. Art. Obst. D.

d. 9 Junii. HENRICUS VAN DER HORN VAN DEN BOS, Roterod., M. et A. O. D. def. Thes. Chir. D.

d. 10 Junii. ELISABERTUS PYNACKER HORDYK, Naaldwyk Hollandus, M. et A. O. D. def. Thes. Chir. D.

HENRICUS BERNARDUS VAN RHYN, ex Zwammerdam, M. et A. O. D. def. Thes. Chir. D.

d. 11 Junii. LAMBERTUS ZEGERS VEECKENS JR., Indo-Batavus, publice def. Diss. *de domicilio ex jure Belg.*, J. U. D.

GUILIELMUS JOANNES JANSSEN, ex Sta. Anna ter Muiden, M. D. def. Thes. Chir. D.

GUILIAM BALTHASAR CHRISTIANUS VAN DER FEEN, Nordvicensis, M. et A. O. D. def. Thes. Chir. D.

d. 16 Junii. PETRUS CATO LUDOVICUS EIKENDAL, Haganus, def. Diss. *de Hydrocele tunicae vaginalis testis*, M. D.

CHRISTOPHILUS GUILIELMUS EIKENDAL, Haganus, def. Diss. *de Saccharo et extracto Saturni*, M. D. *cum laude.*

d. 18 Junii. PETRUS VAN DEN HEUVEL, Udensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

JOANNES PETRUS TER BEEK, Amstelod., def. Diss. *de Elephantiasi Surinamensi*, M. D. *cum laude.*

d. 19 Junii. JANUS REGNERUS KRONENBERG, Daventriensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

GUILIELMUS ABRAHAMUS BAUD, Indo-Batavus, def. Diss. *de munere et officiis Burgimagistrorum*, J. U. D. *cum laude.*

ANTONIUS LUDOVICUS BEGEMAN, Amstelod., publice def. Diss. *de Cubebis*, M. D.

JOANNES GERARDUS KONING, ex pago Bennebroek, def. Diss. *de Carcinomate pylori*, M. D. *magna cum laude.*

d. 21 Junii. MATTHEUS CHRISTIANUS HENRICUS PAUW, Haganus, def. Diss. *de domicilio*, J. U. D.

JACOBUS DE WITTE VAN CITTERS, Haganus, publice def. Diss. *de mala fide in negotiis civilibus jure hodierno*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 22 Junii. ANDREAS JOANNES KRONENBERG, Daventriensis, def. Diss. *de locatione conductione famulorum antiquo jure patrio*, J. U. D. *cum laude.*

Tobias de Vries, Dordracenus, def. Diss. *de tuberculorum origine, natura et evolutione*, M. D. *magna cum laude.*

d. 23 Junii. Andreas Kerstens, Bredanus, def. Diss. *de denegata justitia in causis civilibus*, J. U. D. *cum laude.*

Fredericus Booy, Leidensis, def. Diss. *de Reconventione*, J. U. D. *cum laude.*

Janus Cornelius de Man, Medioburgensis, def. Diss. *de Aconito*, M. D. *magna cum laude.*

d. 24 Junii. Joannes Hubertus Josephus Guilielmus Schreinemacher, Mosa-Traj., def. Diss. *de Ophthalmia*, M. D. *cum laude.*

Hermanus Henricus Luhrs, Demerariensis, def. Diss. *de cauteriis actualibus*, M. D. *cum laude.*

Henricus Marinus Mensert, Amstelod., publice def. Diss. *de Diabete*, M. D. *cum laude.*

d. 25 Junii. Christianus Guilielmus Volcke, Haganus, def. Diss. *de factionibus in Athen. rep. belli Peloponn. aetate*, Ph. T. M. et L. H. D. *magna cum laude.*

Petrus Adrianus de Wilde, Harlemensis, publice def. Diss. *de Regis in Francia auctoritate ante primam ordinum convocationem anni* 1301, J. U. D. *cum laude.*

Johannes Hubertus van den Broek, Bredanus, publice def. Diss. *de pleuropericarditide gravissima*, M. D. *magna cum laude.*

d. 28 Junii. Henricus Bernardus Nieuwenhuis, Daventriensis, publice def. Diss. *de decimis et jure decimandi*, J. U. D. *cum laude.*

Everhardus Gerhardus van Senden, ex Wendorp, publice def. Diss. *de judice a praetore in causis privatis dato*, J. U. D. *cum laude.*

d. 29 Junii. Petrus Antonius Moquette, Leidensis, def. Diss. cont. *historiam Syracusarum usque ad Gelonem*, Ph. T. M. et L. H. D. *magna cum laude.*

Johannes Matthias Richelle, Udensis, M. D. def. Thes. Art. Obs. D.

d. 30 Junii. Johannes Albertus Dreyer, e prom. Bonae Spei, def. Diss. *de Hydrophobia*, M. D.

Godofredus Josephus Raupp, Tiberiacensis, def. Diss. *de Pleuritide*, M. D. *cum laude.*

d. 1 Julii. JOANNES CORNELIUS VAN PELT, Schiedamensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*
OSWALDUS LUDOVICUS GERHARDUS FREDERICUS ABERSON, Amstelod., def. Diss. *de Usufructu*, J. U. D. *cum laude.*
EWALDUS MARIUS VAN LEEUWEN, Schiedamensis, publice def. Diss. *de Rei vindicatione sec. Cod. Merc. Neerl.*, J. U. D. *cum laude.*

d. 2 Julii. DIDERICUS CAROLUS MUNTING, Sprangensis, def. Diss. *de Tussi*, M. D. *cum laude.*
JACOBUS TAK, Medioburg., publice def. Diss. cont. *historiam legum ab Ord. Gen. Foed. Belg. de Coloniis latarum*, J. U. D. *cum laude.*

d. 3 Julii. PHILIPPUS GUILIELMUS CAROLUS HUBERTUS BLOEMARTS, Venloensis, def. Diss. *de venditione rei alienae jure hodierno*, J. U. D. *cum laude.*
HENRICUS ISAACUS SWAVING, Zutphaniensis, def. Diss. *de jure, quod dicitur Dominium Literarium*, J. U. D. *cum laude.*
SHADRACH JONES, Roterod., publice def. Diss. *de uteri gravidi retroversione*, M. D. *cum laude.*
QUIRINUS JOHANNES GODDARD, Schiedamensis, publice def. Diss. *de vitio Hepatis organico*, M. D. *cum laude.*

d. 2 Augusti. NICOLAUS SIKKEL GROOS, Woerdanus, def. Diss. *de familia erciscunda sec. C. Civ.*, J. U. D. *cum laude.*

d. 17 Sept. JACOBUS GERARDUS VAN MAANEN, Haganus, def. Thes. J. U. D.

d. 18 Sept. JOHANNES BRANTJES, Purmerend., def. Diss. *de membranis serosis*, M. D. *cum laude.*

d. 23 Sept. JOHANNES CHRISTIANUS GOTTLOB EVERS, Haganus, def. Diss. cont. *conspectum morborum hoc anno in clinice Cl. Pr. v. d. Hoeven observatorum*, M. D. *magna cum laude.*

d. 2 Oct. ANTONIUS RUDOLPHUS WYMANS, Sylvaduc., M. D. def. Thes. Art. Obs. D.

d. 9 Oct. ALOYSIUS FRANCISCUS XAVERIUS LUYBEN, Sylvaduc., def. Diss. *de Ordinum provincialium jure provinciam gubernandi*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 11 Oct. CAROLUS AUGUSTUS LUTGART, Amstelod., M. et Ch. D. def. Thes. Art. Obs. D.

d. 15 Oct. PETRUS HALBERTSMA, Bolsvardiensis, def. Diss. *de Magistratuum probatione apud Atheniensis*, Ph. Th. M. et L. H. D. *magna cum laude*.

d. 18 Oct. RYKUS SWETS, ex Hardinxveld, M. et A. O. D. def. Thes. Chir. D.
GUILIELMUS MARINUS JOHANNES CORNELIUS LAPIDOTH, Isalastadiensis, M. et Art. Obst. D. def. Thes. Chir. D.

d. 23 Oct. MARINUS JOHANNES COP, Dordracenus, publice def. Diss. *de Amylo*, Math. M. et Phil. Nat. D. *magna cum laude*.
JOSEPHUS ANTONIUS DELHEZ, Dordracenus, def. Diss. *de corporis habitu externo seminiorum, quae praeter naturam sunt, indice*, M. D. *magna cum laude*.

d. 28 Oct. JACOBUS JOANNES ANTONIUS VAN DEN AARDWEGH, Leidensis, publice def. Diss. *de legibus frumentariis*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 1 Nov. ALEXANDER CHRISTIANUS BAUER, Gildenhus., M. D. def. Th. A. O. D.

d. 12 Nov. RYNHARDUS LUDOVICUS FREDERICUS ABRAHAMUS VAILLANT, Surinamensis, def. Diss. *de partibus a rep. Bat. in mari Baltico ab anno* 1633 *ad annum* 1660 *actis*, J. U. D. *cum laude*.

d. 18 Nov. JACOBUS SARLUIS, Haganus, M. D. def. Thes. Art. Obst. D.
PETRUS MATTHIAS JOANNES VOSSEN, Leidensis, M. D. def. Thes. A. O. D.

d. 20 Nov. NICOLAUS JACOBUS BERNARDUS KAPPEYNE VAN DE COPPELLO, Haganus, def. Diss. *observ. in Xenophontis dial. Hieronem*, P. T. M. et L. H. D. *magna cum laude*.

d. 26 Nov. PAULUS DU RIEU JR., Leidensis, def. Diss. *de Moneta*, J. U. D. *cum laude*.
JANUS KIPS, J. J. FIL., Haganus, M. D., def. Thes. Art. Obs. D.

d. 1 Dec. JOHANNES HERMANUS COOLHAAS, Amerongensis, M. et Ch. D. def. Thes. Art. Obst. D.

d. 4 Dec. HENRICUS GUILIELMUS ANTONIUS PETERS, Boxmeeranus, def. Diss. *de Tuberculoseos pulmonalis prophylaxi*, M. D. *cum laude*.

d. 7 Dec. BONIFACIUS CHRISTIANUS CAU, Zirizea-Zelandus, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

d. 8 Dec. JACOBUS TEN SYTHOFF, Amstelod., publica def. Diss. *de colica Saturnina*, M. D. *cum laude*.

d. 11 Dec. FREDERICUS HESSELIUS VAN BEYMA THOE KINGMA, Worcumo-Frisius, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

d. 15 Dec. JACOBUS LINSSEN, ex pago Neeritter, M. et Art. Obs. D. def. Thes. Chir. D.

d. 17 Dec. PHILIPPUS DE JONG, ex pago Sleeuwyk, def. Diss. *de Locatione conductione operis faciendi*, J. U. D. *cum laude.*

d. 20 Dec. JANUS CORNELIUS DE MAN, Medioburg., M. D. def. Thes. Art. Obs. D.

JOANNES HUBERTUS JOSEPHUS GUILIELMUS SCHREINEMACHER, Mosa-Traj., M. D. def. Thes. Art. Obst. D.

d. 23 Dec. DIDERICUS VAN LANKEREN MATTHES, Amstelod., publice def. Diss. *de M. Vipsanii Agrippae in remp. Rom. meritis*, Ph. T. M. et L. H. D. *cum laude.*

JANUS LUDOVICUS HUBERTUS LIEBERT, Sassa Gandensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

ANNO MDCCCXLII.

d. 13 Jan. FREDERICUS JANUS HAVER DROEZE, Dordracenus, def. Diss. *de Phrenitide*, M. D. *cum laude.*

d. 29 Jan. HERMANNUS TOLLIUS DRABBE, Leidensis, def. Diss. cont. *Quaestiones quasdam ex tit. II. libri I. C. C. Neerl.*, J. U. D. *cum laude.*

d. 5 Febr. ABEL GERARDUS VAN VELSEN WIERSMA, Franequeranus, def. Diss. *de jurisdictione voluntaria Curiae supremae*, J. U. D. *cum laude.*

JANUS SAMUEL GERRITS, Daventriensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 7 Febr. ADRIANUS PIT, ex pago Soeterwoude, def. Diss. *de jurejurando sec. C. C. Franc. et Neerl.*, J. U. D. *cum laude.*

ANTHONIUS MANGELAAR MEERTENS, Demerariensis, def. Diss. cont. *Quaestiones quasdam e jure Holl. antiquo*, J. U. D.

OTTO DANIEL JANUS BAGELAAR, Haganus, def. Thes. J. U. D.

INCREMENTA MUSEI NUMMARII
ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE
JOANNE RUDOLPHO THORBECKE
RECTORE MAGNIFICO.

CIƆIƆCCCXL—CIƆIƆCCCXLI.

Cum emtione, tum donatione Museum hoc anno auctum est

Coëmti sunt:

1°. Nummi antiqui.

a. Coloniae Caesar-Augustae (Saragossa) in Hispania.
A. Caput Augusti. P. Duo boves arantes.

b. Nummus Gallicus cum inscriptione CNICIRV.
(De nummis regulorum et populorum Galliae conf. Lelewel in opere: *Etudes Numismatiques*, *Type Gaulois et Celtique* et Combrouse *Atlas des Monnoyes nationales de France*.)

c. Tres diversi nummi Coloniae Nemausi (Nimes) in Gallia.

d. Nummus civitatis Lugduni (Lyon) imperante Tiberio cusus, cum *ara Lugdunensi*, 2ae magnitudinis sive formae, quae dicitur.

e. Nummus Bruttiorum.
A. Caput Martis. P. Mars gradiens cum clypeo et hasta.

f. Nummus Athenarum, aeneus 2ae magnitudinis.
A. Pallas galeata dextrorsum. P. Strix in diota; superne ΑΘΕ.

g. Nummus Ptolemaei, ut videtur, filii M. Antonii et Cleopatrae.

h. Decem denarii Vespasiani, Nervae, Trajani, Hadriani, Antonini Pii, Severi, Caracallae, Elagabali, Gordiani et Taciti.
In his nulli rariores, quod ad posticam attinet, sed Vir Venerandus J. A. van Waenen, Sacrorum Antistes Woerdanus, a quo hos nummos, ut et omnes Romanos, mox memorandos, nobis comparavimus, asseveravit plerosque

volventibus annis

(per longum enim annorum seriem apud Woerdanos sacro munere functus est Vir Numismatices amantissimus) inventos esse in pratis et agris civitatem Woerdanam cingentibus. Notum autem est, Romanos, etiam apud nos, diu ripas Rheni incoluisse.

i. Nummi aenei 1ae magnitudinis, Neronis, Domitiani, Nervae, Trajani, Hadriani, Aelii Caesaris, Antonini Pii, M. Aurelii, L. Veri, Faustinae majoris et minoris, Commodi, Gordiani, Alexandri Severi, Philippi senioris et junioris.
Inter hos cum posticis rarioribus, itaque non parvi pretii.

k. Nummi aenei 2ae magnitudinis,
duo Triumvirorum monetalium, Augusti, Agrippae, Tiberii, Caligulae, Claudii, Neronis, Vespasiani, Titi, Domitiani, Nervae, Trajani, Hadriani, L. Veri, Antonini Pii, Diocletiani, Maximiani.
Et in his sunt rariores.

l. Nummi aenei 3ae magnitudinis, Nervae, Hadriani, Lucillae, Maxentii, Gallieni, Saloninae, Postumi, Victorini, Tetrici, Claudii Gothici, Aureliani, Taciti, Probi, Diocletiani, Maximiani, Licinii, Constantini Magni, Helenae (?); nummi cum typis *Urbs Roma* et *Constantinopolis*, Crispi, Constantini Junioris, Constantis, Constantii, (magnitudinis quinarii) Constantii II, Magnentii, Valentiniani I, Valentis, Valentiniani II, Gratiani, Magni Maximi, Arcadii, Honorii, Constantii Galli, Constantis, Theodosii, Justini et Sophiae.
Praeterea nonnulli nummi spurii, perutiles in docenda Numismatica, nimirum ut studiosi discant genuinos a spuriis discernere.

2°. Nummi ex medio quod dicitur aevo.

a. Nummus incertus:
A. Princeps sedens, dextra gladium super genua tenet, sinistra ramum habet. Epigraphes una tantum littera o conspicitur.
P. Castellum .... LON.

b. Nummus Adolphi I vel II, Comitis Clivensis et Marcae, (uterque vixit saec°. XIV°) cum inscriptione
moneta nova de clevensi (sic).

6*

c. Nummus aeneus civitatis Trajectinae cum effigie Sancti Martini, mendico partem vestitus tribuentis, nondum editus.

d. Nummus Hispanicus Ferdinandi et Elisabethae, dictus *realis.*

e. Alter ejusdem pretii, sed diversus.

3°. Nummi ex recentiori aetate.

a. Nummi Russici, tam memoriales, quam moneta proprie sic dicta. Ex nummis memorialibus, qui describuntur in opere Ricaud de Tiregale, *Medailles de Russie.*

b. Nummi Suecici, itidem tam memoriales, quam moneta. Ex memorialibus tum qui describuntur in Brenneri opere inscripto: *Thesaurus Sueo-Gothicus*, tum qui ibi desiderantur, v. c. in mortem reginae Ulricae Eleonorae, cum inscriptione: *raro miranda nitore;* — in honorem Caroli XII: *unam pro cunctis fama loquatur;* — in memoriam pacis Alt-Ranstadensis, caet.

c. Nummus Norvegiae.

d. Nummi Daniae.

e. Nummi Poloniae.

f. Nummus Hungaricus.

g. Nummi Helvetici, tam reipublicae Helveticae (anno 1799 et 1800 cusi), quam pagorum Basileënsis, Bernensis, Friburgensis, Suitensis (Schweiz) et Tigurini (Zurich).

h. Nummi Italici; in his inprimis memorandi sunt: nummus argenteus memorialis apertae Portae, quae dicitur Sanctae, ab Innocentio X. anno 1650; — varii nummi reipublicae Venetae, v. c. in usum Insularum et Classis; in usum Insulae Cretae (Candia); cum inscriptione

ΤΟΡΝΕΣΙΑ
ΤΡΙΑΝΤΑ

et

ΙΩΑΝ. ΚΟΡΝΗΛΙΟΣ
Ο ΔΟΤΞ

alius Ducis Mocenigo; nummus Caroli III, Ducis Mediolani; alter dictus *mezzo soldo* Mariae Theresiae; alter, *bajocco*, Pii VII, Pontificis Maximi.

i. Nummi Hispanici, in his *quarto* regis Philippi III, anni 1604 (Reinhard, *Kupferkabinet*, N°. 550); *ottavo* ejusdem regis anni 1605 (Reinh. N°. 551); nummus valens 2 Maravedis regis Philippi V (Reinh. N°. 592); hoc opus, insignis pretii illi qui nummos aeneos colligit, novam editionem desiderat, quoniam numerus hujus generis nummorum proxime elapsis annis tantopere auctus est; nummus, sine indicatione anni, Balearis majoris (insulae Majorcae), valens 6 Maravedis, ut videtur, regnante Philippo V cusus.

k. Insularum Ionicarum nummus anni 1819, cum inscriptione

ΙΟΝΙΚΟΝ ΚΡΑΤΟΣ.

l. Magnae Brittanniae, etiam tam nummi memoriales, quam moneta, v. c. anni 1783 in memoriam defensae Gibraltaris cum inscriptionibus:

Elliot an Martis socius, non Jupiter ipse est.

et

Victrix in flammis, victrix Gibraltar in undis.

in memoriam Pacis Ambianensis, anno 1802 initae, cum effigie Marchionis Cornwallis; nummi dicti doppence, penny, halfpenny, farthing, regum Georgii I, II, III, IIII, in usum Angliae; Georgii I, II et III in usum Hiberniae; farthing et halfpenny insulae Monae, cum inscriptione A. D. (Antonius Derby; insulae dominus); nummus argenteus, shilling dictus, regis Georgii IV, anni 1825; praeterea multi nummi aenei Gibraltaris et provinciarum Angliae, ut et privatorum in illa regione.

m. Germaniae nummi memoriales: unus (Rudolphi I) ex serie nummorum a celebri sculptore C. Wermuth, saeculo XVIII, in memoriam Imperatorum Germanorum cusorum.

Extant complures ejusmodi series nummorum, v. c. Regum Angliae unus; Regum Francorum duo series; Pontificum Maximorum Romanorum, Imperatorum Russicorum, Regum Succiae, Ducum Lotharingiae caet.

Elegans nummus aeneus anni 1556 cum novem ditionum, ut videtur, insignibus; interior est Saxoniae Electoralis.

Apparet etiam ex hoc nummo, quanta Numismaticen inter et Heraldicam necessitudo intercedat.

Nummus anni 1582 *in usum Cancellariae Clivensis;* — nummus quadratus, magni ponderis argenteus, anni 1614, Joannis Georgii, Ducis Saxoniae. Postica habet inscriptionem:

In gladiis floret ruta ita amoena suis.

minor alter, etiam quadratus, anni 1650 cum inscriptione:

Friedengedaechtnus in Nürnberg.

praeterea alia nonnulla numismata historica, pleraque aenea, majoris minorisve momenti.

Ex moneta proprie sic dicta:

Nummus anno 1518 in usum ditionis Oetingensis (hodie in Bavaria) cusus cum effigie S. Sebastiani martyris; Thalerus in memoriam mortis Frederici Ducis Brunsvico-Luneburgensis anni 1648; elegans theca, intrinsecus coloribus regni Bavarici ornata, continens 22 Thaleros Bavaricos cum posticis historicis; nummus dictus *Kronthaler* Ferdinandi I, Imperatoris Austriae, anni 1839; Thalerus Wurtembergicus historicus anni 1835 cum inscriptione:

Handelsfreiheit durch Eintracht.

varii floreni (Guldens) Germanici recentiores; — Albus Hassiae; *Petermenger*, sive nummus 3 alborum Treviris A°. 1712 percussus; nummi civitatis Bremensis, Coloniae, Aquis Grani, Hildeshemi, Ieveri, Hamburgi, Joachimi Murat in usum Ducatus Bergensis, caet. caet.

u. Nummi Francici, in his numisma, Parisiis anno 1572 cusum, in memoriam caedis Protestantium, quae a Sancto Bartholomaeo nomen habet.

A. Rex Carolus IX, vestitu regio in solio considens, gladium dextra, manum Justitiae, sceptro affixum, sinistra tenet. Solium autem cadaveribus Huguenotorum impositum est. Inscriptio:

virtus in rebelles.

P. Arma sive insignia regis Francici intra duas columnas posita

pietas excitavit justitiam.

In ima parte (de afsnede, l'exergue)

24 Augusti

1572.

porro nummus cum effigie Turennii, in memoriam ipsius mortis A°. 1673; aliquot nummi argentei et aenei dicti *legpenningen*, cum effigie Ludovici dicti Magni, et alius cusus in memoriam Charettii, qui dicebatur *Senechal et Maire de Nantes;* — in memoriam diei anno 1814, quo rex Borussiae Aedes Monetae Lutetiae Parisiorum invisit, *Denon* dirigente, *Gayrard* nummum scalpente; nummus aeneus perrarus ditionis Cugnoni in ducatu Luxemburgensi, anno 1634 cusus; nummi argentei et aenei dicti double tournois, pièce de 2 deniers, liard, $\frac{1}{18}$ d'écu, sol, demi sol, caet. regum Ludovici XIII, XIIII, XV et XVI; praeterea Reipublicae Francicae nummi dicti 2 sous, 12 deniers, decime, cinq centimes. — Cum effigie Napoleonis nummi 5, unius et dimidii francorum, ut et 10 et 5 centesimarum; postremi hi nummi tantum in civitate Argentoratensi cusi sunt.

o. Nummi Neerlandici: halve kruisrijksdaalder Gelriae anni 1592, cujus effigiem vide in Verkadii *Muntboek der Vereenigde Nederlanden*, et multi alii nummi, tam argentei quam aenei, variarum regionum et civitatum Gelriae, Neomagi, Batenburgi, Zutphaniae, Elburgi, Hollandiae, Frisiae Occidentalis, trium civitatum Hornae, Enchusae et Medemelaci, Zelandiae, Trajecti, tam ditionis quam civitatis, Zwollae, Groningae; tandem nummus duorum francorum, anno 1812 Trajecti, imperante Napoleone, cusus.

Rarissimum omnium est specimen Thaleri (aenei sed cusi et qui vestigia servat fuisse deauratum) regionis Groninganae, dictae *Ommelanden;* cujus effigiem vide in Verkadii opere modo citato, tab. 190, n°. 1, sed non ad instar exempli genuini factam.

Donationis titulo accepimus a Magno Duce Badensi thecam elegantem, coloribus Insignium istius regionis ornatam, atque omnes nummos historicos

Badenses, quorum typaria adhuc extant, — inter quos perpulchros, continentem; sunt autem hi nummi 35 argentei et 2 aenei.

A Praefecto Numophylacii regii aliquot nummos duplarios illius Instituti; sunt autem hi nummi Neerlandici argentei atque aenei historici, nummus memorialis Belgicus anni 1790 argenteus, anni 1830 aeneus; duo nummi, moneta Belgica; nummi aenei Suecici; nummi septem memoriales Imperatoris Russici Petri I; unus Imperatoris Petri II; nummus dictus *roebel* Joannis Imperatoris, valde rarus; nummus parvus aureus et quinque argentei Imperatoris Turcici regnantis *Abdoel Mesjid;* tandem duo nummi aenei Reipublicae Chiliensis, anno 1835 cusi; sunt autem pars centesima et ducentesima Piastri.

A Viro Consultissimo J. T. Bodel Nyenhuis, in hac Urbe, insignem copiam nummorum, tam patriorum, quam peregrinorum, accepimus:

Nummos argenteos Neerlandicos, qui conspiciuntur apud Van Loon, *Ned. Historiepenn.*, T. I, pag. 196 N°. 1; pag. 253 N°. 2; pag. 571; van Loon, II, 197 N°. 1; van Loon, III, 96 N°. 3, pag. 102, 420, 564 N°. 1; aliquot nummos ex opere Looniano continuato; aeneos, quorum effigies apud v. Mieris, III, pag. 74 N°. 3 (unus, non descriptus, cum S. P. Q. Z. 1549); apud v. L. I, 66, 142 N°. 3, 318 N°. 2, 322 N°. 4, 328, 400, 414 N°. 1 et 2, 431 N°. 1, 460 N°. 1; (cum S. P. Q. Z. 1595 non descriptus) caet. caet.

Nummos monetales dictos: *ducaton* Ultrajecti anni 1749; *halve ducaton* Frisiae Occidentalis 1790; *rijksdaalder* Zelandiae 1661; halve dito 1662; dito Transisalaniae 1606; Gelriae 1622; Frisiae Occidentalis 1621; Trajecti 1776; vierde dito Zelandiae 1762; achtste dito 1762; *driegulden* Hollandiae 1680 (cum leone sine sagittis); *schelling* ejusdem provinciae anni 1601; *rijksdaalder* Trajecti anni 1807; nummos Daventriae, Camporum et Zwollae anni 1577; *rijksdaalder* civitatis Zwollae 1660; *florijn* sive *achtentwintig* Groningae et regionum circumjacentium (Groningen en Ommelanden); *achtentwintig* civitatis Zutphaniae anni 1690; praeterea multos alios nummos minoris momenti, tam argenteos quam aeneos.

Ex nummis Germanicis: nummulum aureum, quartam partem ducatus, civitatis Norimbergae; nummulum in memoriam coronationis Leopoldi in regem Bohemiae A°. 1656; mortis Anthonii Guntheri, Comitis Oldenburgi

A°. 1667 caet. caet. — praeterea multos nummos, proprie moneta dictos, tam argenteos quam aeneos; in quibus tres nummos Bracteatos Brunsvici et Luneburgi, Frisiae Orientalis, Borussiae (inter quos Thalerum Friderici cognomine Magni, anni 1719, Hieronymi Napoleonis, regis Westphaliae, porro Austriae, civitatis Metensis, Hassiae, Saxoniae, Schwarzburgi, Salzburgi, Norimbergae, Nassaviae, Jeveri, Bremae, Hamburgi, Cliviae et Marcae, caet.

Ex nummis Polonicis dictum Reichsthaler regis Wladislai IV, anni 1651; nummum civitatis Gedani, Sigisberto III° regnante, anni 1615.

Ex nummis Francicis: *pièce de* 5 *francs de la Republique Française, l'an* 9 (1798) cum inscriptione: *Union et force;* duos alios, alterum inscriptum *Bonaparte, Premier Consul, an* 12, (1801) alterum *Napoleon Empereur*, A°. 1811 cusum.

Ex Italicis nummum dictum *cinque lire* Napoleonis, anni 1811; alterum 10 *soldi* ejusdem, anni 1810; praeterea *mezzo scudo* ditionis Pontificis Maximi Romani *sede vacante* anni 1823; tandem tres alios nummos attritos.

Ex Belgicis *ducaton* Alberti et Elisabethae, anno 1618 Bruxellis cusum; *Bourgondische kruisrijksdaalder* Caroli II, anni 1689; *ducaton* Philippi V, anno 1703 cusum; *halve rijksdaalder* Alberti et Elisabethae, anni 1599; *Brabandsche schelling* anni 1624; alterum anni 1750; *quart de franc* regis Leopoldi anni 1834; praeterea aeneos aliquot rariores ex saeculo XVI°.

Ex Leodicis *demi écu* Ferdinandi Bavarici (1612—1650) anno 1613 cusum, vide opus Renessii Breidbachi, *Histoire Numismatique de Liège*, Pl. 45 N°. 14, sed ibi indicatio pretii, XXX, non occurrit; — duos alios paululum diversos.

Ex Anglicis nummum *threepence* reginae Elisabethae, anni 1566; item duos inter se diversos, *penny* dictos, ejusdem reginae; nummum Scoticum regis Jacobi, cum inscriptione *Deus tueatur unita*, nummulos Jacobi I regis Angliae, *penny* dictos, inter se diversos; *shilling* et *penny* regis Caroli I; *twopence* regis Caroli II, caet. caet.; tandem *crown* regis Georgii III, anni 1817.

Ex Hungaricis nummum dictum *poltura*, anni 1699.

Aliquot nummos Turcicos minus raros.

Nummum Moldaviae et Walachiae, anno 1773 in usum exercitus Russici ex tormentis bellicis cusum cum indicatione pretii Turcici et Russici.

Ex Orientalibus medii aevi nummum ex aere flavo, magnitudinis floreni nostri, cusum regnante Husâm-al-din-Timurtash-ben-il-Ghazi, secundo Principe Ortocida ex stirpe Il-Ghazi, intra annos 516—547 Hegirae. Dicebatur *dirhem*. Ejus effigiem vide apud Marsden, *Numismata Orientalia*, Vol. I. pag. 110, 111, N°. CII. Antea Celeb. Barthelemy jam ejus descriptionem ediderat

Nummum dictum *duit* insulae Javae cum litteris L N (Ludovicus Napoleon) anni 1809.

Quarto civitatis Caracas in America meridionali.

Tandem duo florenos Surinamenses chartaceos anni 1818.

A Juvene ornatissimo H. Nieuwenhuis, Juris Utr. in hac Universitate Candidato, septemdecim nummos Norvegicos, Danicos et Slesvico-Holsaticos, ex peregrinatione Scandinavica sibi superstites, accepimus.

In his in primis memorandi sunt: *Speciethaler* Frederici VI, anno 1837 cusum; nummum 6 marcarum, anno 1749 regnante rege Frederico V cusum cum inscriptione:

Troe love, mod og huad Dan Kongens gunst kand vinde
Mens Norge Klippe har mand skal hos Nordmand finde.

Speciethaler regis Caroli XIV Johannis, anni 1827; ½ d°. sive 60 *skillingstyk* ejusdem anni 1829; 24 *skillingstyk* ejusdem caet. caet.; memorabilis etiam est nummus Norvegicus anni 1817, in cujus inscriptione nomen Sueciae illud Norvegiae adhuc praecedit; Norvegi nimirum, Suecorum aemuli, non passi sunt in nummis Norvegicis Sueciae nomen Norvegiae anteponi.

A Viro Nobilissimo Barone Schimmelpenninck van der Oye, designato Legato Neerlandiae apud Imperatorem Russiae, quatuordecim nummos tam memoriales, quam monetam proprie ita dictam Principum Furstenbergicorum in Magno Ducatu Badensi; sunt hi nummi tam argentei quam aenei et inter rariores habentur, praesertim tanto numero conjuncti vix inveniuntur.

Misit praeterea Vir ille Nobil. nummum, qui simul moneta est et nummus memorialis, nimirum Kronthalerum Badensem, anno 1836 cusum in memoriam pacti mercatorii inter varias ditiones Germaniae, cum inscriptione: *zu ihrer Voelker Heil;* porro nummum cum effigie arcis Heidelbergicae et varios nummos Wurtembergicos, Bavaricos et Badenses.

A lectissima foemina van Medenbach, Amstelodamensi, quae curam gerit educandorum liberorum Nob. Schimmelpenninck, nummum memorialem argenteum pro fide combusti Joannis Hussi; vide ejus effigiem apud v. Mieris Vol. I. pag. 29, N°. 1; nummum quadratum, missilem, Frederici III, regis Daniae, anni 1648; nummum Trajectinum, dictum *zilveren duit*, anni 1771; tandem nummum Oldenburgicum, dictum 2 *grote* anni 1815.

Ab Ornat°. C. Kneppelhout, Juris in hac Universitate Candidato: florenum Adolphi, Ducis Nassaviae, anni 1840; praeterea tres nummulos Badenses, unum regionis *Saksen-Meiningen* et unum Pagi Helvetici, dicti *Graauwbunderland.*

Ab Ornat°. O. D. J. Bagelaar, itidem Juris in hac Universitate Candidato, duos nummos Wurtembergicos, unum regionis *Saksen Hildburghausen*, unum regionis *Waldeck*, unum Badensem, unum Ferdinandi I, Imperatoris Austriae; tandem unum Pagi Helvetici *Ticino* dicti.

Non possum quin ultimo loco hic apponam verba Delecluzii:

„Les types monétaires sont des monuments de la vie des peuples: reflet „de leurs institutions, ils font partie de l'Histoire."

P. O. van der Chijs.

INCREMENTA MUSEI NUMMARII

UNIVERSITATIS LUGDUNO-BATAVAE

J. F. VAN OORDT, J. G. Fil.

RECTORE MAGNIFICO,

CIƆIƆCCCXLI—CIƆIƆCCCXLII.

Museum hoc anno insigniter auctum est nummis cum ad rerum gestarum memoriam conservandam cusis, tum populorum commercio inservientibus, vulgo *moneta* dictis.

Hos nummos partim coëmtione, partim permutatione, partim donatione nobis comparavimus.

Coëmti sunt ex subsidiis annuis permulti nummi Romani, plures adhuc Aegyptii, regnantibus Ptolemaeis et Romanis imperatoribus Alexandriae cusi, ut et antiquissimi Orientales, peculiari catalogo ulterius descripti (et dissertatione, lingua vernacula a nobis de Britenburgo conscripto, illustrati) anno 1696 in fundamentis sive ruderibus vetustissimae arcis Britenburgicae ad mare prope Catvicum inventi; qui nummi inde ab illo tempore Roterodami nondum descripti latuerant, nunc autem feliciter sibi acquisivit Academia nostra.

Porro coëmtus est satis magnus numerus nummorum medii et recentioris aevi patriorum, tum qui in opere Gerardi van Loon describuntur, tum qui in variis provinciis Foederati Belgii et aliis Europae, Asiae et Americae regionibus ad permutandas res faciendaque negotia vel in usu erant vel etiamnum sunt.

Pecuniae summa extra ordinem ab Illustrissimis Curatoribus benevole concessa, in auctione publica nummorum defuncti Civis Leidensis J. Kleynenbergh, mense Julio, aliquot nummos magni pretii nobis acquisivimus, in primis ejusmodi nummos, qui sive Academiam, sive Civitatem Leidensem spectant.

Ope permutationis Museum auctum est nonnullis nummis memorialibus Danicis recentissimis, quibus conficiendis studia celeberrimi Thorwaldseni inservierant; hos nummos statim communicavimus cum artificibus Monetae Neerlandicae, quae Trajecti est; quibus nimirum copiam facere solemus illorum nummorum, quorum egregium artificium studiis nostrorum scalptorum utile esse potest.

Qui Illustrissimis nostrae Universitatis Curatoribus ab actis est, Vir Consult. nobis tradidit duos egregios nummos aureos unumque argenteum, ad Academiam nostram spectantes, qui in scrinio Curatorum hucusque latuerant.

Magistratus Civitatis Leidensis Museo obtulerunt sex nummos argenteos consulares, quorum effigiem partim vide in volumine I° operis Looniani; partim quodammodo typus est diversus.

Magistratus Civitatis Rheno-Trajectinae, nobis rogantibus, misit exemplar aeneum nummi cusi in memoriam quod Augustissimus Rex Guilielmus II mense Majo illam civitatem invisit.

Praefecti Societatis Regiae Anglicae, servandis naufragis dicatae, ad nos misit egregium suum nummum argenteum, quem praemii loco tradere solet.

Quae Roterodami sedem habet Societas Hollandica, itidem servandis naufragis dicata, misit nummum suum aeneum inauratum.

Societas, quae ab Utilitate Publica promovenda nomen habet, Museum ditavit nummo suo argenteo, et Societas, itidem Amstelodamensis, quae *Felix Meritis* dicitur, exemplo aeneo nummi sui.

Praefecti Orphanotrophei Civitatis (Regenten van het Burger-Weeshuis) Amstelodami miserunt, nostro etiam rogatu, nummum A°. 1820 cusum in memoriam quod utilissimum illud institutum eo anno per tria saecula post fata superstes erat.

Nobilissimus Baro Schimmelpenninck van der Oye, superiori anno cum laude commemoratus, Patriae nostrae apud Russorum Imperatorem Legatus, mense Julio ad nos misit varios nummos aeneos numero centum sexaginta, quorum 109 Russici, inter quos rarissimi, (tam ex praesenti quam ex superiori seculo) 45 Siberici, 2 Suecici, 1 Danicus et 3 qui in Republica Foederatae Americae Septentrionalis cusi sunt; mense Decembri autem idem ille Vir Nobilissimus Museum ditavit tum argenteis, tum aeneis nummis, inter quos eminent: nummus argenteus in memoriam primi Jubilaei Emendatorum Sacrorum apud Christianos per Martinum Lutherum; nummus in memoriam quod Rex Wurtembergiae mense Octobris anni 1840 vigesimum quintum regni annum impleverat, caet.

Cl. Th. van Swinderen, Professor Groninganus, Museo praesens obtulit duos nummos, in parte meridionali Frisiae, anno 1840, inventos. Unus eorum est *denarius* Francicus, Ludovico Pio, alter, itidem *denarius*, Lotario regnante cusus. Donum nobis admodum gratum.

Cl. C. L. Blume, Professor Honorarius in nostra Academia, dedit nummum argenteum recens cusum, quod Bruxellis tradere solent doctis illis viris, qui Societatis Scientiarum Regiae conventus vocati praesentia sua decorant.

Vir Venerandus H. Fangman, V. D. M. Leidensis, benigne nobis concessit alterum, quod penes ipsum erat, exemplum egregii nummi, qui anno 1807 cusus est in memoriam renovati prisci Rheni ostii, ducto canali Catviceno; opere quatuor seculis desiderato, tribus annis perfecto.

Doctissimus Ph. Fr. von Sieboldt iterum Musei opes auxit; atque hoc quidem anno nummo memoriali argenteo Pontificis Maximi Romani Benedicti XII.

Spectatissimo G. van Orden, Burgimagistro Zaandamensi, qui quotannis vel praesens dona dare, vel absens mittere solet, debemus duos nummos, *noodmunten* dictos, Jacobi II, Britanniae regis et aliquot nummos Russicos, Portugallicos ei Brasilienses.

A. le Lièvre, *ἀνὴρ μουσικώτατος*, omnibus Civibus Leidensibus notus, dedit nummum in memoriam celeberrimi Ludovici van Beethoven.

Spectatissimus C. G. Boonzaijer, Tabellio Gorinchemensis, ad nos misit duos nummos argenteos Hindostanicos, pluresque varios aeneos.

Tandem Ornatissimus J. H. Balfoort, Pharmaceuta Rheno-Trajectinus, Museo obtulit grossum argenteum perrarum Urbis Aquarum Grani, A°. 1421 cusum; est hic nummus ex primis qui *annum*, quo cusi sunt, prae se ferunt; — peritissimus nummorum Sculptor Trajectinus J. P. Schouberg exemplum aeneum nummi a se confecti in memoriam quod Fredericus, Neerlandiae Princeps, per XXV annos res Latomorum Neerlandorum magna prudentia moderatus fuerat; — J. van Heukelom J^r^., honestissimus mercator Leidensis, aliquot nummos, *legpenningen* dictos; Doctissimus H. J. Matthes H. C. filius, Gymnasii Zutphaniensis Rector, aliquot nummos argenteos et aeneos variarum ditionum, inter quos dictam rupiam Hindostanicam. — Consultissimus C. P. E. Robidé van der Aa, Judex apud Arnhemienses, nummum, anno 1815 ab Ordinibus Frisiae, honoris et memoriae causa, traditum illis qui eo anno contra Napoleontem patriae nostrae minitantem, arma sumserant; porro adhuc aliquot nummulos argenteos patrios. — Postremum Numismatices peritissimus Vir Juvenis J. F. G. Meyer, Civis Haganus, nummulum aeneum rariorem Petri III, Imperatoris Russici dedit.

P. O. van der Chijs.

FATA ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

INDE A. D. IX FEBR. MDCCCXLII A. D. VIII FEBR. MDCCCXLIII.

RECTORE MAGNIFICO

JANO VAN DER HOEVEN,

ACADEMIAE ACTUARIO

JANO FREDERICO VAN OORDT, J. G. FIL.,

ACTA ET GESTA IN SENATU.

A. 1842.

Die 5 Aprilis. Literae Curatorum cum Senatu communicant, ex Regis decreto, Viro Doctissimo W. FLEMING concessum esse titulum honorarium *Lectoris linguae Anglicae* in hac Academia.

Die 23 Junii. Recitantur literae Eorundem, quibus communicant cum Senatu decretum Regium d. d. 26 Maji h. a., quo stipendium Professoris Ordinarii ob aetatem septuagenariam emeriti tribuitur Viro Cl. M. J. MACQUELYN.

In locum G. KNIPPENBERG, fato functi, a Ministro Regio res regni internas curante, C. G. LOKKERS, artis gladiatoriae Magistri et N. J. WETRENS Musices Directoris titulis Academicis ornantur.

A. 1843.

Die 5 Januarii. Senatus designavit Viros Cl.

J. M. SCHRANT.
G. SANDIFORT.
H. G. TYDEMAN.
W. A. VAN HENGEL.

quorum nomina ad Regem deferantur, ut inde Rectorem Magnificum legat.

Senatus Actuarium creari jussit ex quatuorviris Cl.

J. van der Hoeven.
J. M. Schrant.
J. R. Thorbecke.
J. C. Broers.

Luget Senatus obitum Viri Cl. S. J. van de Wynpersse, Professoris in Facultate Philos. Theor. et Liter. Humaniorum emeriti.

Die 7 Februarii. Lecta est epistola Curatorum cum Regio decreto de lecto Rectore Magnifico Cl. J. M. Schrant.

Creati sunt Assessores quatuor Cl.

J. C. Broers.
J. R. Thorbecke.
N. C. Kist.
A. H. van der Boon Mesch.

Die 8 Februarii. Rector refert in conventu Curatorum, Rectoris et Assessorum Cl. J. van der Hoeven creatum esse Actuarium Senatus Academici in annum sequentem.

Rector cum Senatu caeterisque Professoribus in auditorium majus descendit et orationem recitavit *de aucta et emendata Zoölogia post Linnaei tempora.* (Ed. L. B. 1843.)

Tum Actuarius, ex more, legit decretum Regium de novo Rectore, et nomina actuarii et assessorum edidit.

Denique Senatus caeterique Professores novum Rectorem in Senaculum comitati sunt et salutarunt.

SERIES LECTIONUM

HABENDARUM A DIE V SEPTEMBRIS MDCCCXLII.

FACULTAS DISCIPLIN. MATHEM. ET PHYSIC.

J. van der Hoeven Zoologiae fundamenta tradet, d. Lun., Mart. et Merc., Anatomen et physiologiam comparatam, d. Jov. et Ven. horâ XI.
aestivo tempore . . . . X.
Geologiae elementa et historiam naturalem animalium fossilium praesertim vertebratorum exponet, d. Mart. et Jov. I.

C. G. C. Reinwardt Chemiam universam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis XI.
Rei Herbariae fundamenta tradet, diebus Lun., Mart. et Merc. I.
Plantarum Historiam illustrabit, verno et aestivo tempore matutino, iisdem diebus et Jovis . . . . VII.
Mineralogiae et Geologiae elementa tradet, diebus Jov. et Ven. I.

J. de Gelder Calculum Differentialem et Integralem exponet, diebus Lunae et Mercurii . . . . XII.
Mechanicam Analyticam, diebus Martis et Jovis . . . . . . XII.

P. J. Uylenbroek Physicam docebit, dieb. Lun., Mart., Merc. et Jov. XII.
Arithmeticam Universalem sive Algebram explicabit, die Jovis I.
et Veneris . . . . VIII et I.

A. H. van der Boon Mesch Chymiae doctrinam ejusque in artibus usum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis IX.
Chymiam, quae organica vocatur, docebit iisdem diebus . X.
Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii . . . . XII.
Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Jovis . . . . XII.
Experimenta instituendi artem docebit, et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.

G. J. Verdam, Prof. Extr., elementa Geometriae planae et Trigonometriam rectilineam tradet, diebus Mercurii et Jovis . . VIII.
et die Veneris . . . . IX et X.

Stereometriam et Trigonometriam Sphaericam, hujusque usum explicabit, diebus Lunae et Martis . . . . horâ VIII.

Geometriae analyticae primas lineas ducet, hujusque doctrinae usum in Geometriâ, tum elementari tum subliniori, monstrabit, diebus Lunae et Mercurii . . . . II.

Geometriam, quam vocant *describentem*, docebit die Veneris I.

Calculum Differentialem et Integralem exponet, d. Mart. et Jov. I.

Mechanicam analyticam continuabit, diebus Martis et Jovis II.

Methodum docendi Matheseos elementa futuris Gymnasiorum praeceptoribus explanabit, die Lunae . . . . XI.

F. Kaiser, Prof. Extr., Astronomiam Theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.

Astronomiam Practicam, iisdem diebus . . . . X.

Artis observandi exercitiis quotidie praeërit.

Provectioribus discipulis, disquisitiones Cl. Hansen, aliorumque, de perturbationibus, quas motus corporum coelestium patiuntur, aptis horis, commentabitur.

Astronomiam quam popularem vocant tradet, d. Merc., horâ vesp. VI.

Astronomiae primas notitias mathematicas, secundum *Lectiones Cosmographicas* a Cl. de Gelder editas, tradet eodem die horâ vespertinâ . . . . VII.

Singulos suos auditores, ad coelum, tubi optici ope, perlustrandum, aptis temporibus evocabit.

Si qui sint qui Chronographiae et Calendariographiae operam dare cupiant, in auditorum commodum horas constituet.

FACULTAS PHIL. THEOR. ET LIT. HUMANIORUM.

M. Siegenbeek Historiam Patriae, ad ductum Compendii, a se editi, enarrabit, diebus Lunae et Mercurii . . . . IX.

Jovis et Veneris . . . . X.

Vondelii Tragoediam, quae *Luciferi* nomen habet, nec non exquisita ejusdem, Hugenii, aliorumque carmina selectis auditoribus *gratis* explicare paratus est.

Exercitia oratoria moderabitur, hora, auditoribus commoda.

J. BAKE interpretabitur EURIPIDIS *Hecubam*, et PLATONIS *Symposium*, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . horâ X.

Antiquitates Atticas explicabit, ordinem secutus libri SCHOEMANNIANI, diebus Lunae et Mercurii . . . . I.

Scholas Paedagogicas habebit, iisdem diebus . . . . II.

J. NIEUWENHUIS LOGICAM docebit, ad ductum compendii, a se editi Leidae apud H. W. Hazenberg Jun., a. MDCCCXLII, d. Ven. et Sat. XI.

METAPHYSICAM explicabit diebus Jovis, Veneris et Saturni I.

HIST. PHILOS. explicabit dieb. horisque, Auditoribus commodis.

P. HOFMAN PEERLKAMP explicabit Historiam Universalem ex Summario edito Leidae apud C. C. van der Hoek, a. MDCCCXL, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XI.

Interpretabitur PLAUTI *Menaechmos*, et *Aeneidis* VIRGILII librum XII, iisdem diebus . . . . IX.

G. L. MAHNE Antiquitates Romanas tradet, d. Lun., Mart. et Merc. XII.

Historiam Artium et Doctrinarum studii apud Romanos exponet, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.

J. M. SCHRANT praecepta stili Neêrlandi seu Eloquentiae, nec non Oratoriae artis externae, tradet, dieb. Merc., Jov. et Ven. II.

Sacrae eloquentiae historiam criticam, cum veteris tum recentioris aevi, enarrabit, diebus Lunae et Martis . . . . II.

Antiq. Germanic. interpretabitur, d. et hor. Auditorib. commodis.

H. E. WEYERS Sermonis Hebraei elementa tradet, tum Grammaticâ explic., tum analyticis exercitiis moderandis, d. Lun., Mart. et Merc. VIII.

De iisdem elementis cum tironibus familiariter colloquetur, die Mercurii, horis vespertinis . . . . V—VII.

Literarum Arabicar. et Chaldaïcar. initia docebit, d. Jov. et Ven. VIII.

et die Jovis . . . . I.

In Scholis Syriacis continuabit lectionem Chrestomathiae Kirschianae, a Cl. BERNSTEINIO iterum editae, die Martis I.

Provectioribus gratificari perget interpretando *Chrestomathiam Arabicam*, a Cl. KOSEGARTENIO editam, die Lunae . . . I.

BAR-HEBRAEI Chronicon Syriacum, die Mercurii . . . . . . I.

Praefationes ad BIDPAJI Fabulas, a SACYO editas, die Veneris I.

A. Rutgers Jeremiae Vaticinia inde a Cap. XXX et ultimum Psalmorum librum interpretabitur, d. Lunae, Martis et Saturni horâ IX.

Secundum Samuelis librum cursoria lectione tractare perget, die Mercurii . . . . I.

Antiquitates Israëlitarum explicabit, d. Lun., Mart. et Merc. XII.

Si qui sint, qui linguae Sanskritae elementa sibi explicari cupiant, eorum studia lubentissime adjuvabit.

Provectioribus explicabit Kalidasae *Meghadutam* et reliquam partem Anthologiae Sanskritae a Cl. Lasseno editae, d. Sat. V—VIII.

J. Bake et P. Hofman Peerlkamp praeërunt disputandi exercitiis, diebus Jovis . . . . I.

FACULTAS MEDICA.

G. Sandifort Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . X.

Physiologiam, Anatome comparata illustratam, iisdem diebus IX.

Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore . . XII—II.

M. J. Macquelyn Supellectilem Pharmaceuticam duce Pharmacopoeâ Belgicâ explicare perget, et praecepta Diaetetica tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . VIII.

Therapiae Specialis quaedam capita tractabit cum exercitatione in Nosocomio Academico, d. Lun., Mart., Merc., Jov. et Sat. IX.

J. C. Broers Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Martis, Mercurii et Veneris . . . . XII.

Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit quotidie . . . . VIII.

Collegio Casuali, diebus Lunae, Jovis et Saturni . . . . . . XII—III.

Operationib. Chirurgicis hiberno tempore, horis dein indicandis.

Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . X.

Medicinam Forensem, die Mercurii et Veneris . . . . I.

C. Pruys van der Hoeven Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . I.

Medicinam Practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie . . . . horâ XI.
Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Jovis . . . . I.
M. J. MACQUELYN et C. PRUYS VAN DER HOEVEN disputandi exercitiis praeërunt, die Jovis . . . . III.

FACULTAS JURIDICA.

H. G. TYDEMAN Encyclopaediam Juris tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Oeconomiae Politicae principia ad patriam nostram adplicata, docebit, diebus Lunae et Veneris . . . . I.
et die Lunae . . . . II.
Jus mercatorium tractabit, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.
et die Saturni . . . . IX.
Statisticam Patriae describet, diebus Martis, Mercurii et Jovis I.
C. J. VAN ASSEN interpretabitur libros Digestorum, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . IX.
Institutiones Juris Civilis Romani, d. Lun., Mart. et Merc. VIII.
GAJI Commentarios Institutionum, et selectos auctorum classicorum locos ad Jus Civile pertinentes, horis postea constituendis.
Jus Civile hodiernum, diebus Jovis, Veneris et Saturni . . VIII.
Ordinem judiciorum et rem judiciariam privatam cum exercitationibus forensibus, die Jovis . . . . XI.
die Veneris . . . . IX et X.
H. COCK tradet Ordinem Judiciorum Criminalium, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . VIII.
Jus Publicum et Gentium, diebus Lun., Mart., Merc. et Jov. IX.
Jus Criminale, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . X.
Jus Naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . . XI.
J. R. THORBECKE explicabit Historiam Juris Romani, diebus Martis, Jovis et Veneris . . . . IX.
Historiam Europae diplomaticam a regno LUDOVICI XIV usque ad Congressum Viennensem, d. Mart., Merc. et Jov. I.

Historiam Politicam et Juris Civilis Patriae nostrae, inde a CAROLO V, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . . horâ XII.
Historicam tradet Legis Fundamentalis, cum aliis nostri aevi Legibus Fundamentalibus comparatae, interpretationem, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XI.

FACULTAS THEOLOGICA.

J. CLARISSE, quantum rerum suarum ratio patietur, juventutis Academicae commodis inservire paratus est.

W. A. VAN HENGEL Epistolae Pauli I ad Corinthios Cap. XV. interpretabitur, diebus Lunae et Jovis . . . . VIII.
Dies festos pro concione populi celebrandi viam commonstrabit, diebus Martis et Veneris . . . . VIII.
Rationem Catechismi Heidelbergensis explicandi tradet, diebus Mercurii et Martis . . . . IX.
De praecipuis Theologiae Dogmaticae capitibus auditores interrogabit, diebus Jovis et Veneris . . . . IX.
Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris V sqq.
Oratoriae Sacrae exercitationibus praeërit, die Jovis . . . . I.

N. C. KIST Historiam Ecclesiasticam docebit imprimis mediam, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Theologiam Moralem tradere perget, dieb. Lun., Merc. et Ven. XI.
Monumenta Histor. Ecclesiasticae veteris explicabit, die Martis XI.
Dogmatum, historiam exponet, diebus Jovis et Veneris . . XII.
Exercitia disputandi, de quaestionibus argumenti potissimum Historico-Theologici, moderabitur, die Saturni . . . . . . I.
Orationibus Sacris praeërit, die Martis . . . . II.

J. F. VAN OORDT, J. G. FIL., Theologiam Christianam Theoreticam tractabit, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . X.
Theologiam Naturalem explicare perget, diebus Martis et Jovis XI.
De Officiis doctorum et antistitum in coetu Christiano exponet, die Lunae . . . . X.
et Mercurii . . . . IX.

Collocutiones de Theologia Dogmatica instituet, d. Lun. et Merc. horâ I.

Propagandi Euangelii inter Protestantes studia enarrabit hora auditoribus commoda.

Publice disputandi de locis Theologicis opportunitatem praebebit, die Saturni . . . . I.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extr. ornatus, Numismaticam generalem tradere paratus est diebus et horis, quae auditoribus convenient.

J. C. E. BROUN, Litterarum Germanicarum Lector, aget de GOETHII Tragoedia, cui nomen FAUSTUS, diebus Martis et Veneris horâ post meridiem . . . . VI.

Grammatices Germanicae rudibus Grammaticam tradet, et imperitioribus, scriptis facilioribus ad intelligendum explicandis, vacabit, horis et diebus dein indicandis.

W. FLEMING, Litterarum Anglicarum Lector, explicabit SHAKESPEARII Tragoediam, quae *Macbeth* vocatur; BYRONISQUE carmen cui titulus: *Childe Harold;* d. Mart. et Ven. hora post meridiem V.

Litterarum Anglicarum minus peritis privatis institutionibus aderit, diebus et horis, quae illis convenient.

NUMERUS ADOLESCENTIUM

QUI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

STUDIIS OPERAM NAVARUNT IPSO DIE 31 DECEMBRIS MDCCCXLII.

E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM.	E FACULTATE MEDICA.	E FACULTATE JURIDICA.	E FACULTATE THEOLOGICA.	CUNCTUS NUMERUS.
8	41	190	282	111	632

In hunc numerum excepti sunt 159, qui nomina in albo professi sunt, eo tantum consilio ut hic examinarentur, ceterum in diversis Athenaeis versantur.

SERIES

CANDIDATORUM QUI GRADUM DOCTORATUS ADEPTI SUNT

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

A DIE IX FEBRUARII MDCCCXLII AD DIEM VIII FEBRUARII MDCCCXLIII.

Anno MDCCCXLII.

d. 21 Febr. Johannes Salt, Londinensis, def. Diss. *de Signis graviditatis*, M. D.

d. 4 Mart. Johannes Christophorus Spakler, Roterod., publice def. Diss. *de Ephoris apud Lacedaemonios*, Ph. Th. M. et Lit. H. D. *cum laude*. Idem J. C. Spakler, publice def. Diss. *de communione lucri et damni inter conjuges*, J. U. D. *cum laude*.

d. 9 Mart. Robertus Anderson Balfour, Dunfermlin-Scotus, def. Diss. *de Scarlatina*, M. D.

d. 11 Mart. Gerardus Janus Adolphus Mynssen, Amstelod., publice def. Diss. *de quaestione, an conductori rei immobilis jus in re locatu collatum videatur*, J. U. D. *cum laude*.

Johannes Casparus Byleveld, Haganus, publice def. Diss. *de fide instrumentorum publ., quae ad delicta probanda scribuntur*, J. U. D. *cum laude*.

d. 14 Mart. Amir Hacoob Howannes, Armenius, def. Diss. cont. *quaestiones Juris Civ. Rom*, Juris Romani D.

d. 19 Mart. Carolus Josephus Schmitz, Amstelod., def. Diss. *de Prosopalgia*, M. D. *cum laude*.

Johannes Didericus Temminck, Zwollanus, publice def. Diss. cont. *quasdam observationes Medico-practicas*, Med. D.

Adrianus Johannes Martinus Los, ex Nieuw Beyerland, def. Diss. *de Apoplexia*, M. D. *cum laude*.

d. 5 April. Guilielmus Fredericus Georgius Ludovicus d'Ablaing van Giessenburg, Haganus, def. Diss. J. U. D.

d. 8 April. Ludovicus Henricus Buse, Harlemensis, def. Diss. cont. *Annotationes ad Tit. 2. Libri II. Cod. Civ. N.*, J. U. D. *cum laude.*

d. 9 April. Jacobus Janus Boeye, Zirizea-Zelandus, def. Diss. *de Ischuria notha*, M. D. *cum laude.*

d. 11 April. Michael Jacobus Godefroi, Londinensis, def. Diss. *de Pulsu*, M. D.

Mauritius Hertzveld, Zwollanus, publice def. Diss. *de Haemorragia cerebri*, M. D. *magna cum laude.*

d. 12 April. Gerardus de Jongh, Roterod., publice def. Diss. *de oedemate glottidis*, M. D. *magna cum laude.*

d. 13 April. Cornelius Jacobus Speelman, ex Heerenveen, def. Diss. *ad Frisiae statutorum Tit.* 17. *Libri I*, J. U. D. *cum laude.*

d. 15 April. Alexander Jacobus Bake, Leodiensis, def. *quaestionibus Juris*, J. U. D. *cum laude.*

d. 18 April. Antonius Jacobus Burger, Goesa-Zelandus, def. Diss. *de Febri puerperali*, M. D. *cum laude.*

d. 20 April. Johannes Gerardus Koning, ex Bennebroek, M. D. def. Thes. Art. Obs. D.

d. 29 April. Petrus Ludovicus Franciscus Blussé, Leidensis, publice def. Diss. *de causis circumscriptae, Jure Patrio, libertatis de bonis testandi*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 30 April. Bernhardus Janus Muller, Nordhornanus, publice def. Diss. *de civilis et criminalis causae praejudicio*, J. U. D. *cum laude.*

d. 2 Maji. Jacobus Hazenberg, M. D., def. Thes. Chir. D.

d. 12 Maji. Joel Emanuel Goudsmit, Leidensis, def. Diss. *de notis Pauli et Ulpiani ad Papinianum, quae in Digestis supersunt*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 13 Maji. Cornelius Visser, Zypa-Hollandus, def. Thes. J. U. D.

d. 1 Junii. ANDREAS SCHOLTEN, Harderov., publice def. Diss. cont. *duo febris intermittentis larvatae exempla*, M. D. *cum laude*.

d. 5 Junii. NICOLAUS HENRICUS VAN CHARANTE, Roterod., publice def. Diss. *de Leeuwenhoeckii meritis in anatom. microscop.*, M. D. *magna cum laude*.

Idem N. H. VAN CHARANTE, M. D., publice def. Diss. *de Magnetismo rotatione excitato*, Math. Mag. et Ph. Nat. D. *magna cum laude*.

ANTONIUS FRANCISCUS VAN LIEROP, Endhoviensis, M. D., def. Th. Ch. D.

Idem A. F. VAN LIEROP, M. et Ch. D., def. Thes. A. O. D.

d. 11 Junii. LUDOVICUS GUILIELMUS ADRIANUS SCHUURBECQUE BOEYE, Zirizea-Zel., def. Diss. cont. *quaestiones quasdam*, J. U. D. *cum laude*.

FRANCISCUS ANTONIUS THEODORUS WEVE, Haganus, def. Diss. *de origine et progressu testamenti factionis*, J. U. D. *cum laude*.

d. 15 Junii. ADRIANUS JOANNES KORTEWEG, ex Klundert, def. Diss. *de reditibus vitalitiis*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 17 Junii. LUDOLPHUS TJARDA VAN STARKENBORGH, ex Wehe, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

LUDOLPHUS ALBERTUS KERKHOVEN, ex Twello, def. Th. J. U. D. *cum laude*.

d. 25 Junii. JACOBUS URSEL DE KEMPENAER, Arnhemiensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

JACOBUS JOHANNES RAHUSEN, Amstelod., publice def. Diss. *ad art. 170—172 Legis publicae*, J. U. D. *cum laude*.

PETRUS THOMAS VAN BRAAM VAN SON, ex Malacca, def. Thes. J. U. D.

d. 26 Junii. ANGELUS EDUARDUS CORTVRIENDT, ex Ysendyke, def. Diss. cont. *quaestiones duas*, M. D. *cum laude*.

d. 27 Junii. JOANNES JACOBUS VAN KRANENDONK, Delfensis, def. Diss. *de vitiata pectoris forma*, M. D. *cum laude*.

d. 28 Junii. PETRUS HENRICUS KOUWENHOVEN, Amstelod., publice def. Diss. *de commotione cerebri*, M. D. *cum laude*.

ASSUERUS DOYER, ABR. F., ex Joure, publice def. Diss. *de ratione inter aetatis juvenilis Physiologiam et Pathologiam*, M. D. *cum laude*.

d. 29 Junii. CORNELIUS JACOBUS FOKKER, Medioburg., def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

GUILIELMUS JACOBUS MOUNIER, Leidensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

SAMUEL EKAMA, Leidensis, J. U. D.

CORNELIUS VAN HEUKELOM, Amstelod., publice def. Diss. *de assecuratione super vita*, J. U. D. *cum laude*.

JOHANNES VAN BREDA KOLFF, Goudanus, publice def. Diss. *de abscessu cerebri*. M. D. *cum laude*.

Didericus Gisbertus van Epen, ex Veendam, M. D., def. Th. A. O. D.
Joannes Smuts, ex prom. Bonae Spei, M. et A. O. D., def. Thes. Ch. D.
d. 6 Sept. Guilielmus Didericus van Oldenborgh, ex Willemstad, def. Diss. *de phtisi pulmonum*, M. D. *cum laude*.
d. 30 Sept. Gerardus Everardus Vos de Wael, Zwollanus, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
Ludovicus Josephus Vos de Wael, Zwollanus, def. Th. J. U. D. *cum laude*.
Arnoldus Michael Helmich, Zwollanus, def. Th. J. U. D. *cum laude*.
d. 11 Oct. Dionysius Christianus Nieuwenhuis, Daventriensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
d. 12 Oct. Petrus Jacobus Hubertus Jessé, Mosa-Traj., def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
d. 14 Oct. Jacobus Nicolaus Godefridus Sassen, Sylva-Duc., publice def. Diss. *de societate commanditaria*, J. U. D. *cum laude*.
d. 15 Oct. Jacobus Penn, Dordracenus, def. Diss. *de principiis organicis nutrientibus*, M. D. *magna cum laude*.
d. 16 Oct. Michaelis Adrianus Roodenberg, Delfensis, def. Diss. *utrum phtisis sit contagiosa, nec ne*, M. D. *cum laude*.
Petrus Alidanus van Toorenburg, Haganus, def. Diss. *de scrofulosi infantium*, M. D. *cum laude*.
d. 17 Oct. Cornelius Everardus Heynsius, ex Moordrecht, publice def. Diss. *de sonis cordis*, M. D. *magna cum laude*.
Jacobus de Ligt, Roterod., def. Diss. cont. *observationes ex clinice Cl. Pr. v. d. Hoeven*, M. D. *magna cum laude*.
d. 18 Oct. Gerardus Janus Berkhoff, ex Oosterhout, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
d. 19 Oct. Petrus Jacobus Walraven, Amstelod., def. Diss. *de judice cantonali*, J. U. D.
d. 24 Oct. Franciscus Nanning de Vicq, Hornanus, def. Diss. *de nonnullis Gymnastices praesidiis*, M. D. *magna cum laude*.
d. 30 Oct. Abrahamus Everardus Simon Thomas, Amstelod., publice def. Diss. *de Morbo Syphilitico*, M. D. *magna cum laude*.
d. 7 Nov. Petrus Cornelius Visser, Haganus, def. Th. J. U. D. *cum laude*.
d. 8 Nov. Petrus Fuhri, Roterod., def. Diss. *de Nicotiana*, M. D. *cum laude*.

d. 11 Nov. CATO DIDERICUS LUDOVICUS HANEGRAAF, Leidensis, def. Diss. cont. *hist. morborum a.* 1843—1844 *in Clinice Cl. Suringar observatorum*, M. D. *magna cum laude.*

d. 13 Nov. ADRIANUS HANEDOES, Worcumensis, def. Diss. *de Ciceronis oratione pro Q. Roscio*, J. U. D. *cum laude.*

d. 15 Nov. GUILIELMUS HENRICUS JACOBUS JOLLES, Amstelod., publice def. Diss. *de absentibus in causis criminalibus*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 21 Nov. HENRICUS GUILIELMUS TROMP, Amstelod., def. Thes. J. U. D.

d. 27 Nov. DIDERICUS CAROLUS MUNTING, Sprangensis, M. D., def. Th. Ch. D.

d. 29 Nov. PETRUS JOANNES NORTIER, Roterod., M. D., def. Thes. Chir. D.

d. 7 Dec. PETRUS CYPRIANUS GUILIELMUS KLUIT, Leidensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

ROELOF HOUWINK, Meppelanus, M. D., def. Thes. Chir. D.

d. 9 Dec. JACOBUS CAROLUS GUILIELMUS QUARLES VAN UFFORD, Haganus, def. Diss. *de vi rationum externarum in patriae nostrae cond.* cet., J. U. D. *cum laude.*

JOAN QUARLES VAN UFFORD, Haganus, def. Diss. *de concilio status Franc. et Neerl.*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 13 Dec. GUILIELMUS CHRISTIANUS DE BRUYN, Haganus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

GUILIELMUS JOHANNES VAN DER LOON, Roterod., def. Th. J. U. D. *cum laude.*

d. 16 Dec. PETRUS ADRIANUS SANDER, Roterod., publice def. Diss. *de actione negatoria*, J. U. D. *magna cum laude.*

JASPARUS MAURITS GANDERHEYDEN, Sylva-Duc., publice def. Diss. *de locatione conductione operarum*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 17 Dec. JOANNES ARNOLDUS LETTE, Briellanus, publice def. Diss. *de primaria divisione actionum* cet., J. U. D.

ARNOLDUS MARINUS BLOM, Gorcumensis, def. Diss. *de summaria ratione procedendi in causis civilibus*, J. U. D. *cum laude.*

d. 18 Dec. GUILIELMUS VAN DER VLIET, Amstelod., publice def. Diss. *de jure registrationis*, J. U. D.

AUGUSTUS NICOLAUS MARINUS PIT, ex Soeterw., def. Th. J. U. D. *cum laude.*

d. 19 Dec. SAMUEL WILDSCHUT, Amstelod., publice def. Diss. *de consulatu maris*, J. U. D. *magna cum laude.*

JOANNES PETRUS VAN ETTEN, Amstelod., publice def. Diss. *de conditione foeminarum jure nostro*, J. U. D. *cum laude.*
SAMUEL WILLIAMS PARKER, Amstelod., def. Thes. J. U. D.
ANDREAS SCHOLTEN, Harderovic., M. D., def. Thes. A. O. D.
Idem ANDREAS SCHOLTEN, M. et A. O. D., def. Thes. Chir. D.
d. 20 Dec. PAULUS GERARDUS TEN ZELDAM GANSWYK, Haganus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*
JANUS FREDERICUS HENRICUS VAN DER FELTZ, ex Epe, def. Thes. J. U. D.
d. 21 Dec. HENRICUS BOURSSE WILS, ex Brouwershaven, publice def. Diss. cont. *observat. anatom. compar. de Squatina laevi*, M. D. *magna cum laude.*
FRANCISCUS LESUEUR FLECK, e prom. Bonae Spei, M. D., def. Th. A. O. D.

ANNO MDCCCXLV.

d. 9 Jan. JOANNES PAULUS STRICKER, Haganus, publice def. Diss. *de mutatione homini subeunda*, Theol. D. *magna cum laude.*
d. 20 Jan. JOBUS KOSTON DE BRUYNE, ex Noordwelle, def. Diss. *de animi pathematibus*, M. D. *cum laude.*
FRANCISCUS LESUEUR FLECK, e prom. Bonae Spei, M. et A. O. D., def. Thes. Ch. D.
NICOLAUS HENRICUS VAN CHARANTE, Roterod., M. D., def. Th. A. O. D.
d. 21 Jan. MARTINUS DES AMORIE VAN DER HOEVEN, Roterod., publice def. Diss. *de nonnullis locis veterum scriptorum*, Ph. Th. M. et L. H. D. *magna cum laude.*
Idem M. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, publice def. Diss. *de furtis ex jure XII Tab.*, J. U. D. *magna cum laude.*
d. 3 Febr. ANGELICUS EDUARDUS CORTVRIEND, ex Yzendyke, M. D., def. Thes. A. O. D.
d. 7 Febr. JOANNES BROEKHOFF, Leidensis, def. Diss. *de glandula Thymi*, M. D. *cum laude.*

INCREMENTA MUSEI NUMMARII
ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE
MDCCCXLII—MDCCCXLIII.
JANO VAN DER HOEVEN RECTORE MAGNIFICO.

Quae hoc anno, partim donatione, partim emtione, Museo accesserunt varii aevi monumenta, satis magni fuere momenti.

Ornatissimus Vir Juvenis J. D. F. Meijer, Hagae Comitis, dedit nummum aeneum, satis rarum, Civitatis Phocaeae in Ionia, qui describitur in magno opere Mionnetiano *Déscription de médailles antiques Grecques.* Spectatissimus G. van Orden, Burgimagister, ut dicunt, Civitatis Zaandamensis, qui Museum quotannis donis augere solet, dedit viginti et unum nummulos, tam argenteos, quam aeneos, Romanos (inter quos denarii Septimii Severi, Iuliae Paulae et Tetrici junioris), Gallicos et Merovingorum Francicos, Anglo-Saxonicos, tum etiam, ut videtur, quippe quod genus nummorum nondum satis exploratum atque ideo cognitum est, populorum barbarorum, qui Septentrionem Europae incoluerunt. Hos nummos die 8 Februarii 1776 in littore prope Domburgum, in insula Walacria *(Walcheren)*, emerat Adrianus Kluit, tunc Medioburgensis Gymnasii Rector, postea per multos annos Academiae nostrae lumen. Possidet multos similes nummos, sed non omnes ejusdem generis, Museum numarium Societatis Scientiarum Zelandicae, quae Medioburgi est, quorum icones, sed cum explicatione nonnumquam a vero aberrante, anno 1838 edidit Vir Cons. C. A. Rethaan Macaré, Numophylacii Medioburgensis Praefectus. Speramus fore ut nobis etiam contingat nostros aliquando in lucem prodere.

Insuper dedit Spectatissimus van Orden, nummum apud nos non saepe obvium Coloniae Francicae Pondichery, ut et nummum ecclesiasticum plumbeum Malbodiensem (Maubeuge in Francia); tandem duos antiquos nummos Siculos, anno 1842 ex illa insula in patriam allatos per Nobilissimum Virum van Hoogstraten.

Vir Spectatissimus B. Klinkert Amstelodamo misit duos nummos rariores argenteos Neerlandicos; quadratum Westfrisicum alterum, alterum rotundum Zelandicum.

Ornatissimus P. Verkade, Tabellio Flardingensis (Notaris te Vlaardingen), Numismaticus patrius notissimus, nobis misit nummos aeneos Reipublicae Graecae, Capo d'Istriâ, Viro Illustrissimo, Praefecto, cusos.

Tandem Vir Clarissimus J. van der Hoeven copiam nostram monetae chartaceae, quam variarum regionum ex duobus Orbis terrarum partibus majoribus, Europa scilicet et America, tam Septemtrionali, quam meridionali, possidemus, auxit moneta ejus generis Suecica, quam ex peregrinatione Scandinavica nobis attulit.

Coëmti sunt permulti nummi omnis fere aevi et varii generis multorum populorum, aurei, argentei, aenei, in quibus commemorandi videntur, ex *Graecis* et *Romanis:* tetradrachmum insula Thasi et aureus Sabinae Augustae, Hadriani Imperatoris uxoris, mense Martio anni 1842 inventus prope pagum ditionis Ultrajectinae Vechten, ubi Castrum Romanorum fuisse apparet. Pretium hujus nummi rari, cum effigie Deae Vestae in parte postica, (quod 14 florenis Neerlandicis nobis comparavimus) in opere Mionnetiano censetur 60 Francorum; — praeterea nummus argenteus Marci Aurelii, ut et aenei alii, prope eundem pagum, itaque etiam in solo patrio, inventi.

In nummis *medii* quod dicitur *aevi* aureus nummus Frederici Burggravii Norimbergici commemoratione dignus est, ut et alius, itidem aureus, Rudolphi a Diepholt, Episcopi Trajectensis.

In *Neerlandicis* nummus memorialis Zelandicus, anno 1584 cusus, cum inscriptione: *saevis tranquillus in undis*, cujus effigiem vide apud van Loon I, 345, N°. 1; porro nummus in honorem celeberrimi Petri Camperi, cum sequenti inscriptione a summo Philosopho Francisco Hemsterhusio facta:

ΠΟΛΛΩΝ ΑΝΤΑΞΙΟΣ ΑΝΔΡΩΝ.

praeterea aliquot nummi gentilicii *(familiepenningen)* Neerlandici, quos privati minus colligere solent, sed quos posteris conservare magni erit momenti, ad mores privatae vitae cujusque aevi apud nos rite cognoscendos; tandem aliquot nummi argentei rariores, vulgo *moneta* dicti.

In *Belgicis* nummus egregius in memoriam perfecti anno 1834 novi Theatri Antverpiensis; item nummus perpulcher in memoriam inauguratae anno 1836 primae viae in Belgio, per quam currus ope vaporis aquae ducuntur; tandem nummus in honorem celebris pictoris historici Nicolai de Keyser.

In *Germanicis* nummus, quo, seculo proxime elapso, in Borussia de genere humano bene meriti donabantur; nummus in memoriam anni memorabilis 1813; alius cum effigie Blucheri, belli ducis egregii; alii in memoriam magnorum virorum Lutheri, Goethii, Eytelweini, Rudolphii, Kielmeijeri, caet.

In *Francicis* nummus cum eximia effigie praesentis Regis Ludovici Philippi.

In *Italicis* nummus argenteus maximi moduli (Ruspone) pristinae Reipublicae Januensis *(Gemeenebest van Genua)*, insignis hodie raritatis, ut et varii nummi Pontificum Maximorum.

Praeterea nobis ex subsidiis annuis paravimus nummos *Magnae* quae dicitur *Britanniae*, in quibus duo rariores Caroli I aurei; *Russiae;* insulae Anglicae, quae, a nostro quondam Principe, *Mauritii* nomen habet, ut et *Sinenses*, *Japonicos* et regni *Anam* prope *Tonquin*.

Quum mense Septembri 1842 Amstelodami egregia nummorum collectio, quae multorum annorum spatio studiis inservierat Numismatici apud nos notissimi, Gulielmi Caroli Esdré, publice distrahebatur, benevolentia Amplissimorum Academiae Curatorum nobis concessit Museo Academiae Lugduno-Batavae aliquot nummos rariores comparare.

Atque ita nobis acquisivimus monumenta numismatica Brabantiae, Gelriae (in his antiquissima et rarissima nondum edita) Flandriae, Hollandica (tam ita dictae Westfrisiae, quam Hollandiae proprie sic vocatae), Trajectina, Frisica, Groningana, pleraque medii quod dicitur aevi; praeterea nummos rariores Civitatum Neomagi, Zutphaniae, Arnhemi, Batenburgi, Elburgi, Daventriae, Zwollae, Camporum, Groningae, itidem maximam in partem medii aevi et inediti.

JOANNE MATTHIA SCHRANT RECTORE MAGNIFICO.

MDCCCXLIII—MDCCCXLIV.

Partim coëmtis, partim permutatis, partim donatis nummis Museum hoc anno auctum est.

Coëmtus est ab honesto mercatore satis magnus numerus nummorum, maximam partem aeneorum (sestertii plerique, imo vero etiam aliquot denarii argentei), Gallicorum et Romanorum, inventus abhinc viginti circiter annis in loco dicto *Op den Ham*, vico intra urbes *Cliviam* et *Goch*. Ex his autem nummis duo sunt Gallici, quorum alter ab utraque, alter autem ab una tantum parte imaginem, eamque in posteriore nummo equi habet; neuter horum nummorum occurrit in Combrousii opere de nummis Gallicis, tam veteris et recentioris, quam medii aevi, inscripto *Monnoyes Nationales de France;* itaque a nobis forte cum aliis ineditis, quorum editionem paramus, cum Numismaticis communicabuntur; porro nummus, saepe obvius, Coloniae Nemausi *(Nimes)*, ut et nummi Augusti et Triumvirorum monetalium, Tiberii, Antoniae (Drusi Senioris uxoris), Caligulae, Claudii, Neronis, Vespasiani, Titi, Trajani, Hadriani, Antonini Pii, Faustinae (Antonini), Aelii Caesaris, M. Aurelii, Faustinae (M. Aurelii), L. Veri, Lucillae (L. Veri) Septimii Severi, Caracallae, Juliae Mamaeae (Severi Alexandri matris), Maximini, Gordiani, Otaciliae Severae (Philippi Senioris uxoris), Etruscillae (Trajani Decii), Postumi, Victorini, Valentis, Aureliani, Severinae (Aureliani), Diocletiani, Maximiani, Constantii, Helenae, Maxentii, Constantini Magni, Magnentii, Valentinianorum, Magni Maximi, Arcadii; omnes fere cum variis figuris aut emblematibus in parte postica, quarum pars descripta est in opere Mionnetiano *De la rareté et du prix des medailles Romaines* (Parisiis 1827, 2 Vol. 8°.); de universis autem nummis Romanis in genere praeclare antea jam egerat Eckhelius in immortali opere *Doctrina numorum* (Vindobonae 1797, 8 Vol. 4°.).

Praeterea coëmti sunt e nummis *Anglicis*, aureus dictus saluut (quem ita vocant propter Angelum salutantem Virginem Mariam, qui in antica conspiciuntur) regis Henrici VI (1422—1461), in Francia cusus; imaginem

hujus nummi vide in opere *Anglo-Gallic Coins* (Londini, 1826) Tab. III. N°. 1, apud Ruding *Coins and Coinage of England* (Londini, 1840) Suppl. P. II. N°. 14, et apud Combrouse *Monnoyes Nationales de France* (Parisiis, 1840) Tab. 193, N°. 1; aureus dictus Angel Reginae Mariae (1553—1558), quem vide apud Ruding Tab. IX. N°. 3; aureus, item Angel, Reginae Elisabethae (1558—1603); aureus, dictus crown, regis Jacobi I (1603—1625); nummus argenteus Anglo-Gallicus Regis Henrici V (1413—1422), dictus gros blanc, secundum Virum Doctissimum Yonge Akerman in opere utilissimo *Numismatic Manual* (Londini 1840) insignis raritatis; confectus videtur in urbe Rotomago *(Rouen)*; nummi praeterea aenei Civitatum Norwich et Gibraltar.

E *Francicis* tres nummi memoriales ex magna illa serie omnium regum Francicorum, quam, secundum optima monumenta ejusdem aetatis in sepulcris, missalibus, caet. obvia, maximo labore intra aliquot annorum spatium, proxime his elapsis annis, confecit celeberrimus nummorum scalptor Parisiensis Caqué; nummulus argenteus insignis pulchritudinis in memoriam nuptiarum Regis Henrici IV; duo nummi aurei, alter dictus Franc à cheval, Francisci, Ducis Armoricae *(Bretagne)*; alter Ecu, regis Francisci I; nummus argenteus dictus Blanc regis Caroli VII (1422—1461), cujus imaginem vide apud le Blanc, *Traité hist. des monn. de France*, p. 248, N°. 2; tandem duo nummi Baronales, alter Baronis Viennae, alter Valentiae.

E *Germanicis* nummus memorialis aeneus semirotundus Imperatoris Rudolphi II (1576—1612); nummi argentei in memoriam coronatorum regum Borussicorum Frederici I et II; nummus itidem argenteus, insignis magnitudinis, jussu civitatis Dantisci cusus in memoriam pacis, anno 1660 inter Poloniam et Sueciam sancitae; duo nummi argentei Latomorum Brunsvicensium, hucusque nondum editi in Zachariae *Numotheca numismatica Latomorum*; nummi in honorem celeb. Virorum Car. Otfr. Muelleri et Barth. Ger. Niebühri. — Ex moneta proprie sic dicta nummus aureus, quem vocant goudgulden, Civitatis Coloniae ex medio aevo; ducatus duplex Civitatis Dantisci; alter, isque simplex, Brandeburgicus; duo nummuli, partes sextae decimae ($\frac{1}{16}$) ducati Norimbergici; ex argento denarius Imperatoris Ottonis II (961—983); nummus Equitum dictorum *domini Prussiae*; antiquissimus nummus Comitatus Moersensis; Thaler duplex in Augusti, Ducis Brunsvici

et Luneburgi, mortis memoriam *(dubbelde sterfdaalder)*; praeterea multi Thaleri Moraviae, urbis Ratisbonensis, Brunsvici, Mansfeldi, Ieveri et Cniphusiae, Civitatis Lunaburgensis, Magdeburgensis, Hanoviae; nummi minores Austriae, Bavariae, Borussiae, Megalopolitanae Schwerini, Trevirorum, Nassaviae, Civitatis Francofurtensis, Badenses, Wurtembergenses, Tyrolis.

E *Neerlandicis* nummi memoriales, quorum imagines, cum justa descriptione, vide apud v. Mieris *(Hist. d. Nederl. Vorsten)* T. III, p. 9, N°. 1 (anni 1539); apud v. Loon *(Beschr. d. Ned. Historiepenningen)* I, 8 N°. 3, 29 N°. 2, 243 N°. 1, 269 N°. 1, 328, 332 N°. 2, 365, 374, 488 N°. 2, 494 N°. 1; II, 46 N°. 6, 46 N°. 7, 78 N°. 2, 417; III, 87 N° 3; IV, 564 N°. 4. Ex Loonii opere continuato *(Vervolg op de Historiep. van v. Loon)* N°. 223, uti etiam nonnulli, plerique argentei, nondum in illa Continuatione descripti; praeterea nummus argenteus, a peritissimo scalptore Boskam confectus, in memoriam Cornelii Nicolai, Leidensis, Musarum (inprimis etiam Numismatices) amici, A°. 1698 fato functi; nummus argenteus magni moduli, quo Societas, cui Symbolum: *Kunst wordt door arbeid verkregen*, anno 1779 ornavit poëtam Joannem de Kruyff pro scripta vita Sybr. Feitama; est autem hic elegans nummus opus celeberrimi Theodori van Berckel; nummus rarissimus cum inscriptione Armeniaca, nos monente Viro Doct. R. P. A. Dozy, Lit. Hum. Doctore, cusus in memoriam cujusdam Sacerdotis Armeniaci, qui vitam Amstelodami transegerat. — Ex moneta proprie ita dicta: florenus aureus qui dicitur Renensis *(Rijnsche goudgulden)* Guilielmi I, Ducis Gelriae (1372—1404), inventus quum proximis hisce annis Canalem Catvicensem ad majorem amplitudinem effoderent, ut defluentibus aquis e lacu Harlemensi capiendis aptus fieret; nummus perrarus Jacobae Bavariae, Ducissae Hollandiae, dictus Hollandsche tuin; nummus quem vocant Snaphaan, Caroli Ducis Gelriae (priore parte Saec. XVI); tum multi alii nummi Ducatus Gelriae, Civitatis Zutphaniae, Dominii Transisalaniae, Civitatum Zwollae, Daventriae, Camporum, Comitatus Hollandiae, Dominiorum Westfrisiae et Trajecti, tandem Comitatus Zelandiae; omnes, aut magnam saltem in partem, obvii in Verkadii libro *Muntboek der Vereenigde Nederlanden* (Delft 1831—1837).

Ex *Belgicis* nummi memoriales virorum Goethalsii et De Foerii, uti et nummus Societatis horticulturae, quae dicitur, promovendae Antverpiensis; —

ex moneta propria nummus dictus halve boddrager Comitis Ludovici Malensis, item Roosbeker Joannae et Wenceslai ducum Brabantiae; porro aliquot nummi Episcoporum Leodiensium.

E *Suecicis* Thalerus elegans Caroli XII, anno 1707 confectus, et alii nummi minoris moduli.

E *Danicis* Nummus argenteus deauratus in memoriam coronati regis Christiani IV, cujus effigiem vide in multis libris numismaticis; item aeneus perpulcher, duce Thorwaldseno factus, in memoriam per quinque lustra matrimonio conjunctorum praesentis Regis et Reginae Daniae; — ex moneta nummi regis Waldemari († 1241), Christiani II († 1523), Frederici II († 1533), ut et aliorum regum; tum nummi Civitatum Hafniensis et Arhusiensis.

E *Russicis* nummus minoris moduli antiquissimus; Thalerus Zelandicus, anno 1655 in Russicum nummum, urgente necessitate, conversus; nummus, dictus *Roebel*, rarior; Imperatoris, qui haud ita diu regnavit, Petri II, anno 1728 cusus; tum *poluschka* (nummus aeneus) Imperatricis Catharinae II.

E *Polonicis* nummus Regis Casimiri IV († 1492), obvius in variis libris de re numaria illius regionis, qui postremis hisce annis in lucem editi sunt.

Ex *Helveticis* nummi Pagorum Friburgensis et dicti Canton de Vaud.

Ex *Hispanicis* duo itidem accesserunt nummi et totidem ex *Portugallicis*, quorum unus Principis Michaëlis (Don Miguel).

Ex *Italicis* nummus memorialis Pauli V, Pontificis Maximi, et moneta Clementis X, anni 1679; praeterea civitatis Januensis *(Genua)*, Venetiae sub Duce Fr. Veneto, Ducatuum Mantuae, Luccae et Piombini, ut et regni Italici Napoleontici.

Ex nummis *insulae Melitae* aeneus Magni Magistri F. Emmanuelis de Rohan.

E *Turcicis* aureus Imperatoris Mustaphae II, anno 1757 cusus.

Ex *Japonicis* quinque nummi aenei et duo *ferrei;* e quibus antiquissimus, docente nos Doctissimo Hoffmanno, est anni 1668, isque cusus in provincia Nara.

Ex *Siamicis* tres nummi argentei, in formam globulorum confecti.

Tandem varia moneta chartacea *Coloniae Surinamensis.*

Ope permutationis a Clar. Serrure, Professore Gandavensi, nobis acquisivimus aliquot nummos perraros Ducatus Brabantiae et Limburgi ex medio aevo.

Donationis autem titulo accesserunt a Viro Nob. P. H. van der Wallen, prope Roterodamum habitante, aliquot nummi veteres Graeci, sed maximam partem ita temporis injuria detriti ut ampliore descriptione non opus sit.

Ab Orn. Viro de Wolff, Lochemi in Gelria, per Doctissimum W. C. H. Staring, duo oboli (forte denarii) Florentii IV vel V, Comitum Hollandiae et alii nummi minoris momenti.

A Viro Nob. saepe jam memorato, G. van Orden, Zaandami, nummus Pontificialis minoris moduli.

A Viro Spect. Kuypers, Leovardiae, nummus memorialis patria ejectorum ab Episcopo illius Ditionis Salzburgensium, reformatae Religionis Christianae sectatorum.

Ab experientissimo Botanico et Pharmaceuta, itidem Leovardiensi, Bruinsma, insignis copia nummorum aeneorum, tum peregrinorum, (ex Europa, Asia, Africa et America) tum maxime patriorum, variarum provinciarum et civitatum. Inter peregrinos commemoratione inprimis digni videntur: nummus anno 1588 cusus in memoriam Equitis Teutonici H. U. Chenberch, cum inscriptione *Landcompthur der Ballien Biesse;* nummus speciminis causa cusus *(piedfort)* Ferdinandi Episcopi Leodiensis; *pecunia insulana* Portugalliae; et nummus *Novae Caesareae (New Jersey)* in foederata America septemtrionali.

Tandem rogatu nostro Vir Nobilissimus Comes van der Duyn van Maasdam, Academiae Curator, Museo donavit exemplar nummi elegantis, quod Ordinum Hollandiae Meridionalis sumtibus Trajecti cusum est in memoriam rectae per quinque lustra illius provinciae, Gubernatoris nomine.

GERARDO SANDIFORT RECTORE MAGNIFICO.

MDCCCXLIV—MDCCCXLV.

Nummi aurei coemti sunt: Nummus rarissimus Imperatoris Romani Frederici II (1214—1250), in urbe Pergamo *(Bergamo)* cusus. Est hic nummus testis redeuntis elegantiae in nummis Italicis medii aevi, quam elegantiam frustra diu adhuc quaeras in nummis eorundem Imperatorum

Germanicis, qui per satis longum tempus admodum barbarae operae manserunt; — ducatus perrarus Matthiae Corvini (1457—1490), magni illius regis Hungariae, insignis studii numismatici Maecenatis; alter, item Hungaricus, Rudolpho II regnante cusus; ducatus Civitatis Imperialis Francofurtensis, anni 1645; nummus dictus dubbele Souverein Brabantiae et Flandriae, Maria Theresia regnante cusus; nummi Portugallici duo; alter regis Joannis III (1521—1557), alter nummus valens 10,000 Rees, sub rege Josepho I (1750—1777) cusus; — porro ducatus Reipublicae Venetae, Aloysio Mocenigo Duce; ducatus Saxonicus ineuntis saeculi XVII, cum octo protomis; — Leo aureus, ut dicitur, Ducatus Brabantiae, anni 1656; — nummus, satis rarus, anni 1617, dictus eques aureus *(gouden rijder)* Provinciae Trajectensis; — duo nummi dicti rosa nobilis *(rozenobel)*, alter Eduardi II, regis Angliae (1461—1483), alter magni momenti historici, et hucusque ineditus, Ordinum Frisiae, procul dubio cusus exeunte saeculo XVI; literarum forma in hoc nummo ita dicta Gothica sive Monachorum, tunc in communi pecunia non amplius in usu erat, atque igitur tantum adhibita, ut cum prioribus nummis ejusdem nominis Anglicis, qui tamen haud diu post in desuetudinem abierunt, similitudinem haberet; ita etiam nostro tempore Varsoviae ducati Neerlandici cusi sunt, quod genus nummorum, ut notum est, *rosas nobiles* plerumque excepit; — ducatus Brunsvicensis anni 1697; — nummus viginti florenorum perrarus, anno 1810 Ludovico Napoleone regnante, Trajecti cusus; — tandem nummus magni moduli Japonicus antiquior, Kobang vel Koepang dictus, cum typo leonis recusus Bataviae a pristina Societate Indiae Orientalis.

Nummi argentei et aenei coëmti sunt: ex medio quod dicitur aevo et recentiori aetate bracteatus, ut videtur Scandinavicus, fortasse etiam Anglicus, insignis raritatis et ineditus; dimidius Shilling, qui dicitur regis Henrici V (1413—1422). E *Belgicis* nummus Brabantiae Ducum Wenceslai et Johannae, circa annum 1356 cusus; nummus dictus Braspenning Philippi Audacis, in usum Ducatus Brabantiae; Stuferus duplex Philippi Pulcri.

E *Germanicis* obolus Imperatoris Henrici I (919—966); denarius Imperatoris Ottonis I (936—973); denarius Theoderici I, Archiepiscopi Coloniensis (1208—1214; von Merle *Kölnische Münzsamlung* (Kölln 1792) pag. 87 N°. 3); duo denarii Episcoporum Osnabrugensium, postea dicti

Dickpfennige, ut a Mogontiacis, qui eodem fere typo insigniti sunt, discernerentur; praeterea nummus, Thaler dictus, Archiducis Sigismundi (van Mieris T. I, p. 275 N°. 2), anno 1486 cusus; nummi antiquissimi Civitatum Straalsund, Stettin, Stargard, Colberg, Stolpe, Francofurti ad Viadrum et Stendal; tum Thalerus Ferdinandi Archiducis Austriae, Comitis Alsatiae e saeculo XVII, quem frustra quaeras in Berstetti opere inscripto *Münzgeschichte des Elsasses* (Friburgi 1840).

E *Francicis* duo nummi Baronum Francicorum, uti et nummus dictus grand blanc Regis Caroli VII (1422—1461).

Ex *Italicis* denarius Imperatoris Ottonis I (961—973), cusus in urbe Papia *(Pavia)*, satis rarus, quippe cujus exemplar in celeberrimo opere Clarissimi Mader, *Kritische Beyträge zur Münzkunde des Mittelalters* (Pragae 1813) Vol. I, N°. 31, valde detritum fuisse apparet; porro denarius ejusdem Imperatoris, cusus Mediolani (Lelewel, *Numismatique du moyen age.* Bruxellis 1835, Atlas, pl. XIV. N°. 53); nummus Archiepiscopi Ravennae (Lelewel pl. XV. N°. 14); tum nummi Mediolani, Siennae, Pisauri, Luccae, Florentiae aliarumque civitatum; nummus memorialis Sigismundi Malatestae, qui inter antiquissima specimina restauratae Numismatices censetur, quippe anno 1446 confectus; nummus in honorem Cornelii Bentivoli, Ferrarae anno 1552 sculptus; et nummus insignis moduli oblongi, pulcritudinis et raritatis, Reipublicae Venetae, anno 1687 in memoriam victoriarum de Turcis solo saloque reportatarum.

Ex *Neerlandicis* nummus aureus *(tiers de sol d'or)* Dorestati cusus, Madelino monetario, inventus prope hodiernum Wijk bij Duurstede cum multis nummis Dynastiarum Francicarum Merovingicae et Carolovingicae, e quibus nobis comparavimus argenteum (denarium) Pipini (752—768); tum denarios Caroli Magni (768—814), cusos Mediolani, Metulli *(Melle)*, Mogontiae, Taruis *(Treviso)*, Tolusae *(Toulouse)*, Turonis *(Tours)*; praeterea nummum rarissimum cum inscriptione: *Carlus rex Francorum et Langobardorum ac Patricius Romanorum;* porro denarii, inter quos inediti, Ludovici Pii (814—840), cusi Arelati, Coloniae, Dorestati, Mediolani, Metali (sic), Quentovici, Stratburgi (sic), Venecciis (sic), tum nonnulli Lotharii († 855) cum inscriptione *Christiana Religio* et imagine templi Christiani; quod genus nummorum, sub aliis principibus recurrens, nobis omnino tribuendum

videtur officinae monetariae Dorestadiensi, per satis longum tempus positae in confiniis religionis ethnicae et Christianae; — nummi qui habentur Caroli Crassi (882—888); (denarii) cum inscriptionibus *Dorestado* et *Papia;* tandem Museo ex auctione publica accesserunt nummus Batenburgicus, nostro fortasse tempore unicus, Giselberti, Domini de Bronckhorst; nummus in memoriam nati anno 1772 Regis Guilielmi I, factus a scalptore van Moelingen; alius in memoriam nati ipsius fratris Guil. Georg. Frederici die XV Febr. MDCCLXXIV, scalptus a Theod. van Berckel; nummus cum imagine doctissimi Medici Phoebi Hitzeri Themmen, variolarum insitionis apud nostrates propugnatoris indefessi.

Praeterea emtione privata nobis paravimus nummum obsidionalem Amstelodamensem anni 1578, quem vide apud v. Loon I, 253 N°. 1; nummum datum militibus, qui ope navis cespitibus bituminosis oneratae Castrum Bredanum anno 1590 ceperant (v. Loon I, 409); nummum in memoriam inaugurati Principis Guilielmi IV Arausiaci Bredae A°. 1717 (v. Loon continuatus N°. 117); nummum in honorem et cum effigie Baronis J. D. van der Capellen tot den Pol.

E *Suecicis* accesserunt Thalerus dictus Salvatorsthaler anni 1617, cum effigie Regis Gustavi Adolphi, quem frustra quaeras in Brenneri opere de nummis Suecicis, inscripto *Thesaurus nummorum Sueo-Gothicorum* (Holmiae 1735, 4°.).

E *Danicis* multi nummi, tum argentei, tum aenei medii aevi, quorum pars Episcoporum, pars Regum Danorum, v. c. nummus Petri III Elivi, Episcopi Arhusiensis (1240—1251), nummus Tuconis I vel II (1258—1287), Joannis Adsceri (1287—1306); tres nummi ex bellis civilibus Danicis; tres itidem regis Christophori I († 1259), nummus regis Christophori II († 1334); regis Erici Pommerani cum inscriptione *moneta Nestwed;* regis Joannis (1481—1513); moneta Ripensis regis Christiani III, anno 1635 cusa; tandem nummus, dictus speciedaalder, regnorum Daniae et Norvegiae, anni 1796; magna pars horum nummorum descripta est in elegantissimo opere inscripto *Beskrivelse over Danske Mynter og Medailler* (Hafniae 1791—1794).

E *Polonicis* nummus parvus regis Sigismundi (1592—1632) et magnus nummus regis Stanislai Augusti, anno 1777 cusus.

Ex *Hispanicis* nummus communis Henrici, regis Castiliae, et Johannis, regis Legionis, ex fine saeculi decimi quarti.

Ope permutationis acquisivimus specimen *(piedfort)* nummi rarissimi Civitatis Zutphaniae, anni 1480; magnum nummum obsidionalem Civitatis Groninganae, anno 1672 cusum, cujus imaginem vide apud v. Loon III, 96, N°. 1.

Dona Museo obtulerunt:

Amplissimi Academiae Curatores duo nummos argenteos, a Sculptoribus J. P. Schouberg Trajecti et M. C. de Vries Amstelodami confectos, in memoriam Augustissimi Regis Guilielmi I, die 12 Dec. 1843 Berolini defuncti.

Liberi Ornatissimi Viri P. Smidt van Gelder, dum viveret eximii numophylacii possessor in pago Wormerveer, nummum argenteum cum effigie defuncti, in ipsius memoriam cusum.

Vir Doct. Ph. Fr. von Sieboldt, apud nos degens, nummum argenteum elegantissimum, quem anno 1830 Gandavensis Societas ei obtulerat, quum regnum Belgicum novis plantis Japonicis ditasset, tum quatuor nummos memoriales, scilicet: instauratae anno 1842 ulterioris exstructionis turris alterius Aedis Metropolitanae Coloniensis; decretae a Germanis Arminio statuae; apertae a rege Bavarico Panthei Germanici dicti *Walhalla;* et Jubilaei saeculi undecimi Cathedrae episcopalis Wirceburgensis in Bavaria anno 1843. Omnes hi nummi sunt opus eximii sculptoris J. J. Neuss Augustae Vindelicorum.

Amplissimus G. van Orden, Zaandami, nummum argenteum Henrici VIII regis Angliae; nummum Benthemensem rariorem; quinque nummos aeneos, item rariores, in quibus Atheniensis antiquus a Mionneto descriptus; tum quatuor nummos Comitis Philippi cognominati Pulchri *(Filipsstuivers).*

Vir Doct. L. J. F. Janssen, Musei archaeol. Conservator, duos nummos aeneos, quorum alter, anni 1616, Civitatis Bocholt in Borussia (vide Niesert, *Münzkunde des ehemaligen Fürst-Bisthums Munster*, N°. XXXI*); alter nummus Portugallicus, valens X Rees, anni 1720.

Vir Doct. C. R. Hermans, Sylvae Ducis, Numophylacio Societatis eruditae Brabantiae Septentrionalis Praefectus, nomine illius Societatis dedit septem nummos diversos, dictos *Filipsstuivers*, Ducis et Comitis Philippi, cognominati Pulchri, supra modo memorati; praeterea exemplar aeneum nummi quem illa Societas eruditis praemii loco tradere solet.

Ornat. C. G. Boonzaaijer, Tabellio Gorinchemensis, cujus liberalitatem saepe jam agnovimus, misit quatuor nummos aeneos, *legpenningen* dictos, descriptos in Loonii volumine primo.

Ornat. A. Kleynenberg, in hac urbe degens, nummum dictum Gros Tournois regis Francici Philippi Pulchri (1270—1285) et nummum minoris moduli Germanicum.

Ampl. van Ryckevorsel, prope pagum Rijsenburg degens, duos nummos diversos argenteos in memoriam consecrati die 1 Aug. 1810 novi templi Catholici in pago Rijsenburg. Alter horum nummorum est rarissimus.

Juvenis Ornatissimus C. van Bell, Juris in hac Academia Studiosus, obtulit Museo aliquot nummos argenteos et aeneos, plerosque patrios.

Vir Cons. S. C. Snellen van Vollenhoven, in hac urbe, nummum argenteum, cujus imaginem vide apud van Loon, III, p. 74; aliquot nummos Francicos, item argenteos, Regum Ludovici XIV et XV; nummum Danicum et Germanicum, argenteos omnes.

Vir Cons. J. T. Bodel Nyenhuis, alius nomine, nummulum argenteum Reipublicae foederatae Americae Septentrionalis, dictum *dime* ($\frac{1}{10}$ *Dollar*).

Doct. J. Morin, ex urbe Lausanne in Helvetia, nummum quatuor Francorum Helveticorum, anno 1812 in Pago Appenzell cusum.

Vir honestus D. Oudshoorn, prope hanc urbem habitans, misit nummum Anglicum cum inscriptione altera Anglica altera Arabica, in memoriam sublati ab Anglis anno 1807 Afrorum commercii, ut et alios minoris momenti nummos aeneos.

Tandem Clar. C. L. Blume, Herbario Regni Praefectus, nummum insignis pulchritudinis, quem cum effigie et in memoriam Eruditissimorum Olbersii et Trevirani faciundum curaverant Bremenses, quum mense Septembri anni proxime elapsi Naturae Curiosi in urbe sua conventum annuum solitum haberent.

P. O. van der Chijs.

FATA ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

INDE A. D. IX FEBR. MDCCCXLV AD D. IX FEBR. MDCCCXLVI.

RECTORE MAGNIFICO

HENRICO GUILIELMO TYDEMAN,

ACADEMIAE ACTUARIO

JOANNE RUDOLPHO THORBECKE.

ACTA ET GESTA IN SENATU.

A. 1845.

Die 19 Februarii. Curatores d. 17 Febr. nuntiaverunt Cl. ERMERINS, in locum Cl. UYLENBROEK huc vocatum, in statione Groningana permanere maluisse.

Die 31 Maji. Epistola Curatorum d. 7 April. nuntiatur, regio decreto d. 22 Febr. Doct. R. P. A. DOZY designatum esse Interpretis Legati Warneriani adjutorem.

Epistola Curatorum d. 24 April. adfertur regium decretum d. 5 April., quo Cl. G. J. VERDAM creatur Prof. Ord. et Doct. P. L. RYKE, Prof. in Athenaeo Mosa-Trajectino, Prof. Extraord. in Facultate Disciplinarum Math. et Phys.

Duabus Curatorum epistolis d. 2 et 20 Maji certior redditur Senatus de Virorum Illustrium F. G. VAN LYNDEN VAN HEMMEN et H. COLLOT D'ESCURY VAN HEINENOORD tristi obitu.

Die 21 Junii. Vir Clar. T. G. J. JUYNBOLL munus Prof. Ord. in Facultate Literaria auspicatus est, habita oratione *de praecipuis progressibus, quos literae Semiticae hoc ipso decennio fecerunt.* (Ed. L. B. 1845.)

Die 20 Septembris. Vir Cl. P. L. RYKE munus auspicatus est, habita oratione *de meritis Viri Cl. P. J. Uylenbroek.*

Lecta est epistola Curatorum d. 26 Julii, nuntians decreto regio Cl. W. H. DE VRIESE, Prof. in Athen. Amstelod., loco Cl. C. G. C. REINWARDT, Prof. Ord. in Fac. Disc. Math. et Phys. esse constitutum.

Epistola Curatorum d. 20 Sept. adfert decretum regium d. 9 Sept. quo Vir Doct. J. H. STUFFKEN, Theol. Doct., loco Cl. J. NIEUWENHUIS, ad ordinariam professionem in Facultate Literaria vocatur.

Die 27 Septembris. Cl. W. H. DE VRIESE munus auspicatus est oratione, *de re herbaria Batavis non minus, quam reliquis Europae populis, excolenda.*

Die 22 Novembris. Epistola Curatorum d. 4 Junii nuntiatum est, Virum Amplissimum H. J. VAN DOORN VAN WESTCAPELLE, regis decreto d. 10 Maji successorem in Curatorum collegio datum esse Viro Ampl. VAN LYNDEN VAN HEMMEN.

Epistola Curatorum d. 21 Nov. ad Senatum refertur Virum Amplissimum J. A. VAN DER HEIM VAN DUIVENDYKE, in locum Ampl. COLLOT D'ESCURY VAN HEINENOORD, Academiae Curatorem regis decreto esse suffectum.

A. 1846.

Die 13 Januarii. Senatus designavit quatuor Professores, quorum nomina ad Regem deferantur, ut inde Rectorem Magnificum in proximum annum legat, Viros Cl.

J. H. SCHOLTEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
A. RUTGERS.
G. C. B. SURINGAR.

Jubet dein, novum Actuarium creari ex quatuorviris Cl.

G. C. B. Suringar.
J. H. Scholten.
A. H. van der Boon Mesch.
A. Rutgers.

Die 6 Februarii. Lectae sunt literae Curatorum d. 16 Januarii, nuntiantes regio decreto Cl. Scholten, Prof. extraord. in Fac. Theol., creatum esse in eadem Facultate Prof. Ordinarium.

Epistola Curatorum d. 6 Febr. accepit Senatus decretum regium d. 30 Jan., quo Cl. J. H. Scholten constituitur in proximum annum Rector Magnificus.

Literis Curatorum d. 2 Febr. adfertur decretum Regis d. 20 Jan., quo Doct. C. G. Cobet creatur in Facultate Literaria Prof. extraord.

Rectori futuro Assessores dati sunt Cl.

W. H. de Vriese.
J. M. Schrant.
G. C. B. Suringar.
C. J. van Assen.

Die 9 Februarii, quo, quoniam d. 8 Febr. dies solis fuit, ex Senatus decreto, dies Academiae natalis celebratus fuit, in proximum annum Actuarius creatur Cl. G. C. B. Suringar; dein Rector cum Senatu caeterisque Professoribus in Auditorium majus descendit et orationem habuit, qua, *narratis Academiae anno peracto fatis, uberius rationes reddidit, cur non uteretur facultate, art.* 251 *decreti regii d.* 2 *Aug.* 1815 *data amplioris sermonis habendi.*

SERIES LECTIONUM

HABENDARUM POST FERIAS AESTIVAS A. MDCCCXLV.

FACULTAS JURIDICA.

H. G. TYDEMAN Encyclopaediam Juris tradet, d. Lun., Mart. et Merc. horâ XII.
Oeconomiae Politicae principia ad patriam nostram adplicata, diebus Lunae et Veneris . . . . I.
et die Jovis . . . . XI.
Statisticam Patriae describet, dieb. Martis, Mercurii et Jovis I.
Juris *Hollandici*, apud nos inde ab an. 1808 antiquati, sed in Coloniis nostris adhuc vigentis, principia, juxta Clar. KEESSELII, Praeceptoris sui, *Theses Jur. Holl.*, his qui desideraverint tradere paratus est.

C. J. VAN ASSEN interpretabitur libros Digestorum duce Westenbergio, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . IX.
Institutiones Juris Civilis Romani, d. Lun., Mart. et Merc. VIII.
GAJI Commentarios Institutionum, et selectos auctorum classicorum locos ad Jus Civile pertinentes, hor. post. constituendis.
Jus Civile hodiernum, diebus Jovis et Veneris . . . . VIII.
die Lunae . . . . II.
Ordinem judiciorum et rem judiciariam privatam cum exercitationibus forensibus, die Jovis . . . . IX.
die Veneris . . . . IX et X.

H. COCK tradet Ordinem Judiciorum Criminalium, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . VIII.
Jus Publicum et Gentium, diebus Lunae, Martis et Mercurii IX.
Jus Criminale, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . X.
Jus Naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . . XI.

J. R. THORBECKE explicabit Histor. Jur. Rom., d. Lun., Mart. et Merc. I.
Historiam Europae diplomaticam a regno LUDOVICI XIV usque ad Congressum Viennensem, iisdem diebus . . . . XII.
Jus Mercatorium, iisdem diebus . . . . XI.

FACULTAS THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL Euangelistarum locos, qui ad JESU, ita dictam, *Passionem* pertinent, interpretabitur, d. Lun., Merc. et Vener. horâ VIII.
Hermeneuticae librorum Novi Testamenti institutionem persequetur, diebus Martis et Jovis . . . . VIII.
Rationem Catechismi Heidelbergensis pro populi concione tractandi explicabit, diebus Lunae et Martis . . . . . . IX.
Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris V sqq.
Oratoriae Sacrae exercitationibus praeërit, die Jovis . . . . I.

N. C. KIST Historiam Ecclesiasticam docebit imprimis mediam, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Christianae morum Disciplinae partem exponet cum historicam, tum practicam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris XI.
Scriptorum Christianorum Historiam Literariam tradet, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.
Historiae Ecclesiasticae Veteris monumenta exponet, die Martis XI.
Exercitia disputandi moderabitur, die Saturni . . . . II.
Orationibus Sacris praeërit, die Martis . . . . II.

J. F. VAN OORDT, J. G. FIL., Theologiam Christianam Theoreticam tractabit, diebus Mercurii, Jovis et Veneris . . . . IX.
Evangelii Johannei septem ultima capita cum commilitonibus leget, diebus Lunae et Mercurii . . . . X.
Institutionem Oratoris et Antistitis S. tradet, d. Mart. et Jovis X.
Quibus, verno tempore, adjunget exercitia homiletica et oratoria, die Mercurii . . . . I.
Encyclopaediae Theologicae initia tractabit, die Veneris . . X.
Publice disputandi de locis Theologicis opportunitatem praebebit, die Saturni . . . . I.

J. H. SCHOLTEN, Prof. Extr., Theologiam Naturalem exponet, d. Lun. I.
Aliâque horâ deinceps indicandâ.
Introitum tradere perget in libros N. F., disquisitione criticâ de authentiâ Euangelii Johannis, diebus Jovis et Veneris I.

Confessionem Belgicam interpretabitur, diebus Martis . . . horâ I.
et Jovis . . . . XI.
Cum provectioribus leget Evangelium Marci, comparatis Synopticorum locis parallelis, alternis hebdomadibus, die Saturni horâ vespertina . . . . VII—X.
Orationibus sacris praeërit, die Mercurii . . . . II.

FACULTAS DISCIPLIN. MATHEM. ET PHYSIC.

C. G. C. Reinwardt Rei Herbariae fundamenta tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . I.
Plantarum Historiam illustrabit, verno et aestivo tempore matutino, iisdem diebus et Jovis . . . . VII.
J. de Gelder Civium academicorum studia adjuvare paratus est, si qui sint, qui mathematicarum disciplinarum Capita selecta sibi explicari cupiant.
J. van der Hoeven Zoologiae fundamenta tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii, Anatomen comparatam, dieb. Jov. et Vener. XI.
aestivo tempore . . . . X.
Anthropologiam exponet, diebus Martis et Jovis . . . . . . I.
Primas lineas physiologicae comparatae docebit hora auditoribus commoda.
A. H. van der Boon Mesch Chymiam corporum inorganicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . . IX.
Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit iisdem diebus XI.
Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii . . . . XII.
Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Jovis . . . . XII.
Experimenta instituendi artem docebit, et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.
G. J. Verdam elementa Geometriae planae et Trigonometriam rectilineam tradet, die Mercurii . . . . VIII.
die Jovis . . . . IX et X.
et die Veneris . . . . IX.

Stereometriam et Trigonometriam Sphaericam, hujusque usum explicabit, diebus Martis et Jovis . . . . horâ VIII.

Arithmeticam Universalem sive Algebram explicabit, diebus Martis et Jovis . . . . II.

et Veneris . . . . VIII.

Calculum differentialem et integralem bis per hebdomadem tradet, itemque *Mechanicam analyticam; Methodum*, quam vocant *quadratorum minimorum*, tradet semel per hebdomadem.

Methodum docendi Matheseos elementa futuris Gymnasiorum praeceptoribus explanabit.

F. Kaiser Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.

Astronomiam Practicam, iisdem diebus . . . . X.

Artis observandi exercitiis quotidie praeërit.

Theoriam motus corporum coelestium, secundum Cl. Gauss tradet, diebus et horis auditoribus commodis.

Provectioribus discipulis, disquisitiones Cl. Hansen, aliorumque, de perturbationibus, quas motus corporum coelestium patiuntur, aptis horis, commentabitur.

Astronomiam quam popularem vocant tradet, diebus Lunae et Mercurii, horâ vespertinâ . . . . V.

Astronomiae primas notitias mathematicas tradet, iisdem diebus, horâ vespertinâ . . . . VI.

Singulos suos auditores, ad coelum, tubi optici ope, perlustrandum, aptis temporibus evocabit.

Si qui sint qui Chronographiae et Calendariographiae operam dare cupiant, in auditorum commodum horas constituet.

P. L. Rijke, Prof. Extr., postquam inauguratus fuerit, Physicam docebit experimentalem, d. Lun., Mart., Merc. et Jov. XII.

Physicam Mathematicam tradet, diebus Lunae et Martis . VIII.

FACULTAS PHIL. THEOR. ET LIT. HUMANIORUM.

M. Siegenbeek propter aetatem septuagenariam rude donatus, quantum per vires licebit studiosae juventuti prodesse conabitur.

J. Bake enarrabit *Ciceronis de Natura Deorum libros III*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, adjunctis disputandi exercitationibus, die Jovis . . . . horâ IX.

Interpretabitur *Sophoclis Ajacem*, et *Platonis Phaedrum*, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . X.

Locum ex Antiquitatibus Atticis de *Iudiciis* explicabit, diebus Lunae et Mercurii . . . . I.

Scholas Paedagogicas habebit, iisdem diebus . . . . II.

P. Hofman Peerlkamp explicabit Historiam Universalem, dieb. Lunae, Martis et Mercurii . . . . XI.

Quaestiones ad disputandum ponet, die Jovis . . . . XI.

Interpretabitur loca selecta ex Carmine *T. Lucretii Cari de Rerum Natura*, die Veneris . . . . XI.

G. L. Mahne Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.

Historiam Artium et Doctrinarum studii apud Romanos exponet, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.

J. M. Schrant Historiam Patriae enarrabit, d. Lun., Mart. et Merc. II.

Praecepta styli Neërlandi seu Eloquentiae, nec non Oratoriae artis externae, tradet diebus Jovis, Veneris . . . . II.

et die Saturni . . . . XII.

Eloquentiae historiam criticam, cum veteris tum recentioris aevi, enarrabit, diebus et horis auditoribus commodis.

A. Rutgers *Jesajae* Vaticinia inde a Cap. XL et *Psalmos* selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis . . . . IX.

et die Mercurii . . . . I.

Primum *Regum* librum cursoria lectione tractare perget, d. Jovis XII.

Antiquitates Israëlitarum explicabit, d. Lun., Mart. et Merc. XII.

Si qui sint, qui linguae Sanskritae elementa sibi explicari cupiant, eorum studia lubentissime adjuvabit.

Grammaticam Sanskritam docebit et Anthologiam Sanskritam a Cl. Lasseno editam explicabit, die Jovis . . . . I—III.

Kalidasi Sakuntalam explicabit, die Veneris . . . . I—III.

Hitopadesam et *Kalidasi Meghadutam* interpretabitur, d. Ven. V—VIII.

T. G. J. JUYNBOLL Sermonis Hebraei elementa (duce Cl. ROORDA) tradet, tum Grammaticâ explicandâ, tum analyticis exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis, Mercurii . . . . horâ VIII.
et die Jovis . . . . I.
Literarum Arabicarum, Chaldaicarum et Syriacarum initia docebit (duce Cl. ROORDA, WINERO, UHLEMANNO), diebus Jovis et Veneris . . . . VIII.
et die Lunae et Martis . . . . I.
Cum provectioribus Chrestomathiam leget Arabicam Cl. KOSEGARTENII, die Veneris . . . . I.
Coranum tempore mox definiendo.
Chrestomathiam Syriacam KIRSCHII a Cl. BERNSTEINIO iterum editam, die Mercurii . . . . II.

Lectiones de *Logica*, *Metaphysica* et *Philosophiae Historia* dein, quando vacuo loco prospectum erit, indicabuntur.

FACULTAS MEDICA.

G. SANDIFORT Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . X.
Physiologiam, Anatome comparata illustratam, iisdem diebus IX.
Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore . . I—III.
M. J. MACQUELYN quantum rerum suarum ratio patietur, juventutis Academicae commodis inservire paratus est.
J. C. BROERS Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Martis, Mercurii et Veneris . . . . XII.
Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit quotidie . . . . VIII.
Collegio Casuali, diebus Lunae et Jovis . . . . XII—III.
Operationibus Chirurgicis hiberno tempore, horis dein indicandis.
Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . X.
Medicinam Forensem, die Mercurii et Veneris . . . . II.

C. Pruys van der Hoeven Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . horâ I.
Medicinam Practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie . . . . XI.
Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Jovis . . . . I.
G. C. B. Suringar Therapiam generalem docebit, diebus Martis, Jovis et Saturni . . . . XII.
Pharmacognosin et naturalem remediorum Historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . XII.
Therapeuticum remediorum usum indicabit, d. Merc. et Ven. I.
Doctrinam morborum singularium tradet, d. Lun., Mart. et Jov. I.
Praxin medicam, ad lectulos aegrotantium, moderabitur, diebus singulis . . . . IX.
C. Pruys van der Hoeven et G. C. B. Suringar disputandi exercitiis praeërunt, die Jovis . . . . III.

P. O. van der Chijs, titulo Prof. extr. ornatus, Numismaticam generalem tradere paratus est diebus et horis, quae auditoribus convenient.

J. C. E. Broun, Litterarum Germanicarum Lector, aget de Goethii dramate, cui nomen *Iphigenia in Tauris*, ejusdemque Carmine *Hermanno et Dorothea*, diebus Martis et Veneris horâ post meridiem . . . . VI.
Grammatices Germanicae imperitos Grammaticam docebit, et imperitioribus, scriptis facilioribus ad intelligendum explicandis, vacabit, horis et diebus dein indicandis.
W. Fleming, Litterarum Anglicarum Lector, explicabit Shakespearii Tragoediam, quae *Merry Wives of Windsor* vocatur, Poetaeque Scott carmen cui titulus: *Lay of the Last Minstrel*, diebus Martis et Veneris horâ post meridiem . . . . V.
Litterarum Anglicarum minus peritis privatis institutionibus aderit, diebus et horis, quae illis convenient.

NUMERUS ADOLESCENTIUM

QUI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

STUDIIS OPERAM NAVARUNT IPSO DIE 31 DECEMBRIS MDCCCXLV.

E FACULTATE JURIDICA.	E FACULTATE THEOLOGICA.	E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM.	E FACULTATE MEDICA.	CUNCTUS NUMERUS.
283	104	11	39	152	589

In hunc numerum excepti sunt 152, quorum

in Facultate	Juridica	62
〃 〃	Theologica	30
〃 〃	Disc. Math. et Phys.	1
〃 〃	Phil. Theor. et Litt. Hum.	10
〃 〃	Medica	49
		152

qui nomina in albo professi sunt, eo tantum consilio ut hic examinarentur, ceterum in diversis Athenaeis versantur.

SERIES

CANDIDATORUM QUI GRADUM DOCTORATUS ADEPTI SUNT

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

A DIE IX FEBRUARII MDCCCXLV AD DIEM VIII FEBRUARII MDCCCXLVI.

ANNO MDCCCXLV.

d. 14 Febr. ANTONIUS JACOBUS BURGER, Goesanus, M.D., def. Thes. A. O. D.

d. 20 Febr. JOHANNES BERNHARDUS LOMAN, Bodegravensis, publice def. Diss. cont. *Annot. in Plautum et Terentium*, Ph. Th. M. et L. H. D. *magna cum laude*.

d. 6 Mart. MARTINUS MARIUS ALEXANDER COUPYN, Surinamensis, def. Diss. *de digitali purpurea*, M. D. *cum laude*.

d. 8 Mart. MEINARDUS PETRUS ANTONIUS COSTER, Amstelod., def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

JOHANNES HENRICUS COSTER, Amstelod., def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

d. 15 Mart. RUTGERUS JANUS SCHIMMELPENNINCK, Hollandus, publice def. Diss. *de jure venationis*, J. U. D. *magna cum laude*.

ARNOLDUS PAULUS VAN DER MERSCH, Amstelod., publice def. Diss. *de potestate mariti in uxorem*, J. U. D. *cum laude*.

GUILIELMUS CORNELIUS BACKER, Amstelod., publice def. Diss. *de crimine repetundarum apud antiquos Rom.*, J. U. D. *cum laude*.

GUILIELMUS PETRUS VAN RHYN, ex Zwammerdam, def. Diss. *de Sialolithiasi*, M. D.

d. 15 April. CHRISTIANUS JANUS VAN KETWICH, Zwollanus, publice def. Diss. *de Simonia*, Theol. D. *magna cum laude*.

d. 19 April. HANS KOFOED, Amstelod., publ. def. Diss. *de Cort. peruv.*, M. D.

d. 28 April. ABRAHAMUS EVERARDUS SIMON THOMAS, Amstelod., M. D., def. Thes. Art. Obst. D.

d. 2 Maji. PETRUS ALIDANUS VAN TOORENBURG, Haganus, M. D., def. Thes. Art. Obst. D.

d. 3 Maji. JACOBUS PETRUS KRAAKMAN, Alcmariensis, def. Diss. *de Narcoticis inpr. de opio*, M. D. *cum laude.*

d. 13 Maji. LEONARDUS JOHANNES RUYSSENAERS, Rot., M. D., def. Th. A. O. D.

d. 16 Maji. ANDREAS JACOBUS THOMAS, Leidensis, def. Diss. *de hyosciamo nigro*, M. D. *cum laude.*

d. 21 Maji. DIDERICUS JANUS CASPARUS LUTTENBERG, Zwollanus, def. *Quaestionibus juridicis inauguralibus*, J. U. D. *cum laude.*

d. 23 Maji. JOHANNES MARIUS FUCHS, Amstelod., publice def. Diss. cont. *nonnullas historias morborum*, M. D. *magna cum laude.*
JACOBUS DE LA MAR, Amstelod., publice def. Diss. *de morbo varioloso*, M. D. *cum laude.*

d. 29 Maji. ABRAHAMUS VAN AKERLAKEN, Hornanus, def. Diss. *de diligentia boni patris-familias, jure Neerl.*, J. U. D. *cum laude.*

d. 30 Maji. BERNARDUS VAN DER HAAK, Haganus, publice def. Diss. *de portione legitima*, J. U. D. *cum laude.*

d. 5 Junii. NICOLAUS HENRICUS VAN CHARANTE, Rot., M. D., def. Th. Ch. D.

d. 6 Junii. JANUS PYNAPPEL, Amstelod., publice def. Diss. cont. *Vitas ex Lexico Ibn-Callicanis, quae non exstant, nisi in Cod. Amstel.*, Ph. Th. M. et L. H. D. *magna cum laude.*

d. 13 Junii. ENGELBERTUS JACOBUS JOHANNES KLEYN, ex Oud-Beyerland, def. Diss. *de vi tuberculorum pulmonalium* cet., M. D. *cum laude.*

d. 14 Junii. ABRAHAMUS GUILIELMUS HESS, Amstelod., publice def. Diss. *de paralysi saturnina*, M. D. *cum laude.*
CHRISTIANUS LUDOVICUS OLDENBURG, Amstelod., publice def. Diss. *de rheumatismo*, M. D. *cum laude.*

d. 16 Junii. JOHANNES HIERONYMUS BEAUJON, ex Curacao, publice def. Diss. *de modis acquirendi jus civitatis Rom.*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 18 Junii. JACOBUS JOACHIMUS GEFKEN, Harlemensis, def. Diss. *de Typho*, M. D. *cum laude.*

d. 20 Junii. GUILIELMUS HENRICUS VAN MUNSTER, Noviomag., def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 21 Junii. LUDOVICUS HENRICUS SPRENGER, Medioh., def. Th J. U. D. *c. laude.*

d. 24 Junii. GUILIELMUS JANUS VAN VOLLENHOVEN, Roterod., def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

JOHANNES HAZEU, ex Uitgeest, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

d. 25 Junii. JOLLE GABE VEENING, ex Hellendoorn, def. Th. J. U. D. *cum laude*.
JAN JACOBUS HENRICUS VAN REENEN, Amstelod., publice def. Diss. *de mensis ad servandam pauperum pecuniam institutis*, J. U. D. *cum laude*.
MONTANUS LAURENTIUS HENRICUS VAN ALBADA DE HAAN HETTEMA, Leovardiensis, def. Thes. J. U. D.

d. 27 Junii. JOHANNES GERHARDUS ARNOLDUS BATENBURG, Grollensis, def. Thes. elaboratis, M. D. *cum laude*.

d. 28 Junii. GUILIELMUS CHRISTIANUS JANUS DE VICQ, Hornan., def. Th. J. U. D.
GUILIELMUS JACOBUS DRABBE, Leidensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
GERARDUS JOSEPHUS ZILCKEN, Bruxellensis, def. Th. J. U. D. *cum laude*.

d. 30 Junii. JOANNES JACOBUS VAN KRANENDONK, Delfensis, M. D., def. Thes. A. O. D.
Idem J. J. VAN KRANENDONK, def. Thes. Chir. D.

d. 3 Julii. ALEXANDER LOUDON, Haganus, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
JOHANNES HENRICUS BRAND, e prom. Bonae Spei, def. Diss. *de Sc. Hadriani*, Juris Romani D.
AUGUSTUS FREDERICUS ALEXANDER RAUPP, Tiberiacensis, def. Diss. *de peritonitide puerperali*, M. D. *magna cum laude*.

d. 4 Julii. GERARDUS JOANNES SCHILLEMANS, Zirizeënsis, def. Diss. *de balsamo Peruviano nigro*, M. D.
JANUS MARIANUS HERFST VAN ALBLASSERDAM, ex Alblasserdam, def. Diss. *de Diarrhoeae momento*, M. D. *cum laude*.
HENRICUS BOURSSE WILS, ex Brouwershaven, M. D., def. Th. A. O. D.

d. 5 Julii. CORNELIUS ADRIANUS SANGSTER, ex Oosterhout, def. Diss. *de puerperio*, M. D. *cum laude*.
PETRUS ISAACUS HOLLMAN, Antverp., def. Diss. cont. *selectas morborum historias*, M. D. *cum laude*.
JOHANNES DE VLAAM, Leidensis, def. Diss. *de trium virium aequilibrio*, M. M. et Ph. N. D. *magna cum laude*.
GUILIELMUS ALEXANDER LE JEUNE, Verviensis, def. Diss. *de Pleiadum occultationibus*, M. M. et Ph. N. D. *magna cum laude*.

d. 26 Sept. JOHANNES KAPPEYNE VAN DE COPPELLO, Haganus, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

d. 30 Sept. Didericus Jacobus Willet, Amstelod., def. Diss. *de morbis organorum spirandi*, M. D. *magna cum laude*.
d. 10 Oct. Joannes Broekhoff, Leidensis, M. D., def. Thes. A. O. D.
d. 17 Oct. Job Kosten de Bruyne, ex Noordwelle, M. D., def. Th. A. O. D.
d. 25 Oct. Laurentius Gosuinus van Heyst, ex Walov., M.D., def. Th. A.O.D.
d. 27 Oct. Petrus van Delden, Daventriensis, M. D., def. Thes. A. O. D.
d. 30 Oct. Henricus Eduardus Huyssen van Kattendyke, Haganus, Thes. J. U. D. *cum laude*.
d. 31 Oct. Cornelius Guilielmus Opzoomer, Roterod., publice def. Diss. *de naturali obligatione*, J. U. D. *magna cum laude*.
d. 1 Nov. Hiddo Halbertsma, Bolsvard., M. D., def. Thes. A. O. D.
d. 3 Nov. Martinus Marius Alexander Coupyn, Surinam., M. D., def. Thes. A. O. D.
d. 4 Nov. Janus Samuel Theodorus Moquette, Leidensis, def. Diss. *de conio maculato*, M. D.
d. 13 Nov. Fredericus Guilielmus Jacobus Immink, Ootmarsum, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
d. 14 Nov. Guilielmus Joannes Junius van Hemert, Hagan., def. Th. J. U. D.
Gysbertus Christianus Junius van Hemert, Haganus, def. Th. J. U. D.
d. 17 Nov. Engelbertus de Man, Bredanus, def. Diss. *de vindicta privata*, J. U. D. *cum laude*.
d. 18 Nov. Bernardus Josephus Balthasar van Sonsbeek, Zwollanus, def. Diss. *de munere judicis*, J. U. D. *magna cum laude*.
d. 24 Nov. Carolus Guilielmus Franciscus Baerken, ex Gennep, def. Diss. *de agrimonia ejusque usu*, M. D. *cum laude*.
d. 29 Nov. Adrianus Uyttenhooven, Flissinganus, def. Diss. *de impensis a possessore factis*, J. U. D. *cum laude*.
Marinus Samuel Franciscus de Moraaz Imans, Beverovicensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
Jacob Corver, ex Zaandam, publice def. Diss. *de statu pulmonum parenchymatis in pneumonia acuta*, M. D. *cum laude*.
d. 3 Dec. Hubertus Jacobus Josephus van Ryckevorsel van Kessel, Sylva-Duc., def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
Theodorus Leopoldus Guilielmus Muller, Hag., M.D., def. Th. A. O. D.

d. 4 Dec. Petrus van Outeren, Leidensis, def. Diss. *de quaestionibus quibusdam*, J. U. D. *cum laude*.

d. 9 Dec. Cato Didericus Ludovicus Hanegraaf, Leidensis, M. D., def. Thes. Chir. D.

d. 10 Dec. Guilielmus Fredericus Dykers, Amstelod., publice def. Diss. *de conventione cum creditoribus*, J. U. D. *cum laude*.

d. 11 Dec. Walraven Francken, Elsta-Gelrus, def. Diss. *de jure pauperum* cet., J. U. D. *magna cum laude*.
Guilielmus Josephus Triebels, Noviomag., def. Diss. *de communione legali in secundis nuptiis*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 12 Dec. Conradus Albertus Isaacus Hesterman, Amstelod., publice def. Diss. *de Vomitoriis*, M. D. *cum laude*.
Didericus Veegens, Harlem., publice def. Diss. *de Carcinomate*, M. D. *magna cum laude*.

d. 13 Dec. Christianus Justus Enschedé, Harlem., def. Thes. J. U. D.

d. 15 Dec. Petrus van Leyden, ex Crommenie, def. Diss. *de unguibus*, M. D. *cum laude*.

d. 16 Dec. Adrianus Volckert Teding van Berkhout, Harl., def. Th. J. U. D.

d. 18 Dec. Engelbertus Jacobus Johannes Kleyne, ex Oud-Beyerland, M. D., def. Thes. A. O. D.
Henricus Waardenburg, Arnhemiensis, def. Diss. *de morbis in Clinice V. C. Suringar observatis*, M. D. *magna cum laude*.

d. 19 Dec. Casparus Jacobus de Lange, Alcmariensis, def. Diss. *de hydropis aetiologia*, M. D. *magna cum laude*.
Jacobus Penn, Dordrac., M. D. def. Thes. A. O. D.
Idem J. Penn, def. Thes. Chir. D.

d. 20 Dec. Henricus Engelberts, Amstelod., def. Diss. *de successione in regnum ex lege imperii nostra*, J. U. D. *cum laude*.
Everardus Justus Lewe van Aduard, Amstelod., publice def. Diss. *de causis praescriptionem interrumpentibus*, J. U. D.
Joannes Guilielmus Leonardus Sassen, Sylva-Duc., publice def. Diss. *de damni resarcitione* cet., J. U. D. *cum laude*.

d. 22 Dec. Adrianus Verhoeven, ex Zuid-Beyerland, M. D., def. Th. A. O. D.
Petrus Isaacus Hollman, Antverp., M. D., def. Thes. A. O. D.

ANNO MDCCCXLVI.

d. 21 Jan. JACOBUS DE LIGT, Roterod., M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 28 Jan. Idem J. DE LIGT, def. Thes. Chir. D.

d. 31 Jan. GUALTHERUS LUCAS SCHIFFER, Amstelod., def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

PETRUS THEODORUS CONSTANTINUS VAN DEN BERGH, Amstelod., publice def. Diss. *de authentica legum interpretatione*, J. U. D. *cum laude*.

JOHANNES BERNARDUS LOMAN, Bodegrav., publice def. Diss. *de principiis quibusdam oeconomiae politicae*, J. U. D. *cum laude*.

d. 2 Febr. VICTOR MATTHIAS NYST, Mosa-Traj., publice def. Diss. *de munere proxenetarum*, J. U. D. *cum laude*.

d. 3 Febr. HENRICUS BOURSSE WILS, Brouwershav., M. D., def. Th. Ch. D.

HIDDO HALBERTSMA, Bolsvard., M. D., def. Thes. Ch. D.

d. 5 Febr. GERARDUS PETRUS VAN HOLST, Berbiciensis, def. Diss. *de duabus historiis morborum*, M. D. *cum laude*.

d. 7 Febr. JANUS GUILIELMUS SMIT KRUISINGA, Amstelod., publice def. Diss. *de mercatorum libris*, J. U. D.

INCREMENTA MUSEI NUMMARII
UNIVERSITATIS LUGDUNO-BATAVAE
HENRICO GUILIELMO TYDEMAN RECTORE MAGNIFICO.

CIↃIↃCCCXLV—CIↃIↃCCCXLVI.

Insigniter auctum est hoc anno Museum cum nummis memorialibus tum moneta proprie sic dicta.

Incrementa debemus tum coëmtioni, tum permutationi, tum donationi.

A. Coëmtione acquisivimus:

a. nummos antiquos.

Quinque nummos aureos Gallicos, ante aliquot annos in Flandria repertos, ex museo privato docti viri Caroli van Hulthem nobis comparatos; cujusmodi nummos descripsit celeberrimus Lelewel in opere: *Etudes numismatiques et archéologiques, Type Gaulois et Celtique* (Bruxelles 1841); parvulum nummum Syracusarum; nummum Celtiberico-Hispanicum; drachmam Alexandri Magni; hos argenteos; praeterea aeneos diversos Hispanicos, Gallicos, Siculos, Graecos, Syriacos, Aegyptiacos, v. c. Coloniae Caesaraugustae *(Saragossa)*, Nemausi *(Nimes);* Hieronis II, regis Syracusarum, Panormi *(Palermo)*, Neapolis, Athenarum, Corinthi, Antiochiae in Syria tam nummos autonomos quam imperatorios; nummos Aegyptios tam Ptolemaeorum quam Romanorum, Alexandriae cusos. Inter Romanos aliquot partes assis, libera Republica cusos; porro centum sexaginta denarios tam ex temporibus Reipublicae quam Imperatorum; in his rarissimus est denarius gentis Baebiae; praeterea aureum Imperatoris nomine Valentinianus (erant, ut notum est, tres Imperatores hujus nominis, sed quorum nummi aegre dignoscantur.

Tandem insignem copiam nummorum Romanorum aeneorum, tam 1ae, quam 2ae et 3ae magnitudinis sive formae quae dicitur, ex Imperio Occidentali et Orientali, inter quos rariores.

Hos nummos morte dereliquerat vir Nobilissimus Baro Tuyl van Serooskerken, dum viveret pagum Maarsen incolens, maximam in partem, ut fama est, in solo patrio repertos.
Ex denariis, qui paucis abhinc annis inventi erant prope pagum Drenthinum Rolde, Academiae nostrae comparavimus Antonini Pii, Faustinae Antonini. Marci Aurelii et Faustinae Aurelii.

b. nummos medii quod dicitur aevi:
aliquot denarios Caroli Magni cum inscriptionibus Aginno *(Agen)*, Arelato *(Arles)*, Metullo *(Melle en Poitou)*, Sennis *(Sens?)*, Tolusa *(Toulouse)*; denarios Ludovici (in nummis *Hludovici*) Pii, cum inscriptione *religio Christiana.* Inventi sunt omnes hi nummi in loco ubi antea erat celeberrimum emporium Dorestadi (hodiernum *Wijk bij Duurstede*).
Porro duos nummos aureos Francicos, alterum dictum *Ecu d'or* regis Philippi Valesii, alterum *Fleur de lys d'or* regis Caroli V; nummum perantiquum Venetum, in quo nomen Ducis *(Doge)* legere nobis non contigit; denarium principis cujusdam ecclesiastici, cum inscriptione

ZVIRSIƎ (?)

nummum argenteum Equitum Teutonicorum inventum in loco, ubi prius stetit castellum *Ter Mei* (prope Leiderdorp) quod tempore discordiarum inter Hoeksios et Cabeljavios vastatum est; obolos sive dimidios denarios celeberrimae Abbatiae Nivellensis in Brabantia; duos nummos Caroli Egmundani, Ducis Gelriae; cujus alteri nomen *Snaphaan* erat; ejusdem generis nummum in civitate Imperiali Neomagensi cusum; nummulum civitatis Aquis Granorum, ut videtur anno 1503 cusum; tandem dictum *goudgulden* Civitatis Mulhusinae.

c. nummos cusos recentiori tempore:

a. nummos *moneta* dictos
aureum *Souverein* Elisabethae reginae Angliae, sine indicatione anni; *gouden rijder* provinciae Gelriae, anni 1607, itaque typi antiquioris; *gouden leeuw* anno 1790 Bruxellis a seditiosis cusum; *rijksdaalder* Guilielmi, Comitis de Monte *('s Heerenberg)*

anno 1578 cusum, nummum rariorem, ut et ***rijksdaalder*** civitatis Camporum sine anno; porro ejusdem nominis nummos Maximiliani, Magistri ordinis Teutonici, anni 1618; Civitatis Francofurti, anni 1623; Francisci Ludovici, Episcopi Bambergensis, anni 1785; tandem nummulos aliquot minores ut et minoris pretii.

β. nummos memoriales.

ut breviores simus, tantum indicabimus illos inveniri apud van Mieris *(Hist. der Nederl. Vorsten)* T. II, pag. 21 N°. 1; pag. 27 N°. 2. Sed aliquantum minorem et diversum; pag. 28; pag. 37; pag. 142 N°. 1; pag. 153; nummum a celeberrimo Alberto Durero in memoriam amici Martini Lutheri scalptum, pag. 347 N°. 3; nummum unilateralem cum effigie Adolphi a Burgundia, Domini Beverani, Archithalassi (non obvium apud van Mieris, sed in opusculo dicto *Bijdragen tot de Numismatiek* a Numismaticis Schinkel et van Orden edito; — porro pag. 347 N°. 3. — Vol. III, pag. 40 N°. 2; pag. 68 N°. 2; pag. 406. Ex opere Looniano Vol. I, pag. 85 N°. 6; pag. 132; nummum insignis pulcritudinis in honorem Frederici Perrenoti, fratris Cardinalis Granvellani, non obvium apud v. Loon; — tum chartaceum, tum argenteum pag. 188 N°. 2; — pag. 192; nummum in cujus antica effigies Guilielmi I, in postica Philippi Guilielmi (non ita apud v. Loon) — pag. 268 N°. 1; pag. 409. Ex Vol. II nummos obvios pag. 155 et 157 N°. 4.
Ex Vol. III, pag. 161 et pag. 252 N°. 2.
Porro aliquot nummos, diu post Loonii tempora cusos.
Ex nummis peregrinis tantum commemoramus nummum in honorem Joannis Luillier, Regi Francico Henrico IV a consiliis; in memoriam quod Princeps Imperialis Rossicus, postea Imperator Paulus I, ejusque conjux Belgium Austriacum anno 1782 inviserunt; in honorem Marchionis Fayettii, anno 1757 nati; nummum a celeberrimo Bovy scalptum in memoriam jurisjurandi Helvetiorum apud Grütli; nummum Senatorium Antverpiensem a Jouvenellio scalptum; in memoriam Congressus Aquis-Granensis cum effigie Imperatoris Alexandri, caet. caet.

B. Permutatione:

In his patrios: denarium Imperatoris Henrici III in pago Frisiaco Doccugga *(Doccum)* cusum; — dictum *zilveren schild* Arnoldi Ducis Gelriae; praeterea aliquot nummos Flandricos, v. c. *voetdrager* Comitis Philippi cognominati Audacis; *kromstaart* Philippi Boni, caet.

Aliquot nummos memoriales recentioris aevi, sed minoris momenti.

Dimidium florenum regis Ludovici Napoleonis.

C. Donatione

a. ex antiquis (a Viro Ornatissimo O. Keer Amstelodami) nummum pervetustum Gallicum, in utraque parte mystico signo duorum triangulorum conjunctorum insignitum.

b. ex medio aevo (a Viro Doctissimo L. J. F. Janssen) nummulum aureum dictum trientem solidi Merovingici *(Tiers de sol d'or)* factum Triecti *(Utrecht)* a Monetario Ansoaldo; incertum quo Rege Francico regnante, sed verosimiliter sub primis regibus qui Trajecti imperavere. Porro nummum argenteum, fortasse denarium, Roberti, Episcopi Leodiensis, cusum Diusburgi *(Duisburg)*; effigiem hujus nummi vide in Renessii opere *Histoire Numismatique de Liège.*

A Viro supra memorato O. Keer denarium Burgredi, regis Merciae, qui, ut vulgo fertur, regnare incepit anno 852 et mortuus est anno 874. Effigies hujus nummi, sed paululum diversi, invenitur apud Ruding, *Annals of the Coinage of great Britain* Vol. I, tab. 8 N°. 10. Cusus est nummus in urbe Winchester.

Porro nummum aeneum Russicum, cujus una tantum facies typario compressus est, ut creditur Wladimiri I, qui circa annum 1015 vixit. Certiores hac de re fieri nobis non contigit, quum libri de Numismatica Russica medii aevi (laudatur opus Tszerkovii) in Bibliothecis Neerlandicis, quantum scimus, desiderentur. Nummus noster anno 1833 in Chersoneso Taurica *(de Krim)* in ruderibus inventus est.

Tandem nummum Joannis a Rode, Archiepiscopi Bremensis, nummum regionis Armoricae *(Bretagne)* Adolphi, Comitis Cliviae, caet.

A viro Clarissimo C. P. Serrure, Professore Gandavensi sterlingum Guilielmi Normanni cognominati Victoris, Regis Angliae, ut et nummum, dictum *groot*, Ludovici Maleni, Comitis Flandriae.

c. ex recentiori aevo:

A Viro ornat. C. G. Boonzayer, Tabellione Gorinchemensi, qui proximis hisce decem annis Museum quotannis donis amplificare solet, nummulum argenteum regis Daniae Christiani VIII, ut et aeneos quosdam variarum regionum.

A Viro Doct. Janssen, supra memorato, nummulos argenteos et aeneos peculiari catalogo ulterius descriptos.

A Viro Clarissimo N. C. Kist, Professore in nostra Universitate, nummum memorialem argenteum spei quam anno 1647 habebant Zeelandi ineundae pacis Monasteriensis, vide Loonii opus Vol. II, 306 N°. 2.

A Nobil. Comite van Limburg Styrum, agri Rhenolandici possessoribus ab actis *(Secretaris van het Hoogheemraadschap van Rhijnland)* duos nummos argenteos (antiquiorem et recentiorem) dictos *Kiezerspenningen* ejus partis Hollandiae meridionalis.

A peritissimo Lithographo J. D. Steuerwald Hagae-Comitis, aliquot parvos nummos argenteos, ut et aeneos, *legpenningen* dictos, porro nummos regionum peregrinarum ex eodem metallo.

A Viro Consult. Hieronymo de Vries Amstelodami, exemplar argenteum nummi quod anno 1844 cusum est, quum per decem lustra munere graphiarii magistratuum Amstelodamensium functus fuerat.

A bis jam memorato Viro Nobilissimo O. Keer nummum dictum *half crown* regis Angliae Caroli I, duos nummos argenteos rariores Rossicos, et aliquot nummos minores variarum regionum.

A Viris Nobilissimis Tabularum Debiti publici Curatoribus (dictis *Commissarissen van het Nederl. Grootboek)* Amstelodami exempla argenteum et aeneum nummi cusi, quum illud Institutum per 5 lustra incolume steterat.

A Viro Ornat. D. van der Horst, Tabellionis publici munere fungente in urbe Weesp, varios nummos aeneos dictos *fabrijkmunten*, ut et ejusdem generis, nummos Reipublicae Venezuela in America meridionali, et Insulae Barbados.

Ab auditore nostro in Scholis Numismaticis J. G. ab Utrecht Dres-

selhuis, Juris Utr. Studioso in nostra Universitate, varios nummos aeneos diversarum regionum, qui in Museo nondum servabantur.

Quod ad libros attinet, a secunda Classe Instituti regii Neerlandici accepimus quartum volumen operis Looniani continuati et a Viro Numismatices amantissimo, C. van Orden, quondam Burgimagistro civitatis Zaandamensis duos a se conscriptos libros scilicet *Bijdragen tot de Numism. v. h. K. d. Nederl.* et *Handleiding voor Verzamelaars van Nederlandsche Historiepenningen.*

Idem ille Vir Museo obtulit duas tubulos aeri incisas, in quibus moneta varia chartacea Reipublicae Francicae, sub finem proxime elapsi saeculi in usu, depicta est.

P. O. van der Chijs.

FATA ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

INDE A. D. X FEBR. MDCCCXLVI AD D. VIII FEBR. MDCCCXLVII.

RECTORE MAGNIFICO

JOANNE HENRICO SCHOLTEN,

ACADEMIAE ACTUARIO

GERARDO CONRADO BERNARDO SURINGAR.

ACTA ET GESTA IN SENATU.

A. 1846.

Die 14 Martii. Cl. Joh. Henr. Stuffken munus auspicatus est oratione, *de eo, quod in Academia spectat studium Philosophiae.*

Die 20 Junii. Cl. Carolus Gabriel Cobet munus auspicatus est oratione, *de arte interpretandi grammatica et critica fundamentis innixa, primario Philologi officio.* (Ed. L. B. 1846.)

A. 1847.

Die 13 Januarii. Senatus designavit quatuor Professores, quorum nomina ad Regem deferantur, ut inde in proximum annum academicum Rectorem Magnificum legat, Cl.

A. H. van der Boon Mesch.
A. Rutgers.
G. C. B. Suringar.
C. J. van Assen.

Senatus Actuarium creari jussit ex quatuorviris Cl.

J. H. Scholten.
A. H. van der Boon Mesch.
A. Rutgers.
C. J. van Assen.

Lectae sunt literae Curatorum nuntiantes, decreto regis, in locum Professorum emeritorum Nieuwenhuis et de Gelder successisse Cl. J. H. Stuffken et G. J. Verdam ad docendam Paedagogicen, praetereaque Cl. Jano Bake, eodem consilio, adjungi Cl. C. G. Cobet.

Die 6 Februarii. Lecta est epistola Curatorum cum decreto regio d. 28 Jan. quo Rector Magnificus in proximum annum creatur Cl. A. H. van der Boon Mesch.

Creati sunt Assessores quatuor Cl.

A. Rutgers.
G. Sandifort.
H. Cock.
W. A. van Hengel.

Die 8 Februarii. Rector retulit Cl. J. H. Scholten creatum esse Academiae Actuarium in annum sequentem.

Rector cum Senatu caeterisque Professoribus in Auditorium majus descendit et orationem pronuntiavit, *de pugna Theologiam inter et Philosophiam recto utriusque studio tollenda.* (Ed. L. B. 1847.)

SERIES LECTIONUM

HABENDARUM POST FERIAS AESTIVAS A. MDCCCXLVI.

FACULTAS THEOLOGICA.

J. H. Scholten Theologiam Naturalem exponet, die Lunae . . . horâ I.
et Martis . . . . XI.
Doctrinae, in libris Ecclesiae Reformatae Symbolicis receptae, principia exponere perget, die Martis . . . . I.
et Jovis . . . . XI.
Colloquiis de Theologia Naturali vacabit, die Jovis . . . . I.
Atque de Theologia Symbolica, die Veneris . . . . I.
Cum provectioribus quaestiones criticas et exegeticas, pertinentes ad N. F. libros historicos, tractabit alternis hebdomadibus, die Saturni horis vespertinis. . . . . VII—X.
Orationibus Sacris praeërit, die Mercurii . . . . II.

W. A. van Hengel Pauli Epistolae I ad Corinthios Cap. XV, interpretabitur die Mercurii . . . . VIII.
Theologiam Pastoralem docebit, diebus Martis et Veneris . VIII.
Locos Literarum Sacrarum, qui sibi ipsi vel inter se repugnare videntur, tractabit diebus Lunae et Jovis . . . . . VIII.
Viam et rationem, diebus festis anniversariis, pro populi concione dicendi commonstrabit, diebus Lunae et Martis IX.
Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris V sqq.
Oratoriae Sacrae exercitationibus praeërit, die Jovis . . . . I.

N. C. Kist Historiam Ecclesiasticam docebit inprimis recentiorem, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Christianae morum Disciplinae partem exponet cum theoreticam tum practicam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris XI.
Doctrinae et Dogmatum Christianorum Historiam tradet, diebus Jovis et Veneris. XII.
Historiae Ecclesiasticae Veteris monumenta exponet, die Martis XI.

Exercitia disputandi moderabitur, die Saturni . . . . horâ II.
Orationibus Sacris praeërit, die Martis . . . . II.

J. F. van Oordt, J. G. Fil., Theologiam Christianam Theoreticam tractabit, diebus Mercurii, Jovis et Veneris . . . . . . IX.
Johannis Epistolas cum commilitonibus leget, d. Lun. et Merc. X.
Encyclopaediam Theologicam tradet, diebus Martis et Jovis X.
Historiam Librorum N. F. (duce E. Reuss, *die Geschichte der H. Schriften N. T.*) exponet, die Mercurii . . . . . I.
et Veneris . . . . X.
Publice disputandi exercitationibus praeërunt alternis hebdomadibus, die Saturni horâ I, alternatim J. F. van Oordt, J. G. Fil. et J. H. Scholten.

FACULTAS DISCIPLIN. MATHEM. ET PHYSIC.

C. G. C. Reinwardt Civium academicorum studia, quantum aetas et vires sinent, juvare paratus est.

J. de Gelder Civium academicorum studia adjuvare paratus est, si qui sint, qui mathematicarum disciplinarum Capita selecta sibi explicari cupiant.

J. van der Hoeven Zoologiae et Anatomes comparatae fundamenta tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XI.
aestivo tempore . . . . X.
Physiologiae comparatae primas lineas exponet, diebus Jovis et Veneris, iisdem horis.
Geologiae elementa docebit, diebus Martis et Jovis . . . . I.

A. H. van der Boon Mesch Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . . IX.
Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit iisdem diebus XI.
Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii . . . . XII.
Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Jovis . . . . XII.
Experimenta instituendi artem docebit, et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.

Cum studiosis provectioribus de Physiologia chymica colloquetur, die Veneris horâ vespertinâ . . . . V—VIII.

G. J. Verdam Elementa Geometriae planae et Trigonometriam rectilineam tradet, die Jovis . . . . horâ IX.

Stereometriam et Trigonometriam Sphaericam, hujusque usum, explicabit, diebus Martis et Jovis . . . . VIII.

Calculum integralem bis per hebdomadem tradet, itemque *Mechanicam analyticam;* dies et horas autem, quantum fieri potest, in Auditorum commodum constituet.

Methodum docendi Matheseos elementa futuris Gymnasiorum Praeceptoribus explanabit; de die et de horâ constituendâ dein cum Commilitonibus conveniet.

F. Kaiser Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.

Astronomiam practicam, iisdem diebus . . . . X.

Artis observandi exercitiis quotidie praeërit.

Theoriam motus corporum coelestium, secundum Cl. Gauss tradet, diebus et horis Auditoribus commodis.

Provectioribus discipulis disquisitiones Cl. Hansen, aliorumque, de perturbationibus, quas motus corporum coelestium patiuntur, aptis horis, commentabitur.

Astronomiam quam popularem vocant tradet, diebus Lunae et Mercurii, horâ vespertinâ . . . . V.

Astronom. primas notitias mathem. tradet, iisd. dieb., horâ vesp. VI.

Singulos suos auditores, ad coelum, tubi optici ope, perlustrandum, aptis temporibus evocabit.

Si qui sint, qui Chronographiae et Calendariographiae operam dare cupiant, in auditorum commodum horas constituet.

Arithmeticam universalem sive Algebram tradet, dieb. Lunae, Martis et Mercurii . . . . II.

G. H. de Vriese Phytographiae fundamenta tradet autumnali tempore matutino, dieb. Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris VII.

Plantarum indigenarum et medica virtute praeditarum historiam illustrabit verno et aestivo tempore, dieb. horisq. iisdem.

Physiologiam plantarum exponet, d. Lun., Mart., Merc. et Jov. horâ I.
Provectioribus discipulis selectas demonstrabit familias naturales, iisdem diebus . . . . II.
Excursionibus botanicis praeërit die Saturni, apta tempestate.
P. L. Rijke, Prof. Extr., Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XII.
Physicam Mathematicam tradet, diebus Lunae et Martis . VIII.

FACULTAS PHIL. THEOR. ET LIT. HUMANIORUM.

M. Siegenbeek propter aetatem septuagenariam rude donatus, quantum per vires licebit, studiosae juventuti prodesse conabitur.
J. Bake interpretabitur Sophoclis *Oedipum Coloneum* et Demosthenis *Orationem pro corona*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, additis disputandi exercitationibus, die Jovis . . . . X.
Antiquitatum Atticarum locum *de Actionibus* explicabit, die Lunae et Mercurii . . . . I.
Scholas Paedagogicas moderabuntur J. Bake et C. G. Cobet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . II.
P. Hofman Peerlkamp explicabit Historiam Universalem, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XI.
Interpretabitur fabulam M. Accii Plauti *Epidicum*, et C. Cornelii Taciti *Annalium* Librum I, iisdem diebus IX.
Quaestiones ad disputandum ponet, die Jovis . . . . XI.
J. M. Schrant Historiam Patriae enarrabit, d. Lun., Mart. et Merc. II.
Praecepta styli Neêrlandi seu Eloquentiae, nec non Oratoriae artis externae, tradet diebus Jovis et Veneris.. . . . . . . II.
et die Saturni . . . . XII.
Vondelii selecta explicabit, diebus Veneris et Saturni . . . I.
Eloquentiae historiam criticam, cum veteris tum recentioris aevi, enarrabit, diebus et horis auditoribus commodis.
A. Rutgers Jesajae Vaticinia inde a Cap. XLIX et *Psalmos* selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis . . . . IX.
et die Mercurii . . . . I.

Secundum *Regum* librum cursoria lectione tractare perget, d. Jov. horâ XII.
Antiquitates Israëlitarum explicabit, d. Lun., Mart. et Merc. XII.
Si qui sint, qui linguae Sanskritae elementa sibi explicari cupiant, eorum studia lubentissime adjuvabit.
Grammaticam Sanskritam docebit et Anthologiam Sanskritam a Cl. LASSENO editam, explicabit, die Martis et Jovis . . I—III.
KALIDASI *Sakuntalam* explicabit, die Veneris . . . . I—III.
Mahabharatam interpretabitur, die Jovis . . . . IX.

T. G. J. JUYNBOLL Sermonis Hebraei elementa tradet, tum Grammaticâ explicandâ, tum analyticis exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis, Mercurii . . . . VIII.
et die Jovis . . . . I.
Literarum Arabicarum, Chaldaicarum et Syriacarum initia docebit (duce Cl. ROORDA, WINERO, UHLEMANNO), diebus Jovis et Veneris . . . . VIII.
et die Lunae et Martis . . . . I.
Cum provectioribus Chrestomathiam leget Arabicam Cl. KOSEGARTENII, die Veneris . . . . I.
Et Fabulas BIDPAJI, ex ed. Sacyana, die Jovis . . . . . . XI.
Coranum, die Jovis . . . . V—VII.
Chrestomathiam Syriacam KIRSCHII a Cl. BERNSTEINIO iterum editam, die Mercurii . . . . II.
Chrestomathiam Persicam WILKENII et SPIEGELII, die Saturni V—VII.

J. H. STUFFKEN *Logicam* tradet, die Mercurii . . . . I.
die Veneris . . . . XII.
Metaphysicam docebit, diebus Martis et Jovis . . . . X.
die Veneris . . . . II.
Historiam Philosophiae antiquae explicabit die Saturni II, aliâque horâ postea indicandâ.

C. G. COBET, Prof. Extraord., Antiquitates Romanas tradet, die Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Elementa Artis Metricae docebit, die Jovis et Veneris . . . XII.
Initia Palaeographiae Graecae provectioribus explicabit, die Martis et Jovis . . . . II.

FACULTAS MEDICA.

G. Sandifort Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . horâ X.
Physiologiam, Anatome comparata illustratam, iisdem diebus IX.
Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore . . I—III.

M. J. Macquelyn quantum rerum suarum ratio patietur, juventutis Academicae commodis inservire paratus est.

J. C. Broers Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Martis, Mercurii et Veneris . . . . XII.
Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit quotidie . . . . VIII.
Collegio Casuali, diebus Lunae et Jovis . . . . XII—III.
Operationibus Chirurgicis hiberno tempore, horis dein indicandis.
Artem Obstetriciam theoreticam et practicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . X.
Medicinam Forensem, die Mercurii et Veneris . . . . II.

C. Pruys van der Hoeven Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . I.
Medicinam practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie . . . . XI.
Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Jovis . . . . I.

G. C. B. Suringar Therapiam generalem docebit, diebus Martis, Jovis et Saturni . . . . XII.
Pharmacognosin et naturalem remediorum Historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . XII.
Therapeuticum remediorum usum indicabit, d. Merc. et Ven. I.
Doctrinam morborum singularium tradet, diebus Lunae, Martis et Jovis . . . . I.
Praxin medicam, ad lectulos aegrotantium, moderabitur, diebus singulis . . . . IX.

C. Pruys van der Hoeven et G. C. B. Suringar disputandi exercitiis praeërunt, die Jovis . . . . III.

FACULTAS JURIDICA.

H. G. TYDEMAN Encyclopaediam Juris tradet, d. Lun., Mart. et Merc. horâ XII.
Oeconomiae Politicae principia ad patriam nostram adplicata, iisdem diebus . . . . I.
Statisticam Patriae describet, diebus Jovis et Veneris . . . I.
et die Jovis . . . . XII.
Codicem Juris Mercatorii explicabit, diebus Jovis et Veneris XI.
et die Veneris . . . . XII.

C. J. VAN ASSEN explicabit libros Digest., d. Lun., Mart. et Merc. IX.
Institutiones Juris Civilis Romani, d. Lun., Mart. et Merc. VIII.
Jus Civile hodiernum, diebus Jovis et Veneris . . . . VIII.
et diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . II.
Ordinem judiciorum et rem judiciariam privatam cum exercitationibus forensibus, die Jovis . . . . IX.
et die Veneris . . . . IX et X.

H. COCK tradet Ordinem Judiciorum Crim., d. Lun., Mart. et Merc. VIII.
Jus Publicum et Gentium, diebus Lunae, Martis et Mercurii IX.
Jus Criminale, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . X.
Jus Naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . . XI.

J. R. THORBECKE explicabit Histor. Jur. Rom., d. Lun., Mart. et Merc. I.
Historiam Europae diplomaticam a regno LUDOVICI XIV usque ad Congressum Viennensem, iisdem diebus . . . . XII.
Jus Politiae sive administrativum quod dicunt, iisdem diebus XI.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extr. ornatus, Numismaticam generalem tradet, diebus Lunae et Jovis . . . . I.

J. C. E. BROUN, Litt. Germ. Lector, aget de GOETHII dramate, *Iphigenia in Tauris*, et Carmine *Hermanno et Dorothea*, d. Mart. et Ven. VI.

W. FLEMING, Litt. Anglic. Lector, explicabit SHAKESPEARII Tragoediam, c. n. *Merry Wives of Windsor*, Poetaeque SCOTT carmen c. n. *Lay of the Last Minstrel*, diebus Martis et Veneris . . . V.

NUMERUS ADOLESCENTIUM

QUI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

STUDIIS OPERAM DEDERUNT IPSO DIE 31 DECEMBRIS MDCCCXLVI.

E FACULTATE THEOLOGICA.	E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM.	E FACULTATE MEDICA.	E FACULTATE JURIDICA.	CUNCTUS NUMERUS.
79	11	34	119	236	479

In hunc numerum excepti sunt 109, quorum

in Facultate		Theologica	24
〃	〃	Disc. Math. et Phys.	1
〃	〃	Phil. Theor. et Litt. Hum.	9
〃	〃	Medica	35
〃	〃	Juridica	40
			109

qui nomina in albo professi sunt, eo tantum consilio ut hic examinarentur, ceterum in diversis Athenaeis versantur.

S E R I E S

CANDIDATORUM QUI GRADUM DOCTORATUS ADEPTI SUNT

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

A DIE IX FEBRUARII MDCCCXLVI AD DIEM VIII FEBRUARII MDCCCXLVII.

Anno MDCCCXLVI.

d. 23 Febr. Martinus Marius Alexander Coupyn, Surinamensis, M. D., def. Thes. Ch. D.

Janus Jacobus van Son, Amstelod., publice def. Diss. *de aurium morbis*, M. D. *cum laude*.

d. 6 Mart. Clemens Franciscus Hubertus Guillon, Ruramundanus, publice def. Diss. *de divisione Gelriae superioris a.* 1713 *rata*, J. U. D. *cum laude*.

Theodorus Leopoldus Guilielmus Muller, Haganus, M. D., def. Thes. Ch. D.

d. 7 Mart. Guilielmus Paulus Seyn, Leidensis, def. Diss. cont. *quaestiones historicas*, Ph. Th. M. et L. H. D. *cum laude*.

d. 11 Mart. Ludovicus Kloprogge, Indo-Batavus, def. Thes J. U. D.

d. 13 Mart. Franciscus Gisbertus van Mierlo, Bredanus, def. Diss. *de potulentorum quorundam virtute diaetetica*, M. D. *cum laude*.

d. 25 Mart. Henricus Houck, Daventriensis, def. Diss. *de collegiis opificum et mercatorum in patria nostra*, J. U. D. *cum laude*.

d. 26 Mart. Henricus Johannes Hooghwinkel, Schoonhovenus, publice def. Diss. *de Herniotomia*, M. D. *cum laude*.

d. 27 Mart. Janus Georgius Antonius Faber, Hornanus, publice def. Diss. cont. *annot. in C. Civ. B. Lib. II. Tit.* 2, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 30 Mart. Isaacus Teixeira de Mattos, Amstelod., publice def. Diss. cont. *observationes medico-legales*, M. D. *magna cum laude*.

d. 4 April. Jacobus Joachimus Gepken, Harlem., M. D., def. Th. A. O. D.

Cornelius Adrianus Sangster, ex Oosterhout, M. D., def. Th. A. O. D.

d. 27 April. FRANCISCUS JOANNES LEROI, Roterod., publice def. Diss. *de irritabilitate musculorum*, M. D. *cum laude.*

d. 4 Maji. PETRUS MARIUS NOLTHENIUS, Amstelod., M. et A. O. D., publice def. Diss. *de Poenis*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 8 Maji. MICHAEL ADRIANUS ROODENBERG, Delf., M. D., def. Th. A. O. D.

d. 14 Maji. FRANCISCUS AUGUSTUS LOUDON, Indo-Batavus, def. *quaestionibus juridicis*, Juris Romani D.

JACOBUS LOUDON, Haganus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 15 Maji. GUILIELMUS DIDERICUS VAN OLDENBORGH, ex Willemstad, M. D., def. Thes. Art. Obst. D.

d. 16 Maji. ROBERTUS FERRIER, ex Wassenaar, def. Diss. *de publiciana in rem actione*, Juris Romani D.

d. 19 Maji. JOHANNES CORNELIUS PETRUS BYLEVELD, Mediob., def. Th. J. U. D.

d. 22 Maji. LUDOVICUS CAROLUS FERDINANDUS GASINJET, Peisa-Drenthinus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

GERARDUS CORNELIUS BLAAUW, Amstelod., publice def. Diss. *de argumentis quibus in interpretandis legibus Jcti uti solent*, J. U. D.

d. 25 Maji. EDUARDUS JACOBUS HUBERTUS WYNANS, Mosa-Traj., publice def. Diss. *de fideicommisso residui*, J. U. D. *cum laude.*

d. 28 Maji. HENRICUS DE JONG, CORN. F., Goudanus, def. Diss. cont. *hist. morborum in clinice Cl. Suringar observatorum*, M. D. *cum laude.*

d. 30 Maji. GUILIELMUS LEONARDUS EICKMA, Roterod., publice def. Diss. *de pure ejusque metastasi*, M. D. *cum laude.*

d. 4 Junii. PETRUS JOHANNES UYLENBROEK, Leidensis, def. Diss. *de Choro tragico Graecorum*, Ph. Th. M. et L. H. D. *magna cum laude.*

LEONARDUS HENRICUS VAN BOCHOVE, ex Nieuwerkerk, def. Diss. *de Nicolao Tulpio*, M. D. *cum laude.*

d. 5 Junii. JANUS CHRISTIANUS DRABBE, Leidensis, def. Diss. *de Oropo*, Th. Phil. M. et L. H. D. *magna cum laude.*

THEODORUS JOANNES VAN GRIETHUYSEN, Vadensis, publice def. Diss. *de notionibus vocab. σῶμα et σάρξ in N. T.*, Theol. D. *magna cum laude.*

d. 6 Junii. ADOLPHUS GUILIELMUS THURKOW, Surinam., def. Th. J. U. D.

d. 9 Junii DIDERICUS JACOBUS CAROLUS VAN LENNEP, ex Wassenaar, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 11 Junii. Petrus van Meurs, Harderovic., def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 12 Junii. Guilielmus Boonacker, ex de Rijp, publice def. Diss. *de nonnullis Cod. Civ. Neerl. capitibus*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 15 Junii. Joannes Franciscus de Fraiture, Bredanus, def. Th. J. U. D.
Henricus Reyers, Groninganus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*
Cornelius Gerbrandus Luzac, Leidensis, def. Th. J. U. D. *cum laude.*

d. 16 Junii. Guilielmus Ludovicus Carolus Adrianus Gey van Pittius, Gandavensis, def. Thes. J. U. D.
Henricus Adrianus Franciscus Daniel van Meeuwen, Harlem., def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 17 Junii. Petrus Isaacus Hollman, Antverp., M. D., def. Th. Ch. D.

d. 18 Junii. Joannes Daniel Denis, Zutphaniensis, def. Thes. J. U. D.

d. 19 Junii. Cornelius van Bell, Roterod., publice def. Diss. *de usu regulae Catonianae*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 22 Junii. Joannes Antonius Maria Roels, Bergensis ad Z., def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 24 Junii. Theodorus Ludovicus Fredericus Horst, Indo-Bat., def. Thes. J. U. D. *cum laude.*
Fedde Hulshoff, ex Baarn, def. Diss. *de appellandi facultate*, J.U.D. *magna cum laude.*
Petrus Aegidius Antonius Janssens, Rosavallensis, def. Th. J. U. D. *cum laude.*

d. 25 Junii. Guilielmus Carolus Joannes Schoor, ex Zevenhuisen, def. Diss. *de chemismo corporis* cet., M. D. *magna cum laude.*

d. 26 Junii. Carolus Henricus Manuel, Samarangensis, def. Th. J. U. D.

d. 27 Junii. Edmundus Guilielmus Andreas Kerens van Wolfrath, Mosa-Traj., def. Thes. J. U. D.
Adrianus Hubertus Maurissen, Mosa-Traj., def. Th. J. U. D. *cum laude.*

d. 29 Junii. Arnoldus de Jong, Campensis, publ. def. Diss. *de Typho*, M. D.
Henricus Rodenberg, Amstelod., publice def. Diss. *de Scorbuto*, M. D. *cum laude.*
Petrus Henricus Hendriks, Amstelod., publice def. Diss. cont. *observationes cum annexa epicrisi*, M. D. *cum laude.*

d. 2 Julii. Cornelius Antonius Boonacker, Leid., def. Th. J. U. D. *cum laude.*

FRANCISCUS EMANUEL FOUQUET, Ruramund., def. Diss. *de aetate feminarum climacteria*, M. D. *magna cum laude*.

THEODORUS WILHELMUS BOXELAAR, Neomagus, def. Diss. *de asphyxia neonatorum*, M. D. *magna cum laude*.

d. 4 Julii. GEORGIUS GERARDUS KOOL, Indo-Bat., def. Thes. J. U. D.

d. 8 Sept. JACOBUS VAN VREDENBURCH, Haganus, def. *quaest. ex jure Romano*, Jur. Rom. D.

d. 12 Sept. CLAAS NOORDUYN, Neom., def. Diss. *de cura Typhi*, M. D. *cum laude*.

JANUS HERMANUS ADRIANUS SCHEERS, Neomagus, def. Diss. *de febri typhoidea*, M. D. *cum laude*.

d. 19 Sept. FREDERICUS PETRUS HENRICUS COELEN, Harlem., def. Diss. *de placenta*, M. D. *cum laude*.

FRANCISCUS JOANNES BOUDIER, Dordrac., def. Diss. *de Valeriana officinali*, M. D. *cum laude*.

d. 24 Sept. ARNOLDUS VAN GENNEP, Roterod., publice def. Diss. *de morte nigra sec. XIV*, M. D. *magna cum laude*.

GEORGIUS HENRICUS VAN VOLLENHOVEN, Roterod., publice def. Diss. *de sanguinis fibrina*, M. D. *magna cum laude*.

JOHANNES CHRISTOPHORUS VAN EETEN, Gorcumensis, def. Diss. *de Cartilagine*, M. D. *cum laude*.

d. 25 Sept. DIDERICUS ADOLPHUS GEVERS, ex Oegstgeest, def. Th. J. U. D.

d. 26 Sept. HENRICUS LE NOBEL, Medioburg., def. Thes. J. U. D.

d. 28 Sept. HENRICUS GUILIELMUS CAROLUS LUDOVICUS JANSSENS, Haganus, def. Th. J. U. D. *cum laude*.

d. 29 Sept. CORNELIUS ADRIANUS BURGERS, ex Willemstad, def. Diss. *de cura neonatorum*, M. D. *cum laude*.

MARTINUS ANTONIUS VAN ANDEL, ex Andel, def. Diss. *de Zinco ejusque praeparationibus*, M. D. *cum laude*.

d. 30 Sept. LUDOVICUS GUILIELMUS GLAESER, ex prom. Bonae Spei, def. Diss. *de parta praecoci*, M. D. *cum laude*.

d. 1 Oct. PETRUS BERNARDUS VAN HYFTE, ex Sto. Laurentio, def. Diss. *de cicuta virosa*, M. D. *cum laude*.

d. 5 Oct. PETRUS SCHEURLEER, ex Nederhemert, def. Diss. cont. *nonnullas morborum historias*, M. D. *cum laude*.

d. 9 Oct. Josephus Guilielmus Petrus Diert van Melissant, Haganus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 12 Oct. Henricus Arnoldus Voorendonk, Rot., def. Th. J. U. D. *cum laude.*
Joannes Arnoldus Ort, Graviensis, publice def. Diss. cont. *historias morborum in clinice Cl. Broers observatorum*, M. D. *magna cum laude.*
Jacobus Joannes Kerbert, ex Koog aan de Zaan, def. Diss. *de valerianate Zinci*, M. D. *magna cum laude.*

d. 13 Oct. Janus Everwyn, ex Beest, def. Diss. *de caementis*, M. M. et Ph. N. D. *magna cum laude.*

d. 17 Oct. Epeus Manger Cats, Leovardiensis, def. Thes. J. U. D.

d. 31 Oct. Franciscus Sebastianus Hermus, Bredanus, publice def. Diss. *de Stricturis organicis urethrae*, M. D. *cum laude.*

d. 5 Nov. Paulus Claudius Lezwyn, Leidensis, def. Diss. cont. *annot. ad Tit. VII. Lib. III. Cod. de re Jud.*, J. U. D. *cum laude.*

d. 11 Nov. Jacobus Henricus de Bruyn, Medioburg., def. Thes. J. U. D.

d. 13 Nov. Petrus Jacobus Johannes Cornelius van Nieuwenhoven Helbach, Indo-Bat., def. Thes. J. U. D.
Petrus Alvarez van Diggelen, Bruggensis, def. Th. J. U. D. *cum laude.*

d. 14 Nov. Petrus Fuhri, Roterod., M. D. def. Thes. A. O. D.
Henricus Joannes Guicherit, Haganus, def. *quaest. historicis*, Ph. Th. M. et L. H. D. *cum laude.*
Gerardus Joannes Beelaerts van Emmichoven, Dordracenus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 17 Nov. Joannes Matthias Schrant, Haganus, def. Diss. *de mechanismo congestionis*, M. D. *magna cum laude.*

d. 18 Nov. Carolus Henricus Ludovicus van Wensen, Leidensis, publice def. Diss. *de Mandato*, J. U. D.

d. 21 Nov. Johannes Conradus Ludovicus Annaeus Nedermeyer van Rosenthal, Arnh., def. Diss. *de deportationis poena*, J. U. D. *cum laude.*

d. 26 Nov. Andreas Jacobus Thomas, Leidensis, M. D. def. Thes. A. O. D.

d. 1 Dec. Hieronymus Hartog, Tilburgensis, def. Diss. cont. *duos hydropis casus observ.*, M. D. *cum laude.*

d. 4 Dec. Didericus Nyman, Zutphan., def. Thes. J. U. D. *cum laude.*
Jacobus Dam, Zutphan., def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 11 Dec. Jacobus Hermanus Schuurmans Stekhoven, Leidensis, def. Diss. *de civium Atticorum recognitione*, Ph. Th. M. et L. H. D. *cum laude*.
Jacobus Corver, Zaandam, M. D., def. Thes. Chir. D.

d. 14 Dec. Guilielmus Vincentius Hubertus van Gulick, Sylva-Duc., def. Diss. *de cura stricturarum urethrae*, M. D. *cum laude*.
Johannes Gerardus Kloppert, Goudanus, M. D., def. Th. Chir. D.

d. 17 Dec. Leopoldus Alfred Desiderius Nypels, Mosa-Traj., publice def. Diss. *de liberorum naturalium juribus in bonis parentum*, J. U. D. *cum laude*.
Leopoldus Hubertus Theodorus Wenmaekers, ex Stockhem, publice def. Diss. *de literarum Cambialium acceptatione*, J. U. D. *cum laude*.

d. 18 Dec. Daniel Polak Daniels, Haganus, def. Diss. cont. *comment. ad Pauli libros tres decretorum*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 19 Dec. Guilielmus Didericus Coninck Liefsting, ex Hellendoorn, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

Anno MDCCCXLVII.

d. 16 Jan. Justus Gerardus Kist, Zoelanus, def. Diss. *de communionis universalis inter conjuges dissolutione*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 26 Jan. Guilielmus Carolus Joannes Schoor, M. D., def. Th. A. O. D.

d. 28 Jan. Joannes Petrus Croes, Bullioneus, M. D., def. Thes. Ch. D.

d. 29 Jan. Augustus Philips, Bommeliensis, publice def. Diss. *de dominis rei mobilis* cet., J. U. D. *magna cum laude*.

d. 30 Jan. Eduardus Janus Dibbets, Mosa-Traj., def. Diss. *de Transactione*, J. U. D.

d. 3 Febr. Jacobus Corver, ex Zaandam, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 5 Febr. Theodorus Guilielmus Boxelaar, Neomagus, M. D., def. Thes. Art. Obst. D.
Elias Anne Berkhout, Snecanus, publice def. Diss. *de creditorum privilegiatorum jure* cet., J. U. D. *magna cum laude*.

INCREMENTA MUSEI NUMMARII
ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE
JOANNE HENRICO SCHOLTEN RECTORE MAGNIFICO.

CIƆIƆCCCXLVI—CIƆIƆCCCXLVII.

Paucis annis nobis contigit tot ac tam praestantibus nummis Museum ditatum videre quam hoc anno.

Incrementa haec iterum coëmtione, permutatione, donatione locum habuere.

Coëmtione accepimus:

A. nummos antiquos.

In his memorandus, sed verosimiliter spurius atque Beckerianus (vide Pinder, *die Beckerschen falschen Münzen*, Berlin 1843, S. 10 N°. 48), nummus aureus, *Stater* fortasse dictus, regis Philippi II Macedonis.

In antica pulcrum Apollinis laureati caput.

In postica figura muliebris bigam ducens, sub qua

ΦΙΛΙΠΠΟΥ.

Aureus rarior, procul dubio genuinus, Diocletiani Imperatoris, cum postica:

PIETAS AUGG. ET CAESS. NN.

Quinque denarii, Vespasiani, cum postica: VENERI VICTRICI, Hadriani cum: FIDES PUBLICA; Domitiani cum: IMP. XIX. COS. XIIII. CENS. P. P.; Septimii Severi, cum rariore postica: HERCULI DEFENSORI; tandem Constantii, cum postica, itidem rariore, VIRTUS MILITUM.

Studiosorum vel scholarum numismaticarum causa simul nobis comparavimus duos denarios spurios, alterum Domitiani cum Domitia in postica, Caracallae alterum.

B. ex medio aevo:

Quindecim accesserunt nummi argentei, in loco veteris Dorestati vel Dorestadi (hodiernum *Wijk bij Duurstede*) inventi, cujusmodi nummos cum Angli, tum Franci sibi vindicare student. Inveniuntur enim in utraque regione, et quoniam iis annumerandi sunt, qui nullam inscriptionem (ne litteras

quidem solitarias prae se ferunt) a Francis *monnaies muettes* vocantur. Maximam partem eorum effigies inveniuntur in opere Rudingii: *Annals of the Coinage of Great Britain*, sub nomine *Sceattae*, Tabb. I et II, sed in textu, caeteroquin satis amplo et in quo docte disseritur de nummis Anglo-Saxonicis, ad quos hi nummi a Rudingio referuntur, ne verbum quidem occurrit ad illustrandos eos nummos. — Etiam eorum effigies inveniuntur in opere Combrousii: *Monnaies nationales de France*, Tab. 166, cum duplice inscriptione: *Merovingiennes?* et *Deniers Cisrhénans?* — ut apparet utrique dubitanter signum interrogationis appositum. — Sed et in textu hujus operis frustra descriptionem vel elucidationem quaeres. — Melius actum est in Dissertatione nostratis C. A. Rethaan Macaré in: *Nieuwe Verhandelingen van het Zeeuwsch Genootschap der Wetenschappen*, I^e Deel, 2e Stuk, sub titulo: *Verhandeling over de bij Domburg gevondene Romeinsche, Frankische, Brittannische, Noordsche en andere munten*, Middelburg, 1838, 8vo; — hic enim memorat Cambdeni opus inscriptum: *Brittannia* [Amstelodami 1659 et Londini 1695] ubi etiam nonnulli hujus generis nummi, sed valde rudi arte depicti sunt. Vide quae de his nummis annotavimus in Diario: *Algemeene Konst- en Letterbode* anni 1846, Vol. II, pag. 116. — Macaré credit hos nummos, qui a Rudingio, ut supra memoravimus, *Sceattae* dicuntur, esse originis Francicae, atque cusos intra annos 500 et 700, brevi post introductum in has regiones Christianismum. In nonnullis autem horum nummorum signum crucis apparet.

Operae pretium est hic commemorare hoc genus nummorum inveniri in locis valde distantibus in patria nostra, nimirum Domburgi, Dorestadi et in Frisia; accepimus enim paucis abhinc annis ex Bolsverdia, urbe Frisiae, aliquot ejusmodi nummos, quos ibi repertos ferebant. Videntur itaque post Romanorum nummos, etiam frequenter in patria nostra obvios, communis nostratium moneta fuisse, fortasse in emporio Dorestado cusa. Non enim verisimilitudine caret in celebri hoc loco, brevi post Romanorum discessum ex his terris, commercii non interrupti causa, nummorum officinam fuisse institutam.

Memoriae causa hic apponimus, inter nummos Domburgicos, qui anno 1842 Museo nostro accessere dono Nobilissimi van Orden, quosque anno 1776 in littore Domburgico emerat Celeb. Adrianus Kluit, postea Academiae

nostrae lumen, fuisse nummos Septimii Severi, Juliae Domnae et Tetrici Junioris; praeterea multos nummulos argenteos et aeneos, partim similes iis, qui in opere Ornat. Macaré obvii sunt, partim ab iis diversos et nondum editos.

Inter nummos hoc anno coëmtos, atque in loco antiqui Dorestadi inventos, unus est cum inscriptione: TRIECTI FIT. Caeteri conveniunt cum numeris 25, 28, 32, 35, 36, 54 et 65 apud Macaré; unus autem valde differt ab illius numero 66.

Ex Carlovingicis accesserunt denarius Pipini, patris Caroli Magni, cum inscriptione R. F. *(Rex Francorum)*, caeterum Caroli Magni cum: Arelato *(Arles)*; Christiana religio; Mediol(anum) *(Milaan)*; Metullo *(Melle en Poitou)*; praeterea oboli cum monogrammate Caroli Magni et cum inscriptione Metullo; denarii cum Tolosu *(Toulouse)* et Turonis *(Tours)*; denarii et oboli Ludovici I vel Pii (inscripti *Hludovicus Imp.)*; tandem denarius ejusdem Principis cum *Venecias*.

Ex nummis Episcoporum Trajectinorum nobis comparavimus denarium Balduini II (quem Mierisius minus recte Balduino I tribuerat); alium Wilbrandi, cusum Trajecti (non apud Mierisium sed apud Balfoort in diario: *Tijdschrift v. Gesch.*, *Oudh. en Statist. van Utrecht*, 1844, pag. 185 N°. 4); alium factum Daventriae, prorsus alius typi *(Tijdschrift*, modo citato loco N°. 3); nummum aeneum Rudolphi a Diepholt *(Tijdschrift* anni 1843, pag. 253 N°. 9); nummum Davidis de Burgundia (Mieris Tab. IX N°. 4); item Frederici Badensis (Mieris Tab. X N°. 9); praeterea duos nummos memorabiles Civitatis Trajecti, in quorum antica: *Moneta S. Mertinis* (sic!) et in postica: *Dit is der armen pe(nninck)*. Tertius, non minus memorabilis, habet in antica, intra partes crucis, literam V (probabiliter significans *Utrecht)*.

Ex nummis Comitum Hollandiae Museo comparavimus denarium rudem (vel fortasse obolum) Florentii II vel III; difficile enim est, sive potius prorsus fieri non potest, ut hoc certo statuatur; — denarium Theodorici VII (1190—1203) cum verbo *pax* in postica (minus recte se habet illius effigies apud Alkemade Tab. 14 N°. 1; melius in opere Numismatico a nobis edendo); duos denarios argenteos Florentii IV vel V (1228—1235 sive 1256—1296) cusos Dordraci. Hi nummi differunt signo monetario. — Praeterea num-

mum dictum *halve Hollandsche leeuw* Guilielmi VI (1404—1417); vide Alkemadii Tab. 27, 1 N°. 5, sed ibi prorsus male est depictus; item Joannis Bavarici, cum inscriptione *Hola* (Alkemadii Tab. 30, 1 N°. 3; *eadem valet observatio).*

Ex nummis ducatus Brabantiae denarium Abbatiae Nivellensis *(Revue de la Numismatique Belge*, Vol. I, Tab. V N°. 8); nummum incertum cum inscriptione BATI, quem vide apud den Duyts: *Anciennes monnoyes de l'Université de Gand*, Tab. VI N°. 5, uti etiam cum parvula dissertatione super hoc genere nummorum in: *Documens pour servir a l'histoire monétaire des Pays-Bas*, opusculo conscripto a docto Civitatis Antverpiensis Archivario Frederico Verachter; — ejusmodi nummulum incertum cum inscriptione: TINE (den Duyts Tab. VI N°. 1, uti et apud Verachter); duos denarios Ducis Joannis I (1282—1294) cum inscriptione WALT (fortasse Waltheri de Berthoud, domini Mechliniae) caet. Omnes hi nummi a nobis cum multis aliis Brabantinis et Limburgicis edentur.

Ex nummis Gelricis dictum *gouden rijder* Ducis Caroli Egmundani, nummum minus rarum, sed quem Museum nondum possidebat.

Ex nummis Flandricis coëmimus denarium cum IPRA (den Duyts Tab. XII N°. 4); item Civitatis Insulensis *(Rijssel)*; nummum dictum *griffioen*, cum inscriptione:

DEUM PLUS AMA QUAM ARGENTUM;

tandem dictum *vuurijzer* Philippi Pulchri, postquam major natu factus erat (den Duyts Tab. VI N°. 57).

Ex Transisalanicis in primis commemorandus est florenus aureus *(goudgulden)* Civitatis Zwollanae cum effigie Sancti Michaëlis sed male cusus, utpote mallei ictibus bis utrinque fere eadem inscriptione percussus.

Porro bracteatum argenteum hominis eccleastici cujusdam in quo apparet caput aversum cum mitra; ad laevam baculum dictum *kromstaf*, ad dextram lilium. Probabiliter hic rarus nummus est cujusdam veteris episcopi Argentoratensis (conf. N°. 279 Tabulae XIII, operis *Versuch einer Münzgeschichte des Elsasses von A. Freihern von Berstett*, Freiburg 1840, 4°. — Doct. Meyerus, Praefectus Numophylacii Tigurensis hunc nummum tribuit cuidam Episcopo Constantiae *(Konstanz)*. Vide: *die Bracteaten der Schweiz*, Zurich 1845, 4°. pag. 57, et effigiem in Tab. III N°. 166.

Praeterea comparavimus duos bracteatos itidem argenteos, paululum inter se diversos cum leone ad dextram eunte, typo fortasse Brunsvicensi, quamquam leo etiam in multis aliis Bracteatis occurrit. Non contigit nobis inspicere Maderi opusculum: *Versuch über die Bracteaten*, quod valde rarum esse videtur.

Tandem nummum aureum *Ecu a la Couronne* regis Francici Caroli VIII (1422—1461) cujus effigiem vide apud le Blanc, *Traité historique des Monnoyes de France*, Amsterdam 1690, 4°. et apud Combrouse, *Monnoyes nationales de France*, Paris 1840.

Nummum, itidem aureum, *écu au soleil*, Regis Francisci I, in usum regionis Delphinensis *(Dauphiné)* (Duby, *Monnoies des Barons, Prélats etc. de la France*, Tab. XXII N°. 10, habet ejusmodi nummum, sed cusum sub Ludovico XI); porro, quem primo loco commemorare debueramus, florenum aureum Humberti, Delphini Delphinensis Viennensis (Duby Tab. XXII N°. 8); hoc genus florenorum aureorum secundum le Blanc pag. 234 operis citati non diu in Francia in usu fuit.

Ex nummis Germanicis nacti sumus florenum aureum Alberti Marchionis Brandenburgici; sed multo majoris momenti sunt denarii Colonienses sequentes:

Primo loco denarius (sive obolus) nobis ignoti Archiepiscopi Coloniensis, cum baculo et libro, secundum typum procul dubio ex saeculo XII; oculi in effigie quae in antica apparet, sunt veluti puncta majora, secundum illorum temporum simplicitatem caput nondum mitra tectum est et meri crines tantum conspiciuntur, quod, ut notum, signum est magnae vetustatis. Videtur esse nummus Arnoldi I (1137—1148) atque unus ex iis, quos, etiam secundum exempla trita, describit von Mellen in: *Köllnische Münz-Sammlung* (N°. 2—8).

Magna intercedit similitudo inter hunc nummum et inter illos proximorum successorum Bernulphi Episcopi Trajectini.

Denarium Archiepiscopi Philippi I (1167—1191).

Tandem nobis comparavimus duos nummos Imperatorios Germanicos, quos hucusque, quamvis instructi opere Götzii: *Deutschlands Kaysermünzen des Mittelalters*, nondum alicui Imperatori certo attribuere nobis contigit. Ulterius hos nummos, ut et Colonienses descripsimus in *Alg. Konst- en Letterbode* anni 1846, Vol. II, pag. 152 et 153.

Ex Anglicis nacti sumus nummulum *penny* dictum regis Henrici III (1216—1272); vide Ruding, *Annals of the Coinage of Great Britain*, Tab. II N°. 16, 17 vel 18; difficile enim est in tam rudi moneta accurate definire quinam ex citatis sit; duos diversos dictos *angelottos* aureos Henrici VII (1485—1509); Ruding Tab. IV N°. 7 et 10, sed aliquatenus diversos, conf. Yonge Akerman, *Numismatic Manual*, pag. 320; dictum *Groat* Henrici VIII (Ruding Tab. VII N°. 15); alios nonnullos diversos; dimidium *groat* cusum in urbe Cantorbury (Ruding Tab. VII N°. 17).

Magni momenti profecto sunt haec incrementa nummorum medii aevi in variis regionibus cusorum. Aliquot millia nummorum medii aevi in nostro Museo tamen adhuc desiderantur, sed quantus est nummorum ejus generis numerus, et quot adhuc incogniti quotannis deteguntur!

C. nummi, tam memoriales, quam moneta ex tempore recentiori.

In Belgicis sive Neerlandicis commemoramus: florenum aureum sive *goudgulden* Civitatis Camporum cum insignibus Transisalaniae, ita dicti Overstift vel Sticht et Civitatis Camporum, nummum satis rarum; vide in Verkadii *Muntboek* Tab. 158 N°. 1; praeterea dictum *stuiver* urbis Daventriae (1663) cum inscriptione:

pace et bello cons(tans vel *tantes).*

Insignia quae in parte postica apud Verkadium apparent (Tab. 156 N°. 5) non bene delineata sunt, quum sint insignia dicti Oversticht.

Inter nummos Frisicos acquisivimus dictum *gouden rijder* anni 1626, itaque insueti typi; vide Verkade Tab. 118 N°. 5; dimidium *florijn* anni 1688 (conf. Verkade Tab. 127 N°. 3); duas diversas partes quartas ejusdem speciei nummorum; *snaphaan* vel *schelling* anni 1598; dimidium *stuiver* sive *groot* (cf. Verkade Tab. 129 N°. 6).

Ex Gelricis dictum *Unie-Rijksdaalder* (Verkade Tab. 7 N°. 2, sed exemplum nostrum profert annum 1590).

Urbis Noviomagensis acquisivimus *dubbelden stuiver* anni 1620 (Verkade Tab. 24 N°. 1) et *stuiver* anni 1619 (ibidem Tab. 24 N°. 3).

Ex nummis Germanicis accepimus Thalerum Wolfgangi Theodori Archiepiscopi Salzburgensis, sine indicatione anni quo cusus est; — ita dictum *Embder vier* sive nummum Frisiae Orientalis 4 stuferorum et nummum

Trevirensem Archiepiscopi Joannis Hugonis (conf. Bohl, *Trierische Münzen*, Tab. VIII N°. 83).

Ex Helveticis nummum majorem in memoriam ejectorum anno 1246 ex Helvetia per Guilielmum Tell, Stouffacher et Erni Austriacorum.

Ex Italicis *Zechino* Venetum Ducis Ludovici Manin.

Ex Anglicis dictum *half crown* Reipublicae anni 1651 (v. Loon II, pag. 374 N°. 3; Ruding Tab. XXXI N°. 3; Yonge Akerman pag. 346; *half crown* Olivarii Cromwelis anni 1658 (v. Loon II, pag. 433 N°. 2; Ruding Tab. XXXII N°. 5, Yonge Akerman pag. 348).

Ex Portugallicis maximum cognitum nummum aureum, nimirum 20,000 *Rees;* cusus est noster regnante Joanne V, anno 1727.

Ex Hispanicis aureum nummum dictum *doublon* vel *once* regis Philippi V, (nepotis Ludovici XIV) cusum anno 1738.

Quod ad nummos memoriales exterorum attinet, emimus nummos in memoriam coronati regis Georgii I (11 Oct. 1727) et coronatae reginae Carolinae, utrumque argenteum.

Ex nummis obviis in opere Looniano, tam proprie Neerlandicis, quam peregrinis, ad res Neerlandicas illustrandas allegatis, nummum in memoriam Hieronymi a Serooskerke (Vol. I, pag. 211); Hippolytae Gonzaga (I, 271 N°. 1); in honorem Principis Guilielmi I nefando scelere occisi (I, 345 N°. 2); hic nummus est deauratus et annulo instructus, quemadmodum multi erant, non tantum apud proavos nostros, sed etiam apud peregrinos pristini temporis, quosque in pectore gestabant homines insigniores; — nummum Ordinum Transisalaniae in memoriam pugnae Turnhoutanae (van Loon I, pag. 494 N°. 3), alium in memoriam praelii Neoportani (I, pag. 548 N°. 1); porro nummum rarissimum in memoriam Professoris Trajectini Gisberti Voetii (II, 107); Loonius commemorat se in uno tantum nummophylacio hunc nummum vidisse. Spectatissimus van Orden (vide horreum nostrum: *Tijdschrift voor Alg. Munt- en Penningkunde*, Vol. II, pag. 403 [1841]) etiam semel tantum se hunc nummum vidisse testatur; — nummum in memoriam pacis Bredanae (v. L. II, 555 N°. 1), qui nummus, inter Numismaticos cognitus sub nomine *Leonis Batavi*, Anglis inter alia causam praebuit nobis bellum indicendi.

Porro nummum in plerisque Catalogis inter Neerlandicos descriptum

cusum jussu Ludovici XIV in memoriam pugnae apud fossam Brugensem (vid. Goeree, *Gedenkpenningen van Lodewijk XIV*, Amsterdam 1712, 2 Vol. 8vo.); nummum in honorem Ludovici XIV (v. Loon III, 66); in memoriam aedium sculteti Zuylen van Nyevelt Roterodami vastatarum, propter morte mulctatum Costermannum (v. Loon III, 508); in memoriam captae urbis Namurci (IV, 25 N°. 3); mortuae reginae Mariae, Guilielmi III uxoris (plumbeus sed genuinus, IV, 124 N°. 3); in honorem naturae Scrutatoris Delphensis Anthonii Leeuwenhoekii (IV, pag. 223); idem in memoriam expertissimi Numismatici Andreae Schoemaker (v. Loon continuatus Parte I N°. 4; sed nostrum exemplar habet posticam N°. 133); tandem nobis comparavimus nummum parvum deauratum in memoriam quod Princeps Supremus *(Souvereine Vorst)* Monetam Trajectinam invisit anno 1814.

Omnes nummi supra memorati, nisi contrarium indicatum sit, sunt argentei.

Permutatione acquisivimus quatuor nummos argenteos medii aevi, nummum dictum *boddrager* sive potius *groot* Eduardi Ducis Gelriae (1361—1371), cusum Arnhemiae. In antica leo coronatus cum inscriptione: EDUARDUS in postica crux.

Nummum Guilielmi I, Ducis Gelriae (1372—1402); fortasse, dum in populo versabat, *groot* dictum. In antica galea apparet, in quo cauda pavonis, in ornamento, ex octo arcubus constante.

WILHELM. DUX GELR. Z. COM. ZUTP.

In postica crux simplex, inter cujus crura initialia urbium monetalium:

A(rnhemia) S(utphania) N(eomagum) et R(uremunda).

Inscriptio est:

MONETA NOVA DE AERNEMENSIS (sic).

In alio exemplo legitur *aernemmensis* (sic); atque hi erant nummi publica auctoritate cusi!

Alius ejus generis nummus habet in antica duos leones ad latera galeae. Inscriptio:

WILHELM. DUX GELRIE (sic) Z. COM. ZUTP.

In postica apparet crux valde ornata et inscriptio:

MONETA DE AERNEMENSIS.

Uterque nummus, hucusque ineditus, a nobis ad publicam perferetur notitiam.

Sunt fere, cum ita dictis *chartis*, unica monumenta pristini aevi non tantum in Gelria, sed per totam Neerlandiam.

Quartus est ejusdem generis nummus Guilielmi V, Comitis Hollandiae, infelicis filii Margarethae, postea mente capti, qui ab anno 1345—1359 regnavit.

In antica galea, in qua cauda pavonis; ad latus insignia Bavarico-Hollandica. Inscriptio:

GUILLELM. DUX. COM. HOLA Z. ZELAND.

In postica crux valde ornata et tanquam in flores desinens.

BENEDICT(us) QUI VENIT IN NOMINE DNI (Domini).

Nummus hic minus accurate depictus est in opere Alkemadii Tab. XXV, 2, N°. 5.

Ex nummis Germanicis:
argenteum dictum *Petergrosch* Frederici III, Archiepiscopi Coloniensis (1370—1414); in postica legitur inscriptio:

PER YTAL. ARCAN. C. MONETA TUYCN.

i. e.

Per Italiam archicancellarius. moneta Tuicensis (munt van Deutz).

Commemoratur, non explicatur, hic nummus in von Merle, *Köllnische Münzsammlung*, Köln 1792, S. 180, 181.

Duos diversos nummos Cunonis, Domini Falkensteini, Archiepiscopi Trevirensis (1362—1388).

Prior cusus est, quum Archiepiscopatum Coloniensem procuraret.

In antica protome Petri Apostoli apparet in ornamento Gothico. Inscriptio:

CUNO ARCPUS TREVEREN.

In postica circum insignia Treverensia legitur:

ADMIST. ECCE COL. MONETA TUYC.

i. e.

Administrator ecclesiae Coloniensis. Moneta Tuicensis.

Conf. von Mellen libro cit. pag. 174 N°. 8.

Alter habet in antica:

CUNO ARCHEPS. TREVEN.

Et in postica:

PER GAL. ARCAN. MONETA CONF.

i. e.

Per Galliam archicancellarius. Moneta Confluentiae.

Ejusmodi nummus, sed cusus Treviris *(moneta Trevere)*, occurrit in opere Bohlii, inscripto: *Trierische Münzen*, Hannover 1837, 4°. Bohlius vocat hoc genus nummorum *Weissgroschen.*

Ejusdem Archiepiscopi Cunonis acquisivimus minoris formae nummum, non obvium in opere modo citato de nummis Trevirensibus, sed cujus effigiem, paucis aliter se habentibus, vide apud Lelewel, *Numismatique du moyen age*, Pl. XIX N°. 9; habet autem formam denariorum exeuntis seculi XIII[i].

Ant. Sanctus Petrus clavem sinistra et sceptrum crucigerum dextra manu tenens; ante eum insignia Archiepiscopi apparent. Inscriptio:

CUNO ARCPS. TREVEREN.

Post. Crux simplex cum cruribus ejusdem longitudinis, quae ad marginem nummi se extendunt; intra crura duodecim globuli conspiciuntur (an est symbolum: solidum, *schilling* vel *schelling*, valere 12 hujus generis nummos?) Inscriptio:

MONETA CONFLUENC(iae).

Praeterea *grosch* vel *groot* Guilielmi, Ducis Juliaci (marchio erat inde ab anno 1339; dux inde ab anno 1356—1361).

A. Insignia ornatiora Juliaci

WILHELMUS DUX JULIACI.

P. In cruce eleganter ornato apparent insignia, in quibus simplex aquila.

MONETA NOVA DURENSIS.

Oppidum *Duren* erat locus, ubi moneta antea cudebatur.

Praeterea duos nummos, qui videntur fuisse partes tertiae praecedentis. Typus et inscriptiones fere sunt iidem; aquila in margine alterius est signum monetarium *(muntteeken).*

Grossus Guilielmi II, Comitis Montium, sed cusus temporibus, quibus illa regio, quae postea Ducatus titulo ornata est, tantum Comitatus dicebatur, itaque ante annum 1380.

A. Insignia Montium, supra quae jacent illa Ravensbergi.

† WILHELM. COMES DE MONTE R.

In postica duae inscriptiones:

in exteriore circulo:

Xrc vicit (sic) *Xrc regnat*, *Xrc in* (imperat).

in interiore:

Moneta Molim.

i. e. urbis Moelheim sive Mulheim (ad ripam fluvii *Roer).*
Crux valde simplex in intima parte nummi conspicitur.

Nummum ex viliore argento Adolphi VI, Comitis Marcae, qui in matrimonium ducens Margaretham de Clivia, Dux illius regionis factus est. Est igitur ex secunda parte seculi XIV.

Ant. Miles stans cum gladio erecto in brachio dextro, dum insignia Clivensia sinistra tenet. Hic typus magnam similitudinem habet cum ita dictis *Braymannen* Civitatis Mosa-Trajectensis, quos vide in Ghesquierii opere et in diario *Revue de la Numismatique Belge* [etiam in nostro opere manuscripto, sed postea edendo de nummis Brabantiae et Limburgi]. Inscriptio est:

Adolphus Comes Cleven (litterae *e* et *n* conjunctae sunt).

Post. Elegans crux in flores desinens

† *Moneta nova de clevensi* (sic).

Tandem nummum aeneum in memoriam pacis Bredanae anni 1667 (v. Loon II, 555 N°. 1) et zinceum (sed genuinum) quem Magistratus Leidensis Studiosis dedit in memoriam quod anno 1672 partem urbis sibi custodiendam sumserant (v. Loon III, pag. 83); duos nummos obsidionales urbis Eger (anni 1743) pretii 3 et 1 creuzerorum; — nummum argenteum anno 1787 Militiae urbanae Roterodamensi datum cum inscriptione:

gehouw en getrouw.

dictum *piedfort* octavae partis nummi *écu* (apud le Blanc pag. 294 *demi quart d'escu)* Henrici IV, anni 1607; in crassitie marginis legitur:

probati numismatis exemplum.

Koggerdaalder Frisiae, cum litteris cursivis (Verkade Tab. 125 N°. 2); dimidium *Rijksdaalder* urbis Daventriae (1666) Verk. Tab. 149 N°. 3; florenum Gelriae *sine indicatione pretii* anni 1712; tandem parvulum nummum Joannis Benigni, Ducis Clivensis, cum inscriptione:

Moneta nova Renes (pro *Renensis*).

Dono accepimus:

A Senatu Civitatis Hamburgensis magnum nummum confectum in memoriam horrendi incendii, quod magnam partem illius florentissimae urbis

consumsit intra dies 5—8 Maji 1842. Hic nummus fusus est ex materie superstite campanarum in duabus ecclesiis combustis. Inclusus autem est hic nummus in theca confecta ex tignis ambustis Curiae Urbis, quae nonnisi indefessa opera civium tunc temporis servata est.

Vir Spectatissimus S. G. Broekman (dictus *Consul-Generaal der vrije Steden Hamburg en Lubek voor het Koningrijk der Nederlanden)* Amstelodami, nobis rogantibus, hunc rarum nummum procuravit.

A Praefecto maritimo bellico emerito *(Kapitein-Luitenant)* J. H. van Kervel in hac urbe, monetam chartaceam Indiae Orientalis 10 florenorum, donum nobis valde gratum.

Ab Ornat. W. Bisschop, Lit. Hum. Stud. in nostra Universitate, nummum argenteum, anno 1814 jussu Principis Supremi Neerlandici confectum, ad remunerandos eos civitatis Brielanae cives, qui die semper memorabili 1 Decembris 1813 Franco-Gallos ex illa urbe pepulerant; — nummum aeneum in memoriam et honorem viri de patria egregie meriti Joannis van den Bosch, quondam Indiae Neerlandicae Gubernatoris, caet.; — praeterea aliquot alios nummos varii generis, in his nummum aeneum Bengalicum cum inscriptione trilingui, nimirum lingua Bengalica, Nagarica et Persica. Est autem cusus anno 37° regni principis dicti Schach Alem. (conf. Ruding, *Annals of the Coinage of Great Britain and its colonies*, Tab. SS. N°. 6).

A Viro Consult. Numismaticesque amantissimo G. L. Feyens Leovardiae, nummulos ex aere flavo, dictos: *Armenloodjes van het voormalige Soete Naam Jesus Gilde*, hodie dictum: *Ritske Boelema Gasthuis*, percussos insignibus Civitatis Leovardiae.

A Viro Spectatissimo G. van Orden, Zaandamensi, partem Thaleri, dictam *Schrickenborger*, ducum Saxoniae Frederici Georgii et Joannis, ineunte saec. XVI; $\frac{1}{3}$ Thalerum anni 1554 Ducis Augusti Saxoniae; *vierstuiverstuk* Imperatoris Caroli V, sine indicatione anni; majorem nummum argenteum Comitis Palatini Caroli Theodorici; stuferum Gelriae anni 1640; eundem nummum Groningae et Omlandorum anni 1681; — secunda donatione hoc anno accepimus duos nummos Saxonicos anno 1658 cusos, diversae magnitudinis, sed utrumque cum inscriptione:

Conditor Condita Coronide Coronet.

A Tabellione Gorinchemensi C. G. Boonzajer duos nummos dictos *Legpenningen* (v. Loon II, 50 N°. 2 et van Orden, *Handleiding* N°. 1256); nummum Belgicum:

A. JUGO AUSTRIACO EXCUSSO.

P. EX DECRETO COMITIORUM FLANDRIAE.

dictum *stooter* Provinciae Hollandiae, caet.

Praeterea grossum et dimidium grossum (*heele en halve boddrager* dictos) Ludovici Maleni, Comitis Flandriae (1346—1384); et grossum Adolphi, Comitis Clivensis (1417—1448) cum inscriptione:

moneta nova grosi (sic) *cleven*.

Intra crura literae

COMS (comes?)

tandem aliquot parvos nummos aeneos, quales etiam accepimus a Tabellione D. van der Horst in urbe Weesp.

A Pharmaceuta hon. Roterodamensi A. Losel Vorstman septuaginta et unum nummos, plerosque aeneos, Russicos, Suecicos, Danicos, caet. In his memorabilis est nummulus Sancto-Simonistarum (Sectatorum doctrinae Sancti Simonis vel DE SAINT SIMON).

A. Effigies dicti Patris ENFANTIN cum inscriptione:

MAXIMUS.

P. Insignia vacua *(een ledig wapenschild)*. Circum illa

NON PLUS ULTRA.

A lectissima virgine J. M. H. S. Ameshoff Amstelodami tres nummos memoriales, ex peregrinatione Anglica sibi superstites; maxime memorabilis inter hos est in memoriam apertae magnae illius viae subterraneae sub alveo fluvii Thamesis, qui *Tunnel* dicitur, et post laborem saepe interruptum 18 annorum die 25 Martii 1843 publico usui inservire coepit.

A Viro Ornat. C. Webbers Hagae-Comitis nummum argenteum cusum in memoriam initi matrimonii Imperatoris Napoleonis cum Maria Luisa, principe Austriae, die 1 Aprilis 1810.

Ab Illustrissimis Academiae Curatoribus accepimus exempla argentea et aenea nummi Romani, anno 1846 cusi, dum sedes Pontificis Maximi vacaret, intra obitum Gregorii XVI et electionem Pii IX.

A. Insignia Cardinalis Antonellii. Inscriptio:

SEDE VACANTE MDCCCXXXXVI.

In postica sub corona legitur:

JACOBUS ANTONELLI
R(omanae) C(uriae) A(postolicae)
THESAURARIUS
GENERALIS.

A Viro Spectat. A. Bern, Burgimagistro pagi Zeist, tres nummos memoriales Russicos, unum, permagnum, in memoriam victoriae, duce Orloffo, a Russis apud Tschesme, anno 1770 reportatae; alterum matrimonii Magni Principis Pauli anno 1773; tertium alterius matrimonii ejusdem Principis cum Principe Maria anno 1776.

A Viro Spect. P. F. van der Wallen, Assessore pagi Kralingen, nummum anno 1817 confectum ab Equite Simon in memoriam aperti novi portus Medioburgensis; — nummum insulae Melitae, valens 4 Tornesi *(deniers Tournois)* Magni Magistri J. P. Lascaris anni 1643; — nummum Norvegicum valens 2 skillingen, anni 1642.

Ab honest. P. Sloot in urbe Sciedamo, *dukaton* Trajectinum, anni 1751 cum inscriptione in margine:

Domine salvum fac principem.

qui Princeps erat dilectus Guilielmus IV, quem Stadhouder vocare solebant.

Commemoratur hic nummus rarissimus in Verkadii libro: *Muntboek* sub Numero 563.

Ab Ornat. K. Kaan Harlemi, *kopek* Imperatoris Petri I ex primis annis regni; tum nummum Sibericum anni 1775, regnante Imperatrice Catharina cusum.

Ab Ornat. J. W. Pronk, *halfpenny* argenteum reginae Elisabethae, ex primis annis regni, itaque ante annum 1558 cusum (Ruding, *Annals of the Coinage of Great Britain*, Tab. XII, N°. 25 vel 26); nummus hic, in continenti Europae hodie rarus, anno 1572 datus est a milite Hispanico puellae..... Dullaart Roterodamensi, in cunis jacenti „in memoriam quod Hispani Roterodami fuerant." A matre porro hic nummus datus est filiae, donec tandem in Museum nostrum Academicum pervenit.

Ab Ornat. J. W. van der Noordaa Dordraci, *threepence* regis Guilielmi III,

Magnae Britanniae et uxoris Mariae; duo *twopence*, alterum Caroli II, reginae Annae alterum; tandem duo *penny* Caroli II.

A Viro Clar. J. H. Schroeder, Numophylacii Universitatis Upsaliensis Praefecto, sex diversos nummos Oscaris I, regis Sueciae.

A Viro Excell. de la Sarraz, rebus externis regni Praefecto, aliquot nummos aeneos, v. c. Russicos, in urbibus Petropoli et Moskow cusos; nummos Suecicos et Norvegicos regis Oscaris I, nummos Danicos regis Christiani VIII; nummos Austriacos tam necessitate urgente, anno 1800, 1807 et 1812, quam postea, solito modo, anno 1816, tam in urbe Vindobona, quam in urbibus Salzburg, Kremnitz, caet. cusos; nummos elegantes recentiores Turcicos, prorsus diversos a barbaris illis, ante non multos annos cusos. Sunt hi nummi a peritis artificibus Italis confecti, valentque pretium *quinque* et *unius* para.

In antica utriusque apparet thoghra Sultanis Abdul-Mesjid. In postica inscriptio:

Magnum est ejus [Dei] *nomen. Cusus Constantinopoli*, 1255; *anno* 7°.
Annus autem Muhamedanicus 1255 convenit cum nostro 1839, cui additi 7, faciunt 1846.

In nummo 5 pararum in superiore parte conspicitur 5; in nummo unius para, 1, indicia pretii. — Ex additis litteris Viri Spect. G. Testa, res Neerlandicas apud Turcas procuranti, apparet para tunc valere partes 362ᵃˢ floreni Neerlandici.

Ex Brittannia accepimus thecam cum egregiis exemplis nummorum dictorum *penny*, *halfpenny*, *farthing* et *halffarthing* reginae Victoriae, ab egregio scalptore Wyon confectorum; Borussicos 4, 3, 2 et 1 pfennig, tam Berolini, quam Dusseldorfiae confectos; Bavaricos 2 et 1 pfennig et 1 heller, Wurtembergicos partes dimidiam et quartam dicti creuzeri. Badenses, varios nummos unius et dimidii creuzeri, in quibus memoratu dignus est creuzerus anni 1844 cum effigie statuae recens positae Magni Ducis Caroli Frederici, qui pactum fundamentale Badensibus concessit; — Hassicos, Nassavicos et liberae Civitatis Francofurtensis. His juncti erant duo nummi memoriales, alter loci Ehrenbreitstein, cusus dum Fredericus Augustus inaugurabatur Supremus Dux Nassaviae anno 1808; alter in memoriam navigationis per fluvium Lahn usque ad urbem Weilburg apertae

die 12 Octobris 1810; — aliquot nummos regios Saxonicos, tum magni ducatus Saxoniae Meiningae, principatuum Schwarzburgi-Rudolstadi, Reusz-Lobenstein-Ebersdorfi, uti et Reusz-Schleizi; — nummos Hieronymi Napoleonis, regis Westphaliae, caet.

Ex Brasilicis nummos 40, 20 et 10 rees, qui quo tempore in usum publicum edebantur, duplum illius pretii valebant.

A Praefectis Fundationis Teylerianae Harlemi exempla argentea duorum nummorum, quos praemii loco duae Societates illius Fundationis dare solent.

A Delegatis ad procurandum nummum in honorem Dermoutii, Synodi Eccles. Belg. Reform. per 30 annos ab actis, ob praestita etiam a nobis in procurando nummo officia, exemplum aeneum illius nummi. — Habet autem in antica effigiem docti illius viri cum inscriptione:

J. J. DERMOUT PER VI LVSTRA SYN. GEN. ECCL. REF. BELG. AB ACT.

Sub effigie:

A. MDCCCXLV.

In postica tantum:

VIRO NOBILISSIMO SVMME REVERENDO MVLTIS NOMINIBVS PRAECLARO
SODALES AMICI CVLTORES.

Quum hoc anno purgabamus nummos ante aliquot annos coëmtos, sed aerugine prorsus tectos, et quidem admodum facili modo, nobis recens communicato, deteximus aliquot nummos rariores ditionum ad ripas Rheni sitarum. Sed maximi momenti inter nummos, quos purgavimus, est Frisicus, fortasse *groot* dictus, Alberti ducis Saxoniae et Gubernatoris Frisiae, cusus anno 1500, quem nummum publici juris facere nobis in animo est.

P. O. van der Chijs.

FATA ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

INDE A. D. IX FEBR. MDCCCXLVII AD D. VIII FEBR. MDCCCXLVIII.

RECTORE MAGNIFICO

ANTONIO HENRICO VAN DER BOON MESCH,

SENATUS ACADEMICI ACTUARIO

JOANNE HENRICO SCHOLTEN.

ACTA ET GESTA IN SENATU.

A. 1847.

Die 7 Maji. Lecta est epistola Curatorum nuntians, decreto regio d. 13 Mart., Cl. P. L. Ryke Prof. extraord. tributa esse jura, quae academici Senatus sociis competunt.

Die 10 Septembris. Literae Curatorum d. 9 Sept. Senatui nuntiant, Doct. Carolum Augustum Xaverium Gottlieb Fredericum Sicherer, sine stipendio, creatum esse Literarum Germanicarum Lectorem.

Die 23 Septembris. Cl. M. Siegenbeek annum muneris Professoris expletum quinquagesimum publica et solenni oratione in Auditorio majori celebravit, *de incrementis, quae annis quinquaginta proxime elapsis studium cepit literarum Neerlandicarum.* (Ed. L. B. 1847.)

Die 26 Novembris. Luget Senatus obitum Cl. J. C. Broers Prof. Ord. in Facultate Medica.

A. 1848.

Die 10 Januarii. Senatus designavit quatuor Professores, quorum nomina ad Regem deferantur, ut inde Rectorem Magnificum in proximum annum legat, Cl.

A. Rutgers.
G. C. B. Suringar.
C. J. van Assen.
W. A. van Hengel.

Jubet dein novum Actuarium creari ex quatuorviris Cl.

A. H. van der Boon Mesch.
A. Rutgers.
C. J. van Assen.
G. Sandifort.

Die 5 Februarii. Lecta est epistola Curatorum, qua nuntiant, ex regio decreto d. 24 Jan., loco V. Exc. van der Heim van Duivendyke, ad ministerium rerum regni internarum vocato, designatum esse Virum Ampl. D. J. van Ewyck tot de Bildt, Hollandiae Sept. Gubernatorem.

Lecta est epistola Curatorum una cum decreto regis, quo in proximum annum Cl. A. Rutgers designatur Rector Magnificus. Rectori futuro decernuntur Assessores Cl.

C. Pruys van der Hoeven.
J. R. Thorbecke.
N. C. Kist.
P. L. Ryke.

Die 8 Februarii. Actuarius Rectoris vice fungens refert de obitu repentino uxoris Viri Cl. van der Boon Mesch Rectoris Magnifici eamque ob causam Rectorem prohiberi, quo minus orationem habeat; se igitur auditores qui orationis audiendae causa in Auditorium majus confluxerant ex cathedra ejus rei certiores esse facturum.

Prorector refert Actuarium in proximum annum esse creatum Cl. A. H. van der Boon Mesch.

Deinde Prorector cum Senatu caeterisque Professoribus in Auditorium majus descendit et ex cathedra refert de casu improviso, quo Rector prohibetur, quo minus orationem habeat. Proclamat porro Rectorem Magnificum, Assessores et Actuarium in sequentem annum designatos novoque Curatori munus in ipsum collatum gratulatur.

SERIES LECTIONUM

HABENDARUM POST FERIAS AESTIVAS A. MDCCCXLVII.

FACULTAS DISCIPLIN. MATHEM. ET PHYSIC.

A. H. van der Boon Mesch Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . . horâ IX.

Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit iisdem diebus XI.

Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii . . . . XII.

Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Jovis . . . . XII.

Experimenta instituendi artem docebit, et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.

Cum studiosis provectioribus de Physiologia chymica colloquetur, die Veneris horâ vespertinâ . . . . V—VIII.

C. G. C. Reinwardt Civium academicorum studia, quantum aetas et vires sinent, juvare paratus est.

J. de Gelder Civium academicorum studia adjuvare paratus est, si qui sint, qui mathematicarum disciplinarum Capita selecta sibi explicari cupiant.

J. van der Hoeven Zoologiam tradet, d. Lun., Mart. et Merc. XI.
aestivo tempore . . . . X.

Anatomes et Physiologiae comparatae primas lineas exponet, diebus Jovis et Veneris, iisdem horis.

Historiam naturalem hominis sive Anthropologiam physiologicam docebit, diebus Martis et Jovis . . . . I.

Geologiae initia explicabit, diebus Lunae et Mercurii . . . I.

G. J. Verdam Elementa Geometriae planae et Trigonometriam planam tradet, die Jovis . . . . X.
et die Veneris . . . . IX et X.

Stereometriam et Trigonometriam sphaericam, hujusque usum, explicabit, die Mercurii . . . . VIII.
et die Jovis . . . . IX.

Arithmeticam universalem sive Algebram docebit, diebus Martis, Jovis et Veneris . . . . horâ VIII.
nisi alia hora magis conveniat.

Lectiones de *Calculo integrali* et de *Mechanica analyticâ* continuabit diebus et horis commodis.

Scholae paedagogicae postea indicabuntur.

F. KAISER Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.

Astronomiam practicam, iisdem diebus . . . . X.

Artis observandi exercitiis quotidie praeërit.

Theoriam motus corporum coelestium, secundum Cl. GAUSS tradet, diebus et horis Auditoribus commodis.

Provectioribus discipulis disquisitiones Cl. HANSEN aliorumque, de perturbationibus, quas motus corporum coelestium patiuntur, aptis horis, commentabitur.

Astronomiam quam popularem vocant tradet, diebus Lunae et Mercurii, horâ vespertinâ . . . . V.

Astronomiae primas notitias mathematicas tradet, iisdem diebus, horâ vespertinâ . . . . VI.

Singulos suos auditores, ad coelum, tubi optici ope, perlustrandum, aptis temporibus evocabit.

Si qui sint, qui Chronographiae et Calendariographiae operam dare cupiant, in auditorum commodum horas constituet.

G. H. DE VRIESE Phytographiae fundamenta tradet autumnali tempore matutino, dieb. Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris VII.

Plantarum indigenarum et medica virtute praeditarum historiam illustrabit verno et aestivo tempore, dieb. horisq. iisdem.

Physiologiam plantarum exponet, d. Lun., Mart., Merc. et Jov. I.

Provectioribus discipulis selectas demonstrabit familias naturales, iisdem diebus . . . . II.

Excursionibus botanicis praeërit die Saturni, apta tempestate.

P. L. RIJKE, Prof. Extr., Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XII.

Physicam Mathematicam tradet, diebus Martis et Jovis . . VIII.

FACULTAS PHIL. THEOR. ET LIT. HUMANIORUM.

M. Siegenbeek propter aetatem septuagenariam rude donatus, quantum per vires licebit, studiosae juventuti prodesse conabitur.

J. Bake interpretabitur Ciceronis libros *Tusculanarum Disputationum*, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . horâ IX.

Euripidis *Phoenissas* et Platonis *Protagoram*, iisdem diebus X.

Antiquitatum Atticarum locum *de Actionibus privatis*, et *Topographiam Athenarum* explicabit, d. Lunae et Mercurii I.

Scholas Paedagogicas moderabuntur J. Bake et C. G. Cobet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . II.

P. Hofman Peerlkamp explicabit Historiam Universalem, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XI.

Interpretabitur quae de scriptis vetustissimorum poëtarum Romanorum supersunt. Horam postea dicet.

J. M. Schrant, Praecepta styli Neêrlandi seu Eloquentiae, nec non Oratoriae artis externae, tradet diebus Jovis et Veneris . . II.

et die Saturni . . . . IX.

Historiam Patriae enarrabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii II.

Vondelii tragoediam *Gijsbrecht van Amstel* explicabit, diebus Veneris et Saturni . . . . X.

Eloquentiae historiam criticam, cum veteris tum recentioris aevi, enarrabit, diebus et horis auditoribus commodis.

A. Rutgers Michae Vaticinia et *Psalmos* selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis . . . . IX.

et die Mercurii . . . . I.

Primum Samuelis Librum cursoria lectione tractabit, d. Merc. II.

et die Jovis . . . . XII.

Antiquitates Israëlitarum explicabit, d. Lun., Mart. et Merc. XII.

Si qui sint, qui linguae Sanskritae elementa sibi explicari cupiant, eorum studia lubentissime adjuvabit.

Grammaticam Sanskritam docebit et Anthologiam Sanskritam a Cl. Lasseno editam, explicabit, die Lunae et Martis . I—III.

et die Veneris . . . . XI.

Hitopadesam explicabit, die Veneris . . . . horâ I—III.
Mahabharatam interpretabitur, die Jovis . . . . IX—XI.

T. G. J. JUYNBOLL Sermonis Hebraei elementa tradet, tum Grammaticâ explicandâ, tum analyticis exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis, Mercurii . . . . VIII.
et die Jovis . . . . I.

Literarum Arabicarum, Chaldaicarum et Syriacarum initia docebit (duce Cl. ROORDA, WINERO, UHLEMANNO), diebus Jovis, Veneris et Saturni . . . . VIII.

Cum provectioribus Chrestomathiam leget Arabicam Cl. KOSEGARTENII, die Martis . . . . II.

Et Fabulas BIDPAJI, ex ed. Sacyana, die Veneris . . . . . XI—I.

Coranum, additâ lectione Commentarii Baidhawiani, die Jovis V—VII.

Chrestomathiam Syriacam KIRSCHII a Cl. BERNSTEINIO iterum editam, die Mercurii . . . . II.

Chrestomathiam Persicam SPIEGELII, et *Mirkhondii Historiam Samanidarum*, quam ed. Par. 1845. Doct. DEFREMERY, d. Sat. V—VII.

J. H. STUFFKEN *Logicam* tradet, die Mercurii . . . . I.
die Jovis . . . . XI.
die Veneris . . . . XII.

Metaphysicam docebit, diebus Martis et Jovis . . . . X.
die Veneris . . . . II.

Lectiones paedagogicas habebit horis postea indicandis.

Philosophiam moralem explicabit, die Martis et Mercurii . . XII.

C. G. COBET, Prof. Extraord., Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.

Elementa Artis Metricae docebit, diebus Jovis et Veneris . I.

Initia Palaeographiae Graecae provectioribus explicabit, diebus Lunae et Mercurii . . . . I—III.

Disputandi exercitia publica moderabitur, die Jovis . . . . XI.

FACULTAS MEDICA.

G. SANDIFORT Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . X.

Physiologiam, Anatome comparata illustratam, iisdem diebus horâ IX.
Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore . . I—III.

M. J. Macquelyn quantum rerum suarum ratio patietur, juventutis Academicae commodis inservire paratus est.

J. C. Broers Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Martis, Mercurii et Veneris . . . . XII.
Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit quotidie . . . . VIII.
Collegio Casuali, diebus Lunae et Jovis . . . . XII—III.
Operationibus Chirurg., hiberno tempore, horis dein indicandis.
Artem Obstetriciam theoreticam et practicam docebit, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . X.
Medicinam Forensem, die Jovis et Veneris . . . . X.

C. Pruys van der Hoeven Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . I.
Medicinam practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie . . . . XI.
Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Jovis . . . . I.

G. C. B. Suringar Therapiam generalem docebit, diebus Martis, Jovis et Saturni . . . . XII.
Pharmacognosin et naturalem remediorum Historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . XII.
Therapeuticum remediorum usum indicabit, d. Merc. et Ven. I.
Doctrinam morborum singularium tradet, d. Lun., Mart. et Jov. I.
Praxin medicam, ad lectulos aegrotantium, moderabitur, diebus singulis . . . . IX.

C. Pruys van der Hoeven et G. C. B. Suringar disputandi exercitiis praeërunt, die Jovis . . . . III.

FACULTAS JURIDICA.

H. G. Tydeman Encyclopaediam Juris tradet, d. Lun., Mart. et Merc. XII.
Oeconomiae Politicae principia ad patriam nostram adplicata, iisdem diebus . . . . I.
Statisticam Patriae tractabit, diebus Jovis et Veneris . . . . XII—II.

C. J. van Assen explicabit libros Digest., d. Lun., Mart. et Merc. horâ IX.
Institutiones Juris Civilis Romani, d. Lun., Mart. et Merc. VIII.
Jus Civile hodiernum, diebus Lunae, Martis et Mercurii . II.
die Jovis . . . . X.
Ordinem judiciorum et rem judiciariam privatam cum exercitationibus forensibus, die Jovis . . . . IX.
et die Veneris . . . . IX et X.
Disput. exercitia moderabitur dieb. et hor. deinde constituendis.
H. Cock tradet Ordinem Judiciorum Crim., d. Lun., Mart. et Merc. VIII.
Jus Publicum et Gentium, diebus Lunae, Martis et Mercurii IX.
Jus Criminale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . X.
et die Jovis . . . . XI.
Jus Naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . . XI.
J. R. Thorbecke explicabit Histor. Jur. Rom., d. Lun., Mart. et Merc. I.
Historiam Europae diplomaticam a regno Ludovici XIV usque ad Congressum Viennensem, iisdem diebus . . . . XII.
Jus Mercatorium, iisdem diebus . . . . XI.

FACULTAS THEOLOGICA.

W. A. van Hengel Pauli Epistolam ad Romanos interpretabitur, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . VIII.
Locos Novi Testamenti, qui dicuntur, Classicos tractabit, diebus Martis et Jovis . . . . VIII.
Homileticam tradet, diebus Lunae et Martis . . . . IX.
Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris V sqq.
Oratoriae Sacrae exercitationibus praeërit, die Jovis . . . . I.
N. C. Kist Historiam Ecclesiasticam docebit inprimis antiquam, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Christianae morum Disciplinae partem exponet cum practicam tum asceticam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . XI.
Doctrinae et Dogmatum Christianorum Historiam tradet, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.
Historiae Ecclesiasticae Veteris monumenta exponet, die Martis XI.

Exercitia disputandi moderabitur, die Saturni . . . . horâ II.
Orationibus Sacris praeërit, die Martis . . . . II.

J. F. VAN OORDT, J. G. FIL., Theologiam Christianam theoreticam tractabit, diebus Mercurii, Jovis et Veneris . . . . . . IX.
Parabolas J. C. interpretabitur, diebus Lunae et Mercurii . X.
Theologiam Pastoralem docebit, diebus Martis et Jovis . . X.
Historiam Librorum N. F. (duce E. REUSS, *die Geschichte der H. Schriften N. T.*) exponet, die Mercurii . . . . . I.
et Veneris . . . . X.

J. H. SCHOLTEN Theologiam Naturalem exponet, die Lunae . . . I.
et Martis . . . . XI.
Verba characteristica, et locutiones in libris N. F., quibus religionis Christianae indoles exprimitur, explicabit, d. Mart. I.
et Jovis . . . . XI.
Disquisitionem criticam instituet de Actuum Apostolicorum libro, diebus Jovis et Veneris . . . . I.
Cum provectioribus de rebus theologicis, praesertim dogmaticis, colloquetur, die Saturni, horis vespertinis. . . . . . VII—X.
Orationibus Sacris praeërit, die Mercurii . . . . II.
Publice disputandi exercitationibus praeërunt alternis hebdomadibus, die Saturni horâ I, alternatim J. F. VAN OORDT, J. G. FIL. et J. H. SCHOLTEN.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extr. ornatus, Numismaticam generalem tradet, diebus Lunae et Jovis . . . . I.

W. FLEMING, Litt. Anglicarum Lector, explicabit SHAKESPEARII Tragoediam, quae *Othello* vocatur, Poetaeque SCOTT carmen cui titulus: *Lady of the Lake*, d. Mart. et Ven. horâ post meridiem V.
Litterarum Anglicarum minus peritis privatis institutionibus aderit, diebus et horis, quae illis convenient.

NUMERUS ADOLESCENTIUM

QUI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

STUDIIS OPERAM NAVARUNT IPSO DIE 31 DECEMBRIS MDCCCXLVII.

E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM.	E FACULTATE MEDICA.	E FACULTATE JURIDICA.	E FACULTATE THEOLOGICA.	CUNCTUS NUMERUS.
10	36	94	231	66	437

In hunc numerum excepti sunt 115, quorum

in Facultate		Disc. Math. et Phys.	2
〃	〃	Phil. Theor. et Litt. Hum. . . .	9
〃	〃	Medica	37
〃	〃	Juridica	43
〃	〃	Theologica	24
			115

qui nomina in albo professi sunt, eo tantum consilio ut hic examinarentur, ceterum in diversis Athenaeis versantur.

SERIES
CANDIDATORUM QUI GRADUM DOCTORATUS ADEPTI SUNT
IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA
A DIE IX FEBRUARII MDCCCXLVII AD DIEM VIII FEBRUARII MDCCCXLVIII.

ANNO MDCCCXLVII.

d. 15 Febr. JOHANNES CHRISTIANUS HUMMEL, ex Cattorum vico, def. Diss. *de Prodico Sophista*, Ph. Th. M. et A. L. D. *cum laude*.

d. 17 Febr. HERMANNUS GUILIELMUS DE GRAAFF, Leidensis, def. Diss. *in Cod. Merc. Belg. lib. I. tit.* 2. *sect.* 4, J. U. D. *cum laude*.

d. 25 Febr. JOANNES FRANCISCUS VAN HULSTEYN, Noviomagensis, publice def. Diss. *de fistula pulmonali*, M. D. *cum laude*.

d. 26 Febr. FRANCISCUS JUNIUS VAN HEMERT, Haganus, def. Diss. *de modis quibus sententia arbitrorum infirmatur*, J. U. D. *cum laude*.

d. 4 Mart. HERMANUS JOHANNES VAN HENGEL, Amstelod., def. Diss. *de morbis organicis sinuum maxillarium*, M. D. *cum laude*.

d. 15 Mart. HENRICUS SEBASTIANUS AEGIDIUS VAN DER HEYDEN, Goudanus, def. Diss. cont. *hist. diabetis spurii*, M. D. *cum laude*.

d. 22 Mart. CASPARUS JACOBUS DE LANGE, Alcmariensis, M. D., def. Th. Ch. D.
PETRUS FRANCISCUS OTTEN, Harlem., M. D., def. Thes. Chir. D.
JACOBUS JOHANNES KERBERT, ex Koog ad Zanam, M. D., def. Th. A. O. D.

d. 24 Mart. HUBERTUS GOEMANS, ex Dreyschor, M. D., def. Thes. Ch. D.

d. 26 Mart. JACOBUS HENRICUS VAN BEEMEN, Novimagensis, def. Diss. *de acetono*, M. D. *cum laude*.

d. 27 Mart. NICOLAUS HUBERTUS NYST, Mosa-Traj., publice def. Diss. *de libera mercatura*, J. U. D. *cum laude*.

d. 12 April. PETRUS SCHEURLEER, ex Nederhemert, M. D., def. Th. A. O. D.

d. 16 April. JOHANNES PETRUS CROES, Bullionaeus, M. D., def. Th. A. O. D.
JOHANNES ADRIANUS REPELAER, Harlem., def. Th. J. U. D. *cum laude*.

d. 19 April. ABRAHAMUS MARINUS FOKKER, Mediob., def. Th J. U. D. *cum laude*.

d. 28 April. CASPARUS VAN BREUGEL, Groninganus, def. Th. J. U. D. *cum laude.*
d. 1 Maji. HENRICUS GISBERTUS JOSEPHUS BOLSIUS, M. D., def. Th. Ch. D.
Idem H. G. J. BOLSIUS, M. et Ch. D., def. Thes. A. O. D.
d. 8 Maji. CORNELIUS GUILIELMUS VINKHUYZEN, Delfensis, publice def. Diss. *de phlegmone extra-peritonaeali*, M. D. *cum laude.*
d. 11 Maji. GUILIELMUS PETRUS VAN RHYN, ex Zwammerdam, M. D., def. Thes. A. O. D.
d. 15 Maji. DAVID BIERENS DE HAAN, Amstelod., def. Diss. *de Lemniscata Bernouillana*, M. M, et Ph. N. D. *magna cum laude.*
d. 21 Maji. JACOBUS LEONARDUS DE BRUYN KOPS, Harlem., def. Diss. *de origine ac juribus pristini concilii urbani*, cet. J. U. D. *magna cum laude.*
d. 29 Maji. LAMBERTUS PETRUS OP DEN HOOFF, Amstelod., def. Diss. *de excusatione a testimonio in causis poenal.* cet. J. U. D. *cum laude.*
d. 2 Junii. JOEL BENJAMIN VOS, Leidensis, def. Diss. *de praevia reorum incarceratione*, J. U. D. *cum laude.*
d. 7 Junii. JANUS MARIANUS HERFST VAN ALBLASSERDAM, M. D., def. Thes. A. O. D.
d. 10 Junii. PETRUS HOFSTEDE VAN SON, Snecanus, def. Thes. J. U. D.
d. 11 Junii. SALOMO KEYZER, Campensis, publice def. Diss. *de jurejurando Justin. in ineundo munere*, P. T. M. et L. H. D. *magna cum laude.*
Idem S. KEYZER, publice def. Diss. *de tutela secundum jus Thalmudicum*, J. U. D. *cum laude.*
d. 15 Junii. JAN DANIEL MUSQUETIER, Roterod., def. Diss. *de stellionatus crimine*, J. U. D. *cum laude.*
GUILIELMUS FREDERICUS SASSEN, ex Hedel, def. Diss. *de coccionella officinali*, M. D.
d. 16 Junii. PETRUS BERNARDUS VAN HYFTE, ex St. Laurentio, M. D., def. Thes. A. O. D.
d. 18 Junii. CHRISTIANUS HENRICUS RIEHM, Deilo-Gelrus, publice def. Diss. *de corde hypertrophico*, cet. M. D. *magna cum laude.*
d. 19 Junii. JOHANNES ZEEMAN, ex Numansdorp, def. Diss. cont. *hist. morbor. in clinice Cl. Pr. v. d. Hoeven observator.*, M. D. *magna cum laude.*
d. 22 Junii. GERARDUS ADRIANUS ANTONIUS DE NYS VAN GROLL, ex Padang, def. Thes. J. U. D.

d. 23 Junii. Balduinus Jacobus Ploos van Amstel, Amstelod., publice def. Diss. *de jurisdictione administrativa in patria nostra*, J. U. D. *cum laude*.
Idem B. J. Ploos van Amstel, publice def. Diss. *de sententiis politicis in Sophoclis tragoediis*, Ph. Th. M. et L. H. D. *cum laude*.
Casparus Jacobus de Lange, Alcmariensis, M. D., def. Thes. A. O. D.
Franciscus Johannes Boudier, Dordrac., M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 25 Junii. Philippus Augustus Claus, Roerimund., M. D., def. Th. A. O. D.
Fredericus Carolus le Comte, Amstelod., def. Diss. *de historia Damonis et Phintiae*, Ph. Th. M. et L. H. D. *cum laude*.

d. 28 Junii. Jacobus Gerardus 't Hooft, Zaltboemelensis, def. Diss. *de oneribus aggerum in Gelria*, J. U. D. *magna cum laude*.
Joannes Matthias Schrant, Haganus, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 29 Junii. Guilielmus Christianus Daniel Olivier, Haganus, def. Th. J. U. D. *magna cum laude*.
Eugenius Wynans, Mosa-Traj., def. Diss. *de usu compressionis in tumore albo partium articuli durarum*, M. D., *magna cum laude*.

d. 30 Junii. Janus Fredericus Nieuwhoff van Echteler, ex Dalsen, M. D., def. Thes. A. O. D.
Ludovicus van Lohe, Amstelod., publice def. Diss. *de calculis urinariis*, M. D. *magna cum laude*.
Cornelius Hagedoorn, Amstelod., publice def. Diss. *de hydrophobia*, M. D. *cum laude*.

d. 1 Julii. Petrus Post Uiterweer, Schiedamensis, def. Diss. *de jurejurando decisorio*, J. U. D. *cum laude*.

d. 2 Julii. Wilhelmus Petrus Andreas Voorendonk, Roterod., def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
Nicolaus Joannes Cornelius Snouck Hurgronje, Medioburg., def. Thes. J. U. D.
Albertus Adrianus van Bergen Yzendoorn, Goudanus, def. Diss. *de damni reparandi obligatione*, J. U. D. *cum laude*.
Johannes Theodorus Aerssen, Dongensis, def. Diss. *de Atropa belladonna*, M. D. *cum laude*.
Wernardus Johannes Immink, Amstelod., M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 3 Julii. Franciscus Cornelius Byleveld, Medioburg., def. Th. J. U. D.

JOHANNES MARINUS PIEPERS, Transisalanus, def. Thes. J. U. D.
VOLCARDUS SIMON MARTINUS VAN DER WILLIGEN, Rockangensis, def. Diss. *de aberratione lucis*, M. M. et Ph. N. D. *magna cum laude*.
LUDOVICUS ANTONIUS STAMM'LER, Indo-Batavus, def. Diss. cont. *Quaestiones Juridicas*, Juris Romani D.

d. 20 Aug. HENRICUS ADRIANUS COELEN, Harlemensis, def. Diss. cont. *observationes in Clinice Chir. Cl. Broers*, M. D. *magna cum laude*.

d. 15 Sept. GUILIELMUS FREDERICUS OTTEN, Harlemensis, publice def. Diss. *de munere tabellionis*, J. U. D. *cum laude*.

d. 17 Sept. GERARDUS JANUS CONSTANTINUS SCHIMMELPENNINCK, Haganus, def. Diss. cont. *Quaestiones Juridicas*, J. U. D.
HENRICUS DIDERICUS GOLDBACH, Ostendanus, publice def. Diss. *de hypertrophia cordis*, M. D.

d. 20 Sept. JACOBUS SNYDER, Medioburg. def. Th. J. U. D. *cum laude*.

d. 30 Sept. JANUS ADRIANUS VAN KETWICH VERSCHUUR, Zwollanus, def. Diss. *de colica Saturnina*, M. D. *cum laude*.
ADRIANUS THEODORUS CAROLUS GEVERS, ex Oegstgeest, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

d. 2 Oct. DAVID BERTRANDUS RYKE, Bruxellensis, publice def. Diss. *de acido carbonico*, M. D. *cum laude*.

d. 5 Oct. WILLEBRORDUS GOTHOFREDUS SCHUYT, Roterod., publice def. Diss. *de differentia inter hypochondriasin et hysteriam*, M. D. *cum laude*.

d. 7 Oct. ADRIANUS MARIUS VAN OORDT, Rot., def. Th. J. U. D. *cum laude*.

d. 9 Oct. JOHANNES ADRIANUS BOOGAARD, Roterod., publice def. Diss. *de renum in morbo Brightii structura*, M. D. *magna cum laude*.
JANUS HERMANUS ADRIANUS SCHEERS, M. D., def. Thes. A. O. D.
JACOBUS JOHANNES KERBERT, M. et A. O. D., def. Thes. Chir. D.
CORNELIUS GUILIELMUS VINKHUYZEN, M. D., def. Thes. Chir. D.

d. 12 Oct. FREDERICUS JANUS ISAACUS SCHMIDT, Delfensis, publice def. Diss. *de causa Rythmi respirationis*, M. D. *magna cum laude*.

d. 29 Oct. JANUS VAN GALEN, ex Berg-eyk, def. Diss. *de Scorbuto*, M. D. *cum laude*.

d. 4 Nov. GEORGIUS HENRICUS VAN VOLLENHOVEN, M. D., def. Thes. Art. Obst. D.

d. 5 Nov. Cornelius Antonius Johannes Abrahamus Oudemans, Amst., publice def. Diss. *de fluxu menstruo*, M. D. *magna cum laude.*

d. 12 Nov. Hermanus Johannes van Hengel, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 18 Nov. Claas Noorduyn, Noviomagensis, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 25 Nov. Ludovicus Laurentius Joannes Heydenryck, Amstelod., def. Diss. *de hydrope*, M. D. *cum laude.*

d. 29 Nov. Franciscus Gerardus Regnerus van Lilaar, Amesfurtensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 9 Dec. Cornelius Eliza van der Hoeven, Bredanus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 10 Dec. Timon Henricus der Kinderen, Haganus, publice def. Diss. *de rerum judicatarum auctoritate in causis civ.*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 13 Dec. Jacobus Henricus van Beemen, Noviomagensis, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 15 Dec. Meinardus Didericus Gorter, Leovard., M. D., def. Th. Ch. D.
Georgius Henricus van Vollenhoven, Roterod., M. D., def. Th. Ch. D.

d. 16 Dec. Henricus Joannes Burger, Roterod., def. Diss. *de successione in bonis liberorum naturalium agnitorum*, J. U. D. *cum laude.*
Gerardus Combertus Burger, Roter., def. Diss. *de Thesauris*, J. U. D.

d. 17 Dec. Franciscus Emanuel Fouquet, Rurimundanus, M. D., def. Thes. Chir. D.
Idem F. E. Fouquet, M. et Ch. D., def. Thes. A. O. D.

d. 18 Dec. Ludovicus Johannes Delbaere, Gandavensis, def. Diss. *de polydactulio congenito in gemellis*, M. D. *cum laude.*
Henricus Jacobus van der Heim, Medioburg., publice def. Diss. *de legationibus a C. Beuningio gestis*, J. U. D. *magna cum laude.*
Robertus Jacobus Fruin, Roterod., def. Diss. *de Manethone Sebennyta*, Ph. Th. M. et L. H. D. *magna cum laude.*

d. 21 Dec. Janus Henricus de Laat de Kanter, Amstelod., def. Thes. J. U. D. *cum laude.*
Henricus Sebastianus Aegidius van der Heyden, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 22 Dec. Carolus Antonius Otto van Cattenburch, Bataviensis, def. Thes. J. U. D.

ANNO MDCCCXLVIII.

d. 10 Jan. CORNELIUS EKAMA, Leidensis, def. Diss. *de differentia anaemiam inter et chlorosin*, M. D. *cum laude.*

d. 15 Jan. ROGERUS MICHAEL FRANCISCUS DIERT, Haganus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 21 Jan. HENRICUS DIDERICUS GOLDBACH, Ostendensis, M. D., def. Thes. Ch. D.

d. 22 Jan. ALBERTUS CORNELIUS KLAVERWYDEN, ex Soeterwoude, def. Diss. *de gentiana lutea*, M. D.

d. 24 Jan. JACOBUS VAN DER FELTZ, ex Epe, def. Thes. J. U. D.

d. 27 Jan. JOANNES GERARDUS CORNELIUS NILANT, Zwollan., def. Th. J. U. D.

d. 1 Febr. AUGUSTUS FREDERICUS ALEXANDER RAUPP, ex Berg-eyk, M. D., def. Thes. A. O. D.

Idem A. F. A. RAUPP, def. Thes. Chir. D.

d. 3 Febr. JANUS JACOBUS BOLTJES, Daventriensis, def. Thes. J. U. D.

d. 7 Febr. HENRICUS JACOBUS HERMANS, Amstelod., def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

INCREMENTA MUSEI NUMMARII

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

ANTONIO HENRICO VAN DER BOON MESCH RECTORE MAGNIFICO.

CIƆIƆCCCXLVII—CIƆIƆCCCXLVIII.

Coëmtione, permutatione et donatione sequentes nummos acquisivimus:

A. Coëmtione

a. Nummos antiquos:

Denarium gentis Caeciliae (cf. *Thesaurus Morellianus*, Tab. II N°. VI, et Riccio, *le monete delle antiche famiglie di Roma* (Napoli 1843, 4°. Tab. IX N° 10); — gentis Carisiae (*Thes. Morell.* Tab. II N°. 5, Riccio Tab. XI N°. 4); — duos gentis Claudiae (*Morell.* Tab. I N° 4, Riccio XIII N°. 2; et *Morell.* Tab. II N°. 1 et Riccio XIII N°. 10); — gentis Coeliae (*Morell.* N°. VI sed non ita apud Riccio); — gentis Cordiae (*Morell.* N°. 1 et Riccio XIV N°. 1); — gentis Didiae (*Morell.* N°. 1 et Riccio XVIII N°. 1); — gentis Egnatulejae (*Morell.* N°. 1 et Riccio XIX N°. 1); — gentis Fabiae (*Morell.* N°. 1, Riccio XIX N°. 1); — gentis Juniae (*Morell.* Tab. III N°. VII, Riccio XXVI N°. 25); — gentis Lucretiae (*Morell.* N°. 1, Riccio XXVIII N°. 1); — gentis Papiae (*Morell.* N°. 2, Riccio XXXV N°. 2); — gentis Sergiae (*Morell.* N°. 1, Riccio Tab. XLIII). Porro quindecim nummos aeneos Romanos, 1ae, 2ae et 3ae magnitudinis, qui dicuntur (sestertios et partes sestertii?) secundum additam schedulam inventos in loco dicto *de Burgt*, prope pagum *Vechten* Trajectensem. In his tantum sequentes a nobis dignosci potuere:

1°. elegans nummus Trajani.

In postica: *Abundantia*, ad cujus latera litterae S. C. inscriptio est:

S P Q R OPTIMO PRINCIPI.

2°. nummus Antonini Pii.

Post. — *Moneta;* ad cujus latera S. C.

MONETA AVG.

3°. nummus minus bene habitus, ejusdem.

Post. Imago *Libertatis.*

(L.)IBER(TAS).

4°. nummus bene conservatus Faustinae M. Antonini ex aere flavo.

Post. Dea Juno; ad cujus latus S. C.

IVNO.

5°. nummus M. Aurelii.

Post. Victoria, appendens clypeum, in quo

VIC. GER.

i. e. *Victoria Germanica*, arbori; ad latus: S. C.

Inscriptio:

IMP. V.

In nummis 2ae formae vel magnitudinis, Augustum cum altari et PROVIDENTIA in post.; alium cum ara Lugdunensi et ROM(ae) et AVG(usto); unum Tiberii, Post. TRIBVN. POT. IX etc.; unum Vespasiani cum MONETA AVGVSTA; alterum cum VICTORIA AVGVSTI; unum Domitiani cum AEQVITAS AVGVSTI. Tandem emimus denarium Imperatoris Juliani.

Ant. Imperatoris barbata imago ad dextram cum diademate

IMP. L. CL. IVLIANVS P. F. AVG.

Post. In corona:

VOT. X. MVLT. XX.

b. Nummos ex medio quod dicitur aevo:

Nummulum aureum Merovingicum magnae raritatis.

Ant. Imago principis Francici cum vitta dextrorsum.

TREVERIS (littera s inversa ratione) CIVITATE.

Post. Victoria magnam crucem tenens; ante eam sol cum octo radiis. Inscriptio:

VICTVRI AAGSTR.

NB. literae G et S inversa ratione.

Probabiliter

Victoria Augusta Trevirensis vel *Trevirorum.*

In ima parte tantum: VV.

Nummi, anno 1835 prope urbem *Rhenen* inventi, effigiem, sed ali-

quatenus diversam, vide in horreo: *Revue de la Numismatique Française* anni 1837, Tab. IX N°. 4.

Frustum nummi majoris vel quidquid fuerit, inventum Dorestadi *(Wijk bij Duurstede)*; in postica additus fuit annulus, nunc detractus. In antica legitur:

TEOTCA.

In postica tantum apparet: VC; margo veluti margaritis constat.

Glebam nummorum argenteorum (et aeneorum?) Merovingicorum, ut apparet antea in theca aenea seclusorum, atque anno 1846 inventam prope Dorestadum, ubi tot monumenta magni momenti ad illustrandam historiam nostrae patriae proximis his annis invenerunt. Quatenus nummi memorabilis hujus monumenti conspici possunt, omnes videntur esse illius generis, quod occurrit apud Combrouse, *Monnoyes nationales de France*, Tab. 28 N°. 9, et apud Ruding, *Annals of the Coinage of Great Brittain*, Tab. I N°. 7 et 8.

Nummum argenteum Anglo-Saxonicum, cujusmodi vide apud Ruding, Tab. II N°. 22, sed, ut videtur, quodammodo circumcisum.

Tres denarios argenteos Pepini, procul dubio non genuinos, sed lucri causa in Francia, Germania vel Belgio confectos. Non nisi ope iconum hi nummi recte describi possunt.

Tres ejusmodi Caroli Magni, cujus unus cum inscriptione *Avinos*, quem locum Combrousius eundem putat atque hodiernum *Avignon*.

Praeterea tres denarios procul omni dubio genuinos.

N°. 1 monogramma Caroli et circum illud

† CARLVS REX FR.

Post. Crux aequilateralis

† ARELATO i. e. Arles.

Descriptum a Combrousio pag. 12 N°. 35.

N°. 2; differt tantum a praecedenti, quod monogramma occurrit in postica, crux autem in antica

BITVRICAS i. e. Bourges.

vid. Combrouse pag. 16 N°. 130.

N°. 3. Prorsus alius typi

Ant. Vox CAROLVS duabus lineis. Litera C formae est minus usitatae;

A et R conjunctae sunt. In *Post.* STAT cum nonnullis literarum ductibus minus distinctis supra illam syllabam; probabiliter simul DORSTAT efficientibus. Quatuor denarios Hludovvici Pii (814—840) typi valde noti

Ant. † HLVDOVVICVS. IMP.

Post. XPISTIANA RELIGIO.

omnes sunt diversi typi, quod mirari non debemus, quum typaria, ex ferro minus bene durato, saepissime in cudendo frangi constat.

Hujusmodi nummi, qui simul cum denariis Caroli Magni et insequentibus Lotharii I solita moneta in his regionibus saeculo 9° et 10° fuisse apparet, typum *religionis Christianae* probabiliter habet, quia traditum est Ludovicum Pium solitum fuisse ejusmodi nummos, muneris causa, distribuere Francis, ad religionem Christianam conversis, in festo Sancti Baptismatis.

Hoc genus nummorum, quantum certo scimus, satis magno numero inventum est in Frisia, Drenthia, Transisalania et Trajecto (in primis apud Dorestadum), Goudae, Voorburgi, Domburgi, caet.

Inter alios icon eorum invenitur apud Combrouse Tab. 42 N°. 2, et in opere nostro a Societate Teyleriano Harlemi praemio aureo coronato, quo continentur nummi Neerlandici, inde a saec. 7° usque ad annum 1576 cusi. Hoc opus autem prodibit, simulac nobis persuasum erit, fere nullum nummum amplius in eo desiderari posse; omnibusque viribus a nobis hunc in finem investigationes per totam patriam factae sunt.

Praeterea obolum (dimidium denarium) rarum ejusdem Ludovici Pii, descriptum apud Combrouse pag. 47.

Quatuor denarios Imperatoris Lotharii I (840—855), cusos in celebri emporio Dorestadensi.

Ant. Crux cum punctis, sicut in denariis Ludovici Pii. Inscriptiones:

IOTAMVS IPNEIRAT.
" IPEIRAT.
" IPNIERAT.

errore scalptorum, pro

LOTARIVS IMPERAT h. e. imperator.

Praeterea nummum Pontificis Romani Leonis VIII (964—965) inventum Dorestadi.

Ant. Imago Apostoli Petri adversa, operis valde rudis. Ad latus sinistrum imaginis litterae S C, ad dextrum

P
E
T
R
V
S

Post. Tribus regulis

D. N. LEONI PAPE.

Conf. effigies in Tab. IV Dissertationis Lud. Ant. Muratorii *de moneta sive jure condendi nummos*, in parte prima Collectionis Ph. Argelati *de monetis Italiae*, Mediolani 1750, 4°. et praeterea Appel *Repertorium zur Münzkunde des Mittelalters und der neuern Zeit*. Pesth 1820. *Erste Abtheilung*. Päbtsliche. Seite 14.

Denarium, etiam Dorestadi inventum, quem Lelewellus in opere: *Numismatique du moyen age*, T. II pag. 163, tribuit Imperatori Henrico III (1039—1046) cujusque, paucis mutatis, iconisma dat Tab. XXI N°. 7; ejusmodi nummus occurrit apud Götz, *Deutschlands Kaysermünzen des Mittelalters*, Tab. XXVIII N°. 327, qui eum tribuit Conrado III (1168—1182); in nostro nummo nomen Imperatoris prorsus non apparet, sed in postica ad latus crucis legitur:

BOTIENNA.

quem locum Lelewellus in Saxonia quaerit, Götzius se ignorare testatur; cui sententiae nos scrupulum addimus.

Denarium Balduini II, Episcopi Trajectini (1178—1196), cujus effigiem vide apud Mierisium Tab. II N°. 1, sed multo meliorem apud Balfoort in Diario: *Tijdschrift voor Geschiedenis, Oudheden en Statistiek van Utrecht*.

Mierisius minus recte hunc nummum tribuerat Balduino I, sed Mader in opere *Kritische Beyträge zur Münzkunde des Mittelalters* errorem agnoverat.

Denarium Episcopi Theoderici van der Are (1198—1212; van Mieris Tab. III N°. 5).

Nummum *(groot?)* Episcopi Davidis de Burgundia (1457—1496) quem vide apud Mieris, Tab. IX N°. 2; nostrum exemplum autem habet annum MCCCCLXVIII.

Nummum aureum Guilielmi VI Comitis Hollandiae, dictum *klinkert*, sive *gouden schild*, vel etiam *Wilhelmus schild;* effigiem, sed minus accuratam, vide apud Alkemade Tab. 25, 3 N°. 5, ibi male tribuitur Guilielmo V; nummum autem hujus nominis Guilielmi V primum vulgavit Diarium *Revue de la Numismatique Belge*, T. II pag. 426 et 27; — nummum argenteum dictum *halve zilveren leeuw* Comitis Guilielmi VI (Alkemade Tab. 27, 1, N°. 5, sed minus accurate).

Petrum aureum *(gouden Peter)* Wenceslai et Joannae, Ducum Brabantiae, vide den Duyts, *Notice sur les monnoyes des Ducs de Brabant, Comtes de Flandre — du Cabinet de l'Université de Gand*, 3e édition, Gand 1847. — *halve stuiver* Philippi Pulchri, adhuc minoris, cum nomine Patris Maximiliani in altera nummi parte.

Ex nummis peregrinis grossum Coloniensem Roperti Archiepiscopi (1463—1480).

In antica Petrus Apostolus.

In postica crux supra quam insignia Palatina.

Inscriptio in circulo interiore

GROSVS TVICIS.

i. e. *factus in urbe Deutz.*

in circulo exteriore:

BENDICTV SIT NOMEN DNI NRI IHV XRI.

Descripsit hunc nummum, non addita effigie, von Merle in *Köllnische Münzsamlung*, Kölln 1792, Seite 214 seq.

Insignis et memorabilis est series nummorum Coloniensium, tam Archiepiscoporum quam civitatis.

c. Nummos, tam memoriales, quam monetam, recentiores:

α. nummos memoriales:

nummum aureum (rariorem, praecipue in hoc metallo), dictum *geuzepenning*, quem vide apud v. Loon I, pag. 105; nummum aureum consularem Alcmariensem (v. Loon I, 168); quum autem hoc volumen Loonii jam anno 1723 typis excusum sit, hinc patet hoc genus nummorum consiliariorum ex anno jam in usu fuisse; — perparvulum nummum, multo adhuc minorem, quam parvulus ille quem Loonius exhibet in opere *Hedendaagsche Penningkunde*

(Hagae-Comitis A°. 1734, folio), pag. 278, et fortasse minimus nummus qui extat.

Ant. Caput laureatum sub quo C. W. (Christianus Wermuth, scalptor). Inscriptio:

FREDERICUS D. G. D. S. J. C. M. A. W. h. e:

Dei gratia dux Saxoniae, Juliaci, Cliviae, Montium, Angriae, Westphaliae.

Post. Cor ardens in medio serpentis qui caudam in ore tenens, ita circulum efficit, infra: 1694.

inscriptio: AMORE ET PRUDENTIA.

Nummum matrimonialem argenteum in pyxide ejusdem metalli; inscriptiones nummi sunt lingua Germanica; pyxidis autem Belgica. — Cel. *Blum* fuit nummi scalptor.

Ejusmodi nummum cum inscriptionibus Latinis. Uterque caret nominibus.

Nummum magnum argenteum in memoriam matrimonii Wladislai IV regis Poloniae et Sueciae (1632—1648) cum Caecilia Renata, Archiducissa Austriae (*Alg. Konst- en Letterbode* 1848, pag. 359).

Nummum aeneum deauratum Sixti V, Pontificis Maximi.

Ant. SIXTUS V. PONT. MAX. ANN. III.

Post. Petrus Apostolus sub arbore dormiens.

PERFECTA SECURITAS.

Nomen scalptoris est *Dominicus Pogo.*

Ejusmodi nummum Gregorii XIII in memoriam jubilaei anni 1575.

Ant. GREGORIUS XIII, PONT. MAX. ANNO JUBILEI.

Post. Porta sancta sub qua:

ROMA.

APERUIT ET CLAUSIT ANNO MDLXXV.

Nomen scalptoris hoc modo scriptum est:

FED. PARM. O.

Ejusmodi nummum Salvioni JCti Patavini cum ejus effigie in antica; in postica dea Ceres et inscriptio:

LEGIFERAE CERERI.

Hic elegans nummus ex saec. XVI in modum nummorum antiquorum Romanorum confectus est; non autem nomen scalptoris prae se fert.

Nummum aureum Societatis ad remunerandos eos qui homines ex aqua servaverint.

Inscriptio anticae est:

Redditur hic enectus aquis patriaeque suisque.

posticae:

Ob servatum civem ex dono Societ. Amstelaedami CIƆIƆ CCLXVII.

Effigiem hujus nummi vide in opere Loonii continuato Tab. XXXVI N°. 390.

Scalptores nostri exempli se profitentur: *van der Goen et Klouzing.*

Nummum argenteum in memoriam solemnis introitus Principis Guilielmi V cum uxore in urbem Amstelodamensem anno 1767, cujus effigies nondum in lucem edita est.

Valde optandum est, ut continuatio operis Looniani acceleretur. Vide quod hac de re fusius disseruimus in Diario *Alg. Konst- en Letterbode* anni 1848, T. I, pag. 361 et 362.

Nummum aeneum in memoriam festi 75 annorum Societatis lib. ∴ caementariorum in urbe Batavia legitime constitutae; quod festum anno 1844 celebratum est Magistro J. Penning Nieuwland.

Nummum argenteum satis magnum in honorem celebris Arabis Abd-el-Kader, cum ejus effigie et longiore inscriptione in postica.

Nummum aeneum recentiorem in honorem Simonis Stevin, celeberrimi Mathematici et Doctoris Principis Mauritii Nassavici.

Tandem nummum aeneum cum effigie Cathedralis Gandavensis, quae Sancto Bavoni consecrata est. In antica apparet ecclesia extrinsecus, in postica a parte interiore conspicienda. Inscriptiones fata templi indicant.

Est hic nummus unus ex serie Cathedralium Belgicarum ab eximio scalptore Wiener Bruxellis confectarum.

β. nummos, *moneta* dictos:

Duas partes quintas dicti *Philipsdaalder*, nummi usitatissimi in patria nostra non diu post medium saeculum XVI; — *Reichsthaler* Ducum Georgii et Joannis Saxoniae, descriptum apud Madai, *Thaler-Cabinet* T. I, pag. 162 N°. 496; — dimidium *Thaler* Christiani, Joannis Georgii et Augusti, fratrum Ducum Saxoniae, Madai

T. I, pag. 170 N°. 517; — dimidium *Thaler* Joannis Casimiri et Joannis Ernesti, fratrum Ducum Saxoniae, Madai T. II, pag. 491 N°. 3948; dictum *Kruisrijksdaalder* regis Hispanici Caroli III, in usum Ducatus Brabantiae, cusum anno 1710.

Praeterea duos nummos dictos *Kronthaler* Ludovici I, Regis Bavariae, scalptos ut et mox memorandos a celebri scalptore C. Voigt; primus cusus est in memoriam redditi Benedictinis Instituti alicujus ad educandos pueros anno 1835; secundus in memoriam instituti ordinis equestris qui a Sancto Michaële nomen habet, anno 1837. — Porro duodecim varios nummos dictos *drey ein halb Gulden.*

Primus confectus est in memoriam Conventus monetarii, intra Bavariam, Wurtembergiam, Badam, Hassiam, Nassaviam et civitatem Francofurtensem anno 1837.

Secundus in memoriam novae divisionis regni Bavarici, eaque secundum traditiones historicas, anno 1838.

Tertius in memoriam collocatae anno 1839 in urbe Monaco *(Munchen)* statuae Electoris Maximiliani I.

Quartus — item collocatae statuae celebris Alberti Dureri Norimbergae A°. 1840.

Quintus — item statuae Richteri in Urbe Bayreuth positae A°. 1841.

Sextus — item matrimonii Principis regii sive hereditarii Bavariae cum Principe Maria Borussiae anno 1842.

Septimus — item perfecti et inaugurati splendidi aedificii, dicti Walhalla eodem anno 1842.

Octavus — item primi festi secularis Universitatis Erlangensis, 1843.

Nonus — item aedificii designati in quo collocentur statuae celebriorum Bavariae belli ducum, cusus anno 1844.

Decimus — item natorum duorum principum principi regio Bavariae (qui inde a die 20 Martii 1848 rex est).

Undecimus — item positae statuae Cancellario Bavarico von Kreittmayr (Monaci, anno 1845).

Duodecimus — item inaugurati canalis, qui Danubii aquas cum Rheni conjungit (opus jam inde a Caroli Magni temporibus desideratum) cusus anno 1846.

Ignoramus an post hunc nummum alii adhuc cusi fuerint.

Summa omnium hujus generis nummorum Bavaricorum quos possidet nostrum Museum est triginta sex; vide ulterius de his Diarium *Alg. Konst- en Letterbode*, anni 1848, T. I, p. 372—376 et 388, 89.

B. Permutatione:

Nummum argenteum, cujus nomen ignoramus, Ferdinandi Justi, regis Arragonis (1412—1416), descriptum apud Appel, *Repertorium zur Münzkunde des Mittelalters*, etc., Th. II, S. 420, et apud Welzl von Wellenheim, *Collection de monnaies et médailles*, Vol. II, Tome I, Vienne 1844, N°. 244.

Nummum *(denier?)* unius ex Dominis Covordiae in Drenthia.

In antica effigies domini et inscriptio:

Moneta Kovord.

In postica crux, sed inscriptio deleta est

(num *renod. dni ko.?*)

Thalerum Frederici Guilielmi, Marchionis Brandenburgici anni 1679 vid. Madai, *Thaler-Cabinet* I^r Theil, Seite 207.

In crassitie nummi *(de buitenrand)* legitur: *Domine fac me scire viam, qua ambulem.*

Nummum aeneum Russico-Turcicum, in usum Moldaviae et Walachiae anno 1773 cusum; pretium erat 2 *para* et 3 *kopeken.*

Alium valens 1 *para* et 3 *denga*, anno 1772 cusum.

Facti sunt hi nummi ex metallo fuso ex tormentis bellicis, et in usum exercitus Russici tunc in iis regionibus commorantis.

Exemplum aeneum nummi in memoriam captae a Francis Urbis Mosquae anno 1812.

Nummum Franco-Gallicum anni 1577 *subducendis rationibus camerae computor. regiorum.*

Nummum dictum *Coomans gildepenning* civitatis Dordracenae anni 1745.

Nummum in memoriam caesi Anglorum belli ducis navalis Nelsoni, in pugna apud Trafalgar, die XXI Octobris MDCCCV.

Nummum argenteum datum civibus Dordracenis, qui die 24 Novembris 1813 urbem suam contra vehementem impetum Francorum fortissime defenderant.

Exemplum aeneum nummi in memoriam a sicario occisi Ducis Biturigum die XIII Febr. MDCCCXX.

Nummum stanneum in memoriam obitus Georgii IV, regis Magnae-Britanniae, defuncti A°. 1830, anno 58° aetatis.

C. Donatione accepimus:

A Nobilissimo Barone J. van Washington, Regi Bavariae a latere *(Generaal-Adjudant)* Monachi — (hic belli Dux, in Neerlandia natus, pueritiam Nordvici in schola degerat atque magno amore nostrae Universitatis se captum testabatur):

1°. *Reichsthaler* urbis Regiomonti, anno 1756 cusum et descriptum in Madai, *Thaler Cabinet*, Th. II, S. 819 N°. 5105.

2°. rariorem nummum argenteum memorialem festi alterius secularis sacrorum reformatorum in parva Urbe Bavarica Lindavia *(Lindau)*. Festum locum habuit anno 1730.

3°. parvum nummum aureum in memoriam initi matrimonii principis regii Bavariae cum principe Theresia Saxoniae, die 12 Oct. 1810.

4°. nummum argenteum in memoriam diei 27 Oct. 1810, quem iidem principes degerunt in Urbe Inspruck, capite Tyrolis, quae regio tunc temporis Austriae per Imperatorem Napoleonem vi ablata, Bavariae data fuerat. — Sculptum a scalptore Losch.
Adulationis causa hic nummus cusus est, quum satis constet Tyrolos implacabili odio in Bavaros et fuisse et fortasse etiamnum esse animatos.

5°. nummum argenteum in memoriam temporis quod anno 1814 Russorum Imperator Alexander Parisiis degit — sculptum ab Adrieu.

6°. nummum argenteum in honorem venerandi senis Comitis Maximiliani von Preysingen-Hohen-Aschau, etc. a°. 1815, — sculptum a Stiglmayer.

7°. nummum argenteum in memoriam initi matrimonii Francisci I, Imperatoris Austriae cum Sorore regis Bavariae anno 1816.
Antica sculpta est a Losch.
Postica a Stiglmayer.
Est hic nummus eximiae pulchritudinis.

8°. nummum stanneum in memoriam regnantis per decem lustra primi regis Saxoniae Frederici Augusti.

9°. magnum nummum argenteum, a Loschio sculptum, in memoriam legis fundamentalis Bavariae promulgatae anno 1819.

10°. nummum argenteum in memoriam quinque lustrorum regni Maximiliani Josephi, regis Bavariae, anno 1824 peractorum.
Insignis pulchritudinis opus et ingeniose cogitatum.

11°. nummum argenteum, quo Societas agriculturae promovendae in Bavaria bene meritos condecorare solet.

12°. nummum argenteum in memoriam quinti lustri hujus Societatis anno 1835 peracti.

Ulteriorem descriptionem horum nummorum publici juris fecimus in Diario *Alg. Konst- en Letterbode* anni 1848, T. I, p. 392 et T. II, p. 2—7.

Praeterea dono accepimus a Doct. P. H. Tydeman, Gymnasii Tielani Rectore: nummum Nicaeensium in Bithynia aeneum;

Ant. Caput detritum Imperatoris alicujus junioris.

Post. Tria signa militaria.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ.

Cf. Mionnet, *Descript. de méd. ant. Grecq. Suppl.*, T. V, pag. 149.

Praeterea aliquot nummos minoris momenti, descriptos in *Alg. Konst- en Letterbode* l. c. pag. 7.

A Clar. P. J. van Maanen, Professore Emerito Amstelodamensi, nummum majorem argenteum in memoriam obsidionis Urbis Groninganae, ut et Covordiae obsidione liberatae, anno 1672. Effigiem hujus nummi vide apud v. Loon III, 110 N°. 3.

Ab Ornat. W. Bisschop, Lit. Hum. in nostra Universitate Candidato, copiam nummorum aeneorum variarum Provinciarum et Civitatum in Neerlandia, Zutphaniae, Camporum, Zwollae, caet.; dictum *duit* argenteum Provinciae Hollandiae anni 1702; nummum insulae Java anno 1809 cusum, cum litteris

L. N.

(Ludovicus Napoleon.)

Ab Illustrissimis Universitatis Curatoribus, nobis rogantibus accepimus ita dictos *muntbilletten* 500, 100, 20, 10 et 5 florenorum, quae moneta chartacea in usu fuit, dum inde ab anno 1845 nummi argentei antiquiores, plerumque valde accisi, fundebantur et in novos convertebantur.

A gente Vrolikorum exemplum aeneum nummi cusi in memoriam quod Clar. Gerardus Vrolik, Professor in Athenaeo Amstelodamensi, festum

celebraret decem lustrorum peractorum post adeptos summos in medicina honores, die 10 Decembris 1846.

Ab Ornat. J. F. G. Meijer, Hagae-Comitis, nummum rariorem ex argento viliore, Guilielmi Divitis, ultimi Ducis Gelriae ex familia Juliacensi.

A Cons. J. Dirks, Societatis historico-antiquariae in Frisia numophylacio Praefecto, satis magnum numerum nummorum aeneorum variarum regionum. In his nummum in honorem Calvini, cujus effigiem vide apud v. Mieris, *Hist. der Ned. Vorsten*, T. III, pag. 112 N°. 2.

Nummos Russicos Imperatorum Petri magni, Catharinae I, Annae, Elisabethae, Pauli I, Alexandri I et Nicolai.

Nummos aeneos Leodienses, quorum icones vide apud Renesse-Breidbach, *Hist. Numismat. de Liège* (Bruxelles 1830), Tab. 39 N°. 4 et 18; Tab. 49 N°. 25, sed cum anno 16—11; Tab. 52 N°. 10; Tab. 53 N°. 4; Tab. 58 N°. 8; Tab. 60 N°. 1; Tab. 61 N°. 4; Tab. 64 N°. 14.

Praeterea nummos Anglicos, Brabantinos, Suecicos, Danicos, Slesvico-Holsaticos, Portugallicos, Hispanicos, Francicos, Italicos, Germanicos, Americanos, tam Americae septemtrionalis quam meridionalis; tandem nummum aeneum satyricum in Imperatricem Mariam Theresiam.

Ant. Inscriptio:

Die entbloste Königin von Ungarn.

Post. — Die Königin von Ungarn zieht ein Beyersche (!) Hose an.

Nummus anno 1742 cusus est.

In libro Klotzii inscripto: *Historia numorum contumeliosorum et satyricorum*, Altenburgi 1765, hic nummus non occurrit. Si quis libri novam editionem procurare vellet, insigniter posset augeri.

A Viro Strenuo, dicto Kolonel, de Stuers, Hagae-Comitis, magnum nummum argenteum cusum in memoriam fortiter contra Anglorum et Maurorum vim unitam defensae insulae Ternate in India Orientali anno 1799 vide *Alg. Konst- en Letterbode* 1848, T. II, pag. 85.

Hic valde rarus nummus anno 1801 ab egregio scalptore J. G. Holtzhey confectus, datus fuit insulae defensori J. G. Budach.

A Viro Cons. H. de Vries Amstelaedami aeneum exemplum nummi, anno 1819 suis impensis percussi, postquam per 25 annos Consulibus Amstelodamensibus a tabulis et secretis fuerat.

Ab Ornat. P. F. van der Wallen, Assessore pagi Kralingen prope Roterodamum, duos nummulos argenteos Anglicos, Elisabethae et Jacobi I, quorum effigiem, inter alios, vide apud Snelling, *Silver Coins of England*, Tab. 7 et 9.

A Viro Doct. L. J. F. Janssen, Conservatore etc. in hac Urbe, nummum Clivensem Comitis Adolphi VI ex ineunte seculo XV, dictum *groot*.

In *antica:* † *Adolfus comes de* (sic) *clevens.*

" *postica:* † *Moneta nova grosi* (sic) *cleven.*

A Societate Harlemensi dicta: *Kunst zij ons doel*, nummum ex materia litteris typographicis fundendis adhiberi solita factum, in memoriam quinque lustrorum illius Societatis peractorum die 21 Septembris 1846.

A Medicinae Doctore H. Koefoedt in Urbe Heusden, grossum duplicem vel boddrager Comitis Guilielmi V, Hollandiae (1345—1349) minus accurate depictum apud Alkemade Tab. XXV, 1 N°. 1; — grossum ejusdem principis (Tab. XXV, 2 N°. 3); — grossum, prorsus alio typo (Tab. XXV, 2 N°. 5).

Ab Ornat. Tabellione C. G. Boonzayer, Gorinchemi, qui quotannis Museum donis augere solet, nummum Hamburgensem, dictum *schilling*, anni 1765, quartam partem floreni, anno 1794 Trajecti cusum ex vasis argenteis Principis Guilielmi V, atque littera W insignitam; missilem nummum in memoriam matrimonii Imperatoris Napoleonis cum inscriptione:

le Senat et le Peuple.

Skilling regis Georgii IV anni 1826, caet.

A Viro Spect. G. van Orden, Burgimagistro Zaandamensi, et totum et dimidium *Spaansche mat* cum regis Georgii III parvulo capite incuso.

A Viro Spect. W. J. Meurs Wichers, Groningae, exemplum argenteum nummi ad remunerandos artifices, confecti jussu:

Academiae Minervae.

in illa Urbe: Sculpsit eum M. de Vries Jr.

A Tabellione Flarditingensi [jam defuncto] P. Verkade accepimus nummum aeneum, in urbe Petropoli cusum, in memoriam arcus triumphalis die 18 Aug. 1834 erecti, ad commemorationem victoriarum a Russis annis 1812, 13 et 14 reportatarum.

In postica hujus nummi effigies arcus apparet, qui stylo Corinthio exstructus est.
Inscriptiones sunt lingua Russica.
A Studioso in Academia Delphensi nummum aeneum Aegyptiacum ex initio hujus saeculi.
Ab amico Numismatices et nostri Numophylacii nummum anno 1784 Parisiis ab egregio Artifice J. A. Renaud, confectum, in duas partes, ex terra rubra coctum.
Antica pars separatim confecta, habet effigiem Baronis J. van der Capellen tot den Pol, die 6 Junii supra memorati anni fato functi, cum inscriptione:

LIBERTATIS RESTAURATOR.

Postica continet imaginem Libertatis cum clypeo et galea. Vid. ulteriorem descriptionem in *Alg. Konst- en Letterbode* anni 1848, T. II, pag. 88 et 89.
A docto quodam Gelriae incola, qui nomen suum taceri voluit, nummum rariorem Gorinchemensem in memoriam eorum, quae anno 1588 apud nos evenerunt (v. Loon I, 386) et alium nummum (v. Loon II, 14 N°. 1).
A Nobilissimo Viro Gevers, res Neerlandicas Stutgardiae curante, aliquot nummos minores Bavaricos.
A Venerando J. van Harderwyk, dum viveret V. D. M. Catvici ad mare siti, partem Thaleri Ducatus Saxoniae Gothanae et Altenburgi.
A Viro Cons. G. J. Keiser, Provinciae Groninganae regundae ex delectis *(Lid van Gedeputeerde Staten)* nummum chartaceum (quia pecunia nummo ex metallo cudendo aliis impensis inservierat) in memoriam alterius festi secularis Academiae Groninganae, anno 1814. Descriptionem legas in *Alg. Konst- en Letterbode* anni 1848, T. II, pag. 89.
A Viro Excell., qui curam gerit rerum Neerlandicarum exterarum, nummum aeneum Hispanicum a scalptore Jubia confectum, atque jussu civitatis Ferrol cusum, in memoriam quod die 1 Decembris 1843 regina Hispaniae Isabella II major natu fuerit salutata; — praeterea nummos Hispanicos 8, 4, 2 et 1 *Maravedis* (*ochavo's*, *quarto's* caet.) cusos tam regnante Rege Josepho Napoleone, quam Ferdinando VII et Regina Isabella II, postremos inde ab anno 1835—1846; omnes fere varii typi.

Ulterius hos nummos descripsimus in Diario *Alg. Konst- en Letterbode* l. c. pag. 104; porro nummos aeneos Principatus Cataloniae, cusos in Civitate Barcinone, typi, nostra adhuc aetate, prorsus diversi a typis nummorum in urbibus Matrito et Segovia cusorum.
Descripsimus hos nummos in *Konst- en Letterbode* l. c. pag. 104 et 105.
Tandem ab eodem Viro Excell. accepimus recentissimos nummos aeneos Waldeci, Schwarzburgi-Rudolstadi, Schwarzburgi-Sondershauseni, Saxoniae-Coburgi-Gothae, Saxoniae Meiningae, Saxoniae Altenburgi, Saxoniae Vimariae Eisenaci, Anhalti, Oldenburgi, Hohenzollerni-Sigmaringeni, Lippii, Reuss-Schleizii, Reuss-Lobensteini-Ebersdorfi, Reuss-Greizi; tandem Comitatus Schauenburgi Lippii.
Animadvertendum est, omnes hos nummos, excepto dicto *Guter-Pfennig* postremae ditionis, pulchri esse operis, quippe confectos in majoribus Monetarum officinis, Berolinensi scilicet et Dresdensi.
Ex nummis extra Europam cusis tantum accepimus partes centesimas et ducentesimas ita dicti *Dollar* Reipublicae Americae Septentrionalis Foederatae.
Omnes hi postremi nummi aenei insignem praebent copiam ad augendam futuram novam editionem operis Reinhardti, inscripti *Kupferkabinet* (Eisenberg 1828, 3 Th. 8vo), in quo describuntur nummi aenei inde a saec. fere XVI et in quo, quamvis 6344 nummos jam continente, adhuc permulti desiderantur. Est autem hoc opus insignis utilitatis iis Numismatices amatoribus, qui non ditioribus annumerandi sunt.
Fusius hac de re egimus in *Letterbode* l. c. pag. 106.

P. O. van der Chijs.

FATA ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

INDE A. D. IX FEBR. MDCCCXLVIII AD D. VIII FEBR. MDCCCXLIX.

RECTORE MAGNIFICO

ANTONIO RUTGERS,

SENATUS ACADEMICI ACTUARIO

ANTONIO HENRICO VAN DER BOON MESCH.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM

QUI

ANNO MDCCCXLVIII—MDCCCXLIX

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

PROFESSORES IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

A. RUTGERS.
M. SIEGENBEEK, quantum aetas et valetudo sinebant.
J. BAKE.
P. HOFMAN PEERLKAMP.
J. M. SCHRANT.
T. G. J. JUYNBOLL.
J. H. STUFFKEN.
C. G. COBET, Prof. extraord.

IN FACULTATE MEDICA.

M. J. MACQUELYN, quantum aetas et valetudo sinebant.
C. PRUYS VAN DER HOEVEN.
G. C. B. SURINGAR.
F. W. KRIEGER.
A. E. SIMON THOMAS, Prof. extraord.
H. HALBERTSMA, Prof. extraord.

IN FACULTATE JURIDICA.

H. G. TYDEMAN, quantum aetas et valetudo sinebant.
C. J. VAN ASSEN.
H. COCK.
J. R. THORBECKE.
J. DE WAL.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL.
N. C. KIST.
J. F. VAN OORDT, J. G. FIL.
J. H. SCHOLTEN.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

C. G. C. REINWARDT, uti et
J. DE GELDER, quantum aetas et valetudo sinebant.
J. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
G. J. VERDAM.
F. KAISER.
G. H. DE VRIESE.
P. L. RYKE, Prof. extraord.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extraord.

W. FLEMING, Lector literarum Anglicarum.
C. A. X. G. F. SICHERER, Lector literarum Germanicarum.

ANTONII RUTGERS

ORATIO

DE

ACADEMIIS ORIGINE UNIVERSITATUM,

HABITA DIE VIII FEBRUARII MDCCCXLIX, QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM SOLENNI RITU DEPONERET.

AUDITORES SPECTATISSIMI EXOPTATISSIMI.

Magistratum Academicum deponenti gravissimum, ex prisca consuetudine, imponitur officium. Hinc enim discedere, nisi necessariae fatorum hujus Academiae commemorationi solennis aliqua jungatur oratio, constans et sapiens vetat Majorum institutum.

Si cui tamen unquam ex hoc suggestu verba facere fuit difficile, mihi profecto etiam difficilius erit. Praeterquam enim quod meae mihi in dicendo tenuitatis probe conscius sum, plurima sermonem praeparanti semper obstiterunt, multa nunc etiam elocuturo obstant. Ipsa scilicet hujus diei ratio, ut oculos retro vertam, impellit. Retro autem spectanti, quamvis invito, tristissima iterataque clades domestica obversatur. Imprimis autem ea mihi semper ante oculos stat tristissima nox, qua conjugem dulcissimam, paucos ante menses a Deo mihi concessam, moribundam vidi et iterum deserto ereptam. Quaenam hic cogitari potest studiorum alacritas?

Quodsi a rebus domesticis mentem ad publica et ad universae Europae conditionem avertam, non ego tam ferreus sum, ut his populorum motibus et regnorum conversionibus non magnopere movear et animo securus tranquillum solitumque studiorum cursum sequar.

Nostrarum denique Academiarum ratio considerata anxium sollicitumque reddit pectus, cum aliis justissimis curis, tum praesertim rumoribus, qui non omnino vani feruntur, de Universitatis corpore disjungendo, vel potius dissecando et mutilando.

Quodsi ea res plebi tantum imperitae placuisset, facile eam negligeremus; jam vero doctos interdum viros vidimus, quibus scientiarum ista sejunctio arridet. Alias enim disciplinas aliis in locis traditas, majorem opinantur adepturas esse splendorem atque praestantiam, quasi vero membra a corpore divulsa alia aliis in locis vigere possint!

Hujus ergo rei cogitatio in animum saepius recurrens dicendi argumentum mihi praebuit ab hoc tempore et loco, ut arbitror, non alienum; atque adeo dicam *de Academiis*, *origine Universitatum*. Exponam igitur quomodo Academiae sint ortae et amplificatae, donec Universitates existerent.

Historici hujus argumenti nuda explicatio luculentissime evincet, Universitates disciplinarum, ex ipso rerum cursu et principum liberalitate ac sapientia sensim ortas et hactenus cordatioribus omnibus probatas, imprudenter et malo consilio rescindi atque divelli. *Progrediendum* enim esse in via, quam optimam longa seculorum series demonstravit, non vero retrorsum vel deorsum ad medii aevi instituta, aut Orientis infantiam esse redeundum, nemo est, quin et videat et palam profiteatur.

Vos igitur A. A. H. H. ut animis benevolis me audiatis mihique faveatis, etiam atque etiam rogo.

Quod in plantis, arboribus et in omni omnino rerum natura observamus, *nihil subito fieri*, sed omnia, quo praestantiora sunt et firmiora, eo lentius crescere, idem in iis omnibus cernere licet, quae ad ingenii cultum et veram humanitatem pertinere censentur. Sensim demum et singuli homines et universi populi suum praestantiae fastigium adtingunt, neque unquam altissimum quempiam occupant locum, nisi diuturno labore exercitati sint et ad altiora lente praeparati. Nec diversa ratio est institutorum, quibus alii alio tempore populi usi sunt, ut scientiam conservarent et juvenum ingenia polirent eosque ad munera in civitate recte gerenda praepararent. Multorum seculorum conjunctum antecessit studium multique errores et ambages vinci et superari debuerunt, antequam vera et regia inveniretur via, quam, a longo inde tempore inventam, Europaei sequuntur et semper magis magisque emendaverunt.

Fuerunt a prima usque memoria in multis regionibus *puerorum* magistri, qui, patrum minus peritorum aut negotiis distractorum loco, pueros elementa doctrinae docerent omnemque eorum vitam regerent. In paucioribus populis antiquis inveniuntur, qui *juvenes* virosque aut philosophia aut religionis doctrina imbuerent vel et medicinae, jurisprudentiae aut rhetoricae elementa cum discipulis communicarent. Quamquam vero *Academiae* nomen primum omnium loco cuidam in Athenarum vicinia, deinde hinc

scholae Philosophorum, denique aliis quoque scholis datum sit, *hodie* tamen nondum istiusmodi scholas, quales in Graecia olim et Italia, apud Persas et Indos reperiebantur, claro Academiae aut Universitatis nomine appellamus. Academias enim nunc dicimus instituta non privata, sed publica; in quibus non una alterave disciplina, sed artium et disciplinarum numerus docetur non arcte circumscriptus; quibusque jus competit summos juvenibus pro doctrinae praestantia honores tribuendi. Universitatis autem nomine nunc appellamus illas Academias, in quibus omnium disciplinarum altiorum studium obtinet, ita ut vera earum universitas existat.

Istiusmodi institutorum, quae Academiae appellari possunt, primam originem illi debemus populo, unde et Christiana emanavit religio, quique ob originem nobilissimam locumque, quem in verae humanitatis historia occupat, apud omnes aequos rerum arbitros in magna existimatione habetur. Multae autem causae effecerunt, ut Judaei, principum Chasmonaeorum aevo, omnium primi istiusmodi conderent scholas.

Finitum erat eo tempore primum bellum ad religionem propagandam susceptum. Primus in orbe terrarum Antiochus Epiphanes, Syriae Rex, gentes sibi subjectas vi et armis ad suam religionem traducere voluit. Et aliae tamen cogi noluerunt gentes et Judaei, in angulo tunc Palaestinae habitantes, neque cruciatibus neque suppliciis ad idolorum cultum adigi potuerunt. Mox rebellaverunt et exigua Judaeorum manus, sed locorum situ munita et religionis libertatisque studio exardescens numerosissimos saepe fudit Syrorum exercitus tandemque victor ex diuturno bello excessit.

Altiores jam fuerunt spiritus populi, oppressi hactenus et diu servi. Fervens religionis, pro qua tot passi erant mala, studium eos incitavit, ut *et* ipsi eandem armis propagarent devictosque Samaritanos, Idumaeos, Ituraeos cogerent sua sacra profiteri *et* eandem inter suos stabilirent, aedificatis ubique Synagogis, in quibus Sacrae Scripturae libri quovis Sabbato legerentur. Simplex autem lectio sufficere non poterat. Libri illi scripti erant sermone Hebraeo, Judaei autem id temporis utebantur Chaldaeo. Multo etiam minus ingens proselytorum numerus Hebraea intelligebat. Quae adeo primum in Synagogis Hebraice lecta erant, Chaldaice statim verti debuerunt, ut rite intellecta ad auditorum animos formandos moresque emendandos inservire possent. Hoc munus Sacerdotibus injungi non

potuit. Ex ipso populo petendi erant viri, eâ linguae Hebraeae, jam intermortuae, peritiâ praediti, ut horum sacrorum antistites et verbi divini interpretes possent appellari. Horum defectus prima scholarum causa exstitit.

Regiminis porro forma, nunc primum hierarchica, novum scholarum condendarum momentum continet. Juxta regem erat Synedrium, summum in rebus ecclesiasticis et civilibus tribunal. Ejus socii pro dimidia parte ex nativitatis jure conscribebantur; reliqui propter juris et sacrorum peritiam adsciscebantur. Necesse adeo fuit, ut horum doctrinae praestantia publice agnosceretur.

Praesertim vero commemoranda est mutata Theologiae et Jurisprudentiae facies. *Hebraeis* religionis doctrina simplex fuerat, fide et probitate constans, cultuque illius externo indicio; *Judaei*, quorum ingenii acumen per diuturnum cum Graecis commercium haud parum increverat, alia subtilius investigarunt, alia ab extraneis mutuati sunt. Disputantes adeo de Deo, de animorum existentia et immortalitate, uti et de vita sancte instituenda, tantum a se invicem discesserunt, quantum omnes a genuina Sacrae Scripturae sententia distarent. Jurisprudentia quoque simplex et antiqua ierat in desuetudinem. Plurimas acceperant a Graecis, dein a Romanis juris institutiones, quas vel sic tamen cum juris Mosaici principiis in concordiam redigere conati sunt. Nihil enim admittentes in jure, nisi fundamentum in lege Mosaica reperiretur, misero modo hanc torquere debuerunt, ut suam sibi jurisprudentiam crearent, quae tamen parum sibi constaret et nova cum antiquis haberet mixta et confusa.

Mitto jam alias scholarum causas neque explicabo vim, quam *sectae*, per discipulos demum propagandae, et *lex* nova, *oralis* appellata, habuere.

Omnes autem illa causae, tunc primum ortae, effecerunt, ut Hierosolymis duae eodem tempore scholae publicae conderentur. Harum altera quinquagesimo circiter anno ante C. N. cessavit, altera, cujus ea tum fama erat, ut ultra mille juvenes et viri eam frequentarent, per duodecim secula exstitit in locis diversis, sed eodem regimine, eâdem docendi materia et non interrupta doctorum serie.

Disciplinas, quibus opera daretur, ex ante dictis fere intellexistis. Praeter linguae Hebraeae institutionem et Sacrae scripturae interpretationem imprimis Theologia et Morum doctrina, Jurisprudentia et legis oralis

expositio, astronomiae denique elementa materiam docendi et disputandi amplissimam constituebant.

Externa hujus scholae forma antiquo tempore ea fuit, ut, honorifico *Principis*, aut *Excelsi*, aut *Illustris* nomine, Doctor primarius omnibus doctoribus et discipulis praeesset et auctoritate sua omnia regeret. Infra hunc reliqui et *doctores* et *socii* discipulis doctrinas exponebant, illos interrogabant eorumque disputationes moderabantur. Discipulo, quum dignus haberetur, qui, sub praesidio tamen doctoris, alios doceret, argumentum proponebatur, de quo ex tempore palam diceret, quodque contra argumenta a doctoribus et discipulis opposita defenderet. In quibus si satisfecisset, primarius scholae doctor, manu ipsius capiti imposita et solemnibus verbis *te socium dico* recitatis, facultatem docendi ei tribuit. Qui vero ex sociorum numero doctrinae laudem assecutus esset summam et *aut* Academiam esset relicturus, ut in Synagoga Sacrae Scripturae esset interpres, vel tribunalis socius; *aut* in Academia ipsa Professoris munus esset gesturus, hujus iterum capiti a Doctore primario manus imponebatur et, post solemnem Rabbini, id est *Domini* proclamationem, ei tribuebatur potestas docendi, et ligandi ac solvendi, res, quibus conscientia alicujus recte an secus sollicitabatur, dijudicandi et dubia, tum sacra, tum in rebus civilibus, definiendi.

Exposui A. A. externam primae Academiae rationem, in cujus conditione interna, si eam accuratius perlustramur, multa merito desideramus multaque reprehendimus. Sufficiat docendi methodum nominavisse, quae uni memoriae augendae inserviebat. Ex magistrorum enim auctoritate omnia pendebant. Judicio vero exercendo, pulcri bonique sensui excolendo, vix ullus locus erat. Vel sic tamen conspicimus publicum, formandis juvenibus virisque institutum, cujus antistites jure suo summos in disciplinis honores discipulis suis tribuerent.

Floruit Academia illa Hierosolymis usque ad Gamalielem, Pauli Apostoli praeceptorem. Hic vero, brevi ante Hierosolyma a Romanis vastata, eam transtulit Jamniam, unde Tiberiadem est traducta. Ejus ratio immutata exstitit usque ad seculum decimum, ita tamen ut post seculum quartum scholae Babylonicae (Sorae, Nehardeae et Pumbedithae) doctorem primarium sibi vindicarent.

Ante scholarum Judaearum, quibus Califae finem imposuerunt, interitum

et ad illarum exemplum novum illudque praeclarius institutum literarum in Oriente effloruit. Arabes a Mohammede excitati regna Orientis, luxuria et discidiis internis labefactata, occupaverunt et magnam orbis partem sibi subjecerunt. Primo quidem Islamismi seculo artium liberalium studio Arabes parum vacarunt. Cum enim perpetuis bellis animi distraherentur coecoque atque immoderato religionis studio occuparentur, fieri vix potuit, ut literis excolendis locus concederetur. Postquam autem Oriens in ipsorum concessisset potestatem, tunc et artium et scientiarum studiis campus apertus fuit. Qui populos vicerant, alia etiam laude vincere voluerunt. Evenit illa rerum mutatio eo fere tempore, quo summa imperii ab Omajjadis ad Abbasidas transiit. Secundus jam ex Abbasidarum gente Califa ABU GIAFAR AL-MANSUR et multo magis ejus nepos HARUN AR-RASCHID et hujus filius AL-MAMUN literarum studiis non tantum egregie faverunt, sed et strenuam ipsi operam navarunt.

Ab initiis quidem Islamismi praeter puerorum magistros inter Arabes fuerant viri reliquis doctiores, qui juvenibus docendis darent operam, sed privata haec fuit institutio et ad unum alterumve doctrinae genus pertinuit. Praeterea paucis tantum juvenibus semper licuit, itinere longinquo diuturnoque instituto, ad alios iterum proficisci doctores, donec integram quandam sibi comparavissent scientiam.

MANSUR ideo immortalem merito apud suos gloriam est assecutus, quod, condito Bagdado, magnificis ludis literariis urbem illam exornavit et convocatis undique viris doctis effecit, ut *pacis sedes*, quo cognomine urbem insignivit, simul et *disciplinarum altrix* merito appellaretur.

In Academia adeo Bagdadensi eaedem ómnino docebantur scientiae atque in Judaeorum scholis, hoc tantum discrimine, ut pro lingua Hebraea veniret Arabica, pro Judaeismo Islamismus. Astronomia, quam Mansur inprimis adamavit, peculiari cura tractata est. Aliae tamen disciplinae non accesserunt. Medicinae enim studium seorsim colebatur in Nosocomio Bagdadensi, quo praestantissimos convocavit Medicos, praesertim Judaeos et Christianos. Disciplinae Mathematicae et Physicae privatim tantum et a paucis excolebantur. Philosophiae nullus adhuc concedebatur locus. Vel sic tamen publicae institutionis initium inter Arabes erat et ad hujus scholae normam mox Damasci, Nisaburi et Cahirae publica auctoritate Academiae sunt conditae.

Mansuris conatus multum superavit HARUN AR-RASCHID. Viris doctis hic adeo delectatus fuit, ut in aula nullius Califae tanta virorum, in variis disciplinis excellentium, unquam visa sit frequentia. Ipse autem ea harum rerum peritia pollebat, ut *a Raschide laudare* in proverbium de homine erudito et omnino egregio apud Arabes abierit. Doctrinarum in scholis docendarum ambitum explicuit, additis artibus elegantioribus, imprimis poëtice et rhetorica.

Summum denique praestantiae et gloriae in Oriente culmen adtigerunt instituta literaria regnante MAMUNO *Raschidis* filio. Ingenio, doctrina et liberalitate praeclarus princeps jam ante Califatum ad se vocaverat non tantum Arabes literatos, sed et Syros, Persasque, Indos et Graecos. Califa factus, indefesso studio eidem rei incumbens, effecit, ut paucissimi essent in orbe terrarum docti, quorum praesentia esset destitutus. In paucis absentibus *Leo* fuit, postea Archiepiscopus Thessalonicensis, quem privatum adhuc Constantinopoli degentem et ab Imperatore Graeco neglectum, sibi tamen ob insignem matheseos et philosophiae scientiam notum honorifice invitavit in aulam suam, largissima pollicitus est stipendia, amicitiam obtulit. Leonis merita ex epistola Califae primum Michaeli Imperatori innotuere. Honoribus adeo et favore allecto discedendi veniam denegavit. Nec tamen cessavit Mamunus, sed per legatos ad imperatorem missos flagitavit, ut aliquantulum eum ad se mitteret, Imperatori pro isto beneficio pacem perpetuam, Philosopho ingentia dona pollicitus. Non tamen voti compos est factus. Imperator Califae eruditionis gloriam invidet. Quamdiu tamen vixit, literarium de rebus Mathematicis commercium inter Califam et Philosophum Graecum obtinuit.

Intellexistis A. A. ex hoc exemplo Mamuni diligentiam in viris doctis convocandis conspicuam, quam ego diligentiam eo lubentius commemoravi, quia parentum nostrorum continuo in mentem veniebat, qui et alios complures viros doctissimos studiose huc arcessiverunt et quid non apud MAURITIUM, HENRICUM IV et alios tentarunt ut JOSEPHUM SCALIGERUM ex Francia in hanc Academiam extraherent. Et, o rem nobis hodie quoque laetandam, JANUS DOUZA, Academiae Curator, fuit felicior filio *Raschidis*, Califa Bagdadensi!

Non minore alacritate usus est MAMUNUS in colligendis libris, tum

Arabicis Syrisque, tum Persicis, Indis et praesertim Graecis. Ad Graecos codices obtinendos cum Graecorum Imperatoribus egit, hac conditione pacem Michaeli concedens, si rariores sibi codices cederentur. Ad alios coëmendos misit familiares suos in Aegyptum et omnem Asiam, usque in Indiam, qui reduces, spoliis Orientis onusti, infinitos numero retulerunt. Mox omnia in Arabum sermonem ab interpretibus Graecis, Syris, Indis, Arabibus, plus quam ducentis transfundebantur. Descripta cum usui publico, tum pluribus in locis institutioni Academicae exponebantur.

Disciplinis autem Academicis addidit, Graecos scriptores secutus, tum Philosophiam, tum Mathesin Physicamque. Soli Medici, liberaliore institutione Academica privati, *artem*, vixdum *disciplinam*, medicam in Nosocomiis discebant.

Externa harum Academiarum forma aliquatenus cum Academiis Angliae convenit. In magno aedificio simul habitabant tum Academiae Rector et plerique Professores, tum omnes Lectores, Repetitores et Discipuli. Illis sua hic erant domicilia, horum terni vel quaterni in singulis conclavibus habitabant. Aderant praeterea auditoria, aedes sacrae, Bibliotheca, Musaea.

In his igitur Collegiis, principum aut privatorum liberalitate et donationibus creatis et auctis, tres doctorum classes formabantur. Alii enim juri administrando, alii cultui sacro peragendo, alii juventuti erudiendae, scholis relictis incumbebant. Solebant enim adolescentes, absoluto studiorum cursu, examini se submittere et a praeceptoribus accipere doctrinae et peritiae testimonium. Hoc muniti ad munera quaevis publice gerenda reciepiebantur.

Ita doctrinis favendo effecerunt Califae, ut hujus aevi Arabes essent hominum doctissimi et in omni arte liberaliori praestantissimi. Scientiarum autem lumen ita hanc gentem illustravit, ut aurea haec Islamismi aetas fuerit, felicitate omnium civium sic abundans ut, regnante Mamuni successore Vatheco, in toto Orientis imperio, quod nobis ficta res et fabula videri possit, nullus reperiretur mendicus.

Praeclara horum Califarum facta magis etiam vestram A. A. excitabunt admirationem, si, quae alibi fuerit scientiarum conditio, cogitatis. Non omnino quidem desierant disciplinae privatim excoli a Graecis, quorum nunc etiam ingenia veteris praestantiae reliquias conservaverant, sed nobi-

lissimae tamen scholae, in quibus olim singulae certe disciplinae, Philosophia, Jurisprudentia aut literae tradebantur, interierant prorsus. ARCADIUS aliique Imperatores Graeci docentibus stipendia detrahentes, adulatores eruditis praeferentes et juris civilis scientiam libertinorum artificium facientes, exitium paraverant scholis publicis juridicis Constantinopoli, Beryti atque alibi florentibus. Nobilissimas Athenarum scholas philosophicas, quibus tamen Gothi pepercerant, clauserat JUSTINIANUS. Alexandrinae scholae literariae dissensionibus Theologicis fuerant distractae et oppressae. Unicam tandem residuam doctrinarum palaestram Constantinopolitanam, LEO ISAURUS totam, aedificium scilicet et bibliothecam et doctores, de imaginum cultu a se dissentientes, flammis tradiderat.

Quodsi Graeci hujus aevi ab Arabibus incitati majorem iterum literis operam dederunt, cujus fructus deinde cum reliqua Europa essent communicaturi, non tamen illi secuti sunt scholarum Orientalium rationem atque exemplum. Felicissime autem id fecerunt Arabum in Hispania Principes, qui et ipsi partim laudabiliter literis incubuerunt et quorum plerique maximo literarum studio ducebantur. Quicunque ergo aliqua in arte aut doctrina excellerent, hos omnes summo tum honore, tum favore exceperunt.

In colligendis libris, quorum usus omnibus permissus, quam liberales fuerint, septuaginta seculo X in Hispania Bibliothecae testantur, in quibus Cordubensis, totius orbis ditissima. Multas porro condiderunt Academias Cordubae, Granati, Seviliae, Toleti, al. in quibus quum et medicas scientias doceri curaverunt, opinati Medicis profuturum esse commercium cum literarum, philosophiae, aliarumque disciplinarum cultoribus, ad Universitatis literariae laudem proxime accessisse videntur.

Laetissima hac literarum luce quum collustrarentur Arabes in Hispania, tristissima nocte reliqua tegebatur Europa. Monasteriis quidem scholas adjunxerat CAROLUS M., epistolis Califae HARUN AR-RASCHIDIS incitatus, vix tamen supra elementa artium liberaliorum duobus post illum seculis scholastica adscenderat doctrina. Quae autem praeterea, in Italia et Francia praesertim, condebantur scholae et numero paucae erant, et privatae, et unam tantum doctrinam, Theologiam aut Jurisprudentiam tractare solebant.

Arabibus debetur scholarum primum in Italia incrementum. Ineunte seculo decimo fervebat commercium inter Arabes Hispaniae Siciliaeque incolas et Neapolitanos, Pisanos, Salernitanos. Primi scholae Salernitanae auctores septem artibus liberalioribus addiderunt medicinae studium. In usum adeo studiosae juventutis compendium medicum conscribi curarunt, secundum praecepta Academiae Cordubensis et Toletanae, quod in scholis explicaretur. Paulo post Constantinus Africanus, latine versis libris Arabum de Philosophia et disciplinis Physicis et Mathematicis, effecit, incitante maxime Roberto Guiscardo, Apuliae duce, ut harum disciplinarum expositio cum reliquis conjungeretur. Mox in schola Bononiensi Plato, Aristoteles, Ptolemaeus, deinde plurimi scriptores Graeci ex Arabico sermone Latine versi erudiendis juvenibus inservierunt sensimque increvit literarum in scholis Italicis traditarum ambitus.

Multum ad id certe contulit Italorum et Anglorum, non minus quam Francorum, literas ex Hispania evocantium diligentia. Haud pauci enim reperiebantur inde a seculo X Cordubae praecipue et Toleti, ex Europa Christiana profecti, disciputi philosophiae, physices et matheseos, medicinae et literarum studiosi. In memoriam vobis revocare liceat merita Gerberti, qui sub nomine Sylvestris II anno circiter M. pontificatum Romanum gessit, Danielis Morleyi, clarissimi sui temporis Mathematici et scholarum in Anglia emendatoris, Gerardi Cremonensis, Bulgari Vecciae, clari legum interpretis et eloquentiae instauratoris, Angeli Agnelli, Oxoniensis scholae conditoris, Adelardi, aliorum, quorum aemulatione multa deinceps ingenia ad literarum studia excitata fuerunt. Non autem hic praetermittendi sunt Judaei, qui per totam Europam sparsi, maxime tamen in Hispania florentes, hujus regionis scientiam inter reliquas gentes dispergere sunt conati. Quodsi cogitemus ipsos Graecos scriptores et ejus linguae notitiam praesertim post Constantinopolin captam in Italiam pervenisse, eo autem tempore quinquaginta jam reperiri in Europa nostra Universitates, fatendum est Arabibus revera auctoribus literas fuisse instauratas, quas Graeci dein perfecerunt; — scholarum autem emendationem et amplificationem, donec Universitates existerent, Arabibus praeeuntibus unice esse tribuendam.

Scholae enim Salernitanae exemplum aliae certatim secutae sunt. In

Italia primum, Neapoli et Bononiae disciplinarum in scholis tradendarum numerus fuit auctus, ratio emendata; mox Parisini studiose illos secuti sunt, neque Germani Anglique cessarunt. Honores qui ipso seculo XII eruditis concedebantur scientiam aluerunt. Mutua vero gentium aemulatio effecit, ut, quum Parisiis primum ineunte seculo XIII (1206) a Rege PHILIPPO AUGUSTO Universitas publice esset condita, eodem illo seculo duodecim aliae Universitates in Italia, Anglia et Germania conspicerentur, in quibus mox Bononiensis decem, Oxoniensis triginta studiosorum millia continebant.

Absolvi argumentum propositum. Instituta literaria publica, quorum initia in Judaea, incrementa apud Arabes vidimus, progressum et perfectionem in orbe nostro habuerunt, sensim ornata et eo redacta, ut sensim semper magis ornari possint. Lente ergo et aevo quasi occulto crevit scientiae arbor, cujus fructibus laetamur. Ramos qui dissecat, profecto et arborem ornatu spoliat et ipsos termites succo destitutos funestae tabi tradit.

Hodie quidem quum a nonnullis consulitur de disciplinis Academicis a se invicem disjungendis, prius quam, quod consulunt, fiat factum, id omne ad historiam, veritatis testem, exigendum videtur. Nam non philosophi alicujus vana haec opinio fuit, commune esse omnium scientiarum vinculum non sine gravi damno disrumpendum; neque hodie tantum doctissimi judicant, singulas illic modo florere posse disciplinas, ubi mutuo adjumento omnes florent; sed, inspicite omnes populorum annales, omnes omnium temporum sapientes hanc *Universitatem* optavere. Naturae haec via fuit. Naturae autem qui hic resistit, magnam inferre poterit disciplinis calamitatem, sed praesentem, non perpetuam. Nam, quae semper vicit, ea, ubi salus humani generis agitur, non vincetur. Triumphabit, triumphabit Natura, suaque se virtute involvens, vanos imprudentissimorum mortalium conatus suo sibi tempore contemnet.

Ad alteram muneris partem, quae brevem rerum academicarum explicationem postulat, accedo.

Ex Amplissimis Universitatis Curatoribus, quod magnopere laetamur, neminem morte amisimus. Universa tamen patria nuper amisit virum

Nobilissimum VAN DER DUYN VAN MAASDAM, quem ad initium hujus anni Curatorem diligentissimum habuimus, Ordinis sui et Academiae ornamentum. Ut tunc doluimus ejus discessum, ita nunc lugemus obitum viri de tota Neerlandia et per longam annorum seriem de Academia praeclare meriti piaque mente illius memoriam conservabimus.

Professorum ordinem animo perlustrantes duos desideramus Viros Clarissimos GERARDUM SANDIFORT et JACOBUM DE GELDER, qui gloriam non debuere muneri sed conciliarunt.

Natus est GERARDUS SANDIFORT anno 1779, patre EDUARDO SANDIFORT, claro hujus Universitatis Professore. Fortuna in studiis usus est laetissima. A juventute inde egregios multos habuit praeceptores, in Anatomia praesertim Patrem, virum et hujus et caeterarum artium peritia in paucis celebratum. Nec fortunae ingenium vel diligentia defuere. Egregios juvenis profectus intellexere Curatores, Viri Amplissimi, admodum adolescentem constituto Prosectore et patris adjutore; testatus est Medicorum Ordo et universus Senatus, eodem Medicinae doctore, honoris causa, creato, id, quod tunc in adolescentibus magnae spei, quamquam Academiam nondum reliquissent, facere licebat.

Brevi post extraordinaria (1801) deinde (1812) ordinaria Anatomiae et Physiologiae auctus professione, omnem deinceps vitam juvenibus instituendis et scientiae amplificandae consecravit. Qualem se in utroque muneris officio praestiterit, non sane meo elogio meaque existimatione efficietur. Efficiunt hoc editi ab illo libri, argumento et, quae in hoc librorum genere non minima laus est, externa forma conspicui. Hoc plurimi saepe discipuli grato animo significaverunt, illius in docendo perspicuitatem, simplicem methodum et accuratam rerum expositionem uno ore laudantes. Merita in utroque genere imprimis exposuit Cl. SURINGAR ea pietate et integritate, qua discipulum gratum et verum amicum decet.

Consuluit Sandifortius, si quis alius, Universitatis honori. Ferre non potuit socios civesque verbis aut factis illius honorem diminuentes. Penitus menti illius erat infixa, quam juvenis acceperat, priscae hujus Academiae imago, honore et existimatione omnium hominum summa gaudentis. Vehementissime dolebat, si quid esset, quo ea imaginis pulchritudo corrumperetur. Probe enim noverat, honore artes et disciplinas ali atque amplificari.

A Senatu nunquam nisi invitus abfuit ejusque sapientiam et rerum ante actarum recordationem omnes saepe sumus admirati.

Equidem, et sine dubio plerique vestrum idem fecere, praeclarum Collegam cum reverentia semper amavi, eumque tamquam priscae et non fucatae virtutis exemplum, ex intimo animi sensu suspexi.

Talem in vita se gessit vir desideratissimus. Jamque tempus appropinquabat, quo dignissimo propter aetatem otio frueretur, quum gravi morbo correptus suis nobisque eriperetur ultimus clarissimae scholae Albinae alumnus clarissimus.

Paucis post mensibus celebrem maris et terrae mensorem, Matheseos Professorem Jacobum de Gelder, sepulcrum pulvisque exceperunt. In hujus maxime vita apparuit indolem generosam nulla fortunae adversitate posse opprimi.

Natus est prope Roterodamum anno superioris seculi 65. Parentibus facultas filii in Academiam mittendi defuit. Curaverunt tamen, ut in scholis inferioribus institueretur et praesertim ad percipiendam religionem informaretur; qua re nihil ad juvenum ingenia formanda conservandamque animi sanctitatem aptius est. Religionis adeo sensu munitus, quem et fere senex (1824) in oratione inaugurali professus est, juvenis vitae calamitatibus et vitiorum illecebris constanter restitit.

A pueritia inde ingenii praestantiam et Matheseos studium mirificum ostendit. Quanto autem plus ingenii, tanto minus rei ei contigerat. Omnes autem difficultates alta mente contemnens suae sibi fortunae artifex fuit. Mediocri enim loco natus, et diu puerorum magister, propter scientiam, quae in eo erat vere unica, nulla sua ambitione (nam erat tantae simplicitatis vir, ut honores, si mereretur, ipsos esse venturos putaret, sentiendique et dicendi libertate multos, qui adulationem veritati praeferebant, offenderet), nulla igitur sua ambitione, peritissimorum hominum consensu et judicio, in hujus seculi initio (1801) electus est, qui triangulari patriae dimensioni operam impenderet. Egregium hoc ejus doctrinae indicium fuit. Quum enim triennio post, munere motus, socios reliquisset, difficillimo isti operi perficiundo nemo praeter illum in patria nostra par inveniebatur. Per octo annorum ergo spatium intermissum jacuit, nec, nisi illo honorifice revocato, feliciter absolutum. Qui vero illius scientiam recte aestimare

poterant eaque utebantur, iidem ipsum tamen diu neglexerunt. Quapropter, praesertim in patria a Francis oppressa, iniquissima diu usus est sorte.

Restituta libertate laetiores ejus res fuerunt, imprimis a quo munus Professoris Extraordinarii in hac Academia, anno 1819, susciperet, eodem illo die ornatus doctoratu, honoris causa ei concesso a Senatu, petente Ordine Scientiarum Naturalium. Ordinaria disciplinae suae professione deinde (1824) ornatus, usque ad annum h. s. 39 docendi munus sustinuit et in tranquilla deinde vita otioque post plurimos labores gratissimo consenuit.

Memoriam viri Clarissimi conservabunt tum multa ipsius scripta, omnium judicio probata, tum Cl. VERDAM laudatio, pietatis et amicitiae monumentum.

Tristibus, quae commemoravi, accessit obitus WILHELMI FLEMING, Literarum Anglicarum Lectoris peritissimi, et DAVIDIS PETRI GIOTTIEN HUMBERTII DE SUPERVILLE, Musaei Plastici Moderatoris elegantissimi. Illum virili aetate diuturni et gravissimi morbi vis oppressit, huic seni vitam maturitas abstulit.

Amisit denique Academia duos immatura morte e civibus suis juvenes, ornatissimum DE RIEMER optimae spei adolescentem et KRUSEMAN morum probitate non minus, quam ingenii et studiorum felicitate excellentem.

Inter tristia tamen et luctuosa, quae retuli, habemus etiam quibus laetemur; quorum in primario loco ponendum est, quod te nobis redditum videmus Vir Nobilissime VAN DER HEIM VAN DUIVENDYKE. Admodum laetamur, te rediisse in Curatorum Ampl. ordinem, unde anno superiori ad res regni internas curandas fueras avocatus. Gratulamur tibi, iterum Curatori, hunc honorem, quo nemo te dignior est.

Professorum Ordo, uti moerorem non unum sensit, ita habuit, quibus impense laetaretur.

Quatuor novos hujus Academiae professores creatos videmus, Ordinarios duos Clar. KRIEGER et DE WAL, Extraordinarios Clar. SIMON THOMAS et HALBERTSMA.

Vobis Viri Cl. KRIEGER et SIMON THOMAS, qui duo uni BROERSIO successistis, honorificum gratulor, quem occupastis, locum. Ea vestra sit felicitas, ut BROERSII merita duplicetis. Felix adeo sit Academia conjuncta vestra opera studiisque conjunctis.

Tibi Cl. HALBERTSMA prospere succedant omnia, ut adeo, cujus rei spem nobis fecisti, a te altera vita disciplinae Anatomicae oriatur. Fiat ergo opera tua, ut vetus illa scholae Albinae gloria parva videatur, si cum nova tua conferatur.

Impense tuum laetamur adventum Cl. DE WAL. Viribus juvenilibus, sed multum exercitatis, huc accedens tuum in disciplinis locum pulcre occupasti doctrinaeque campum elegisti, in quo regnare poteris. Meritum honorem tibi ex animo gratulamur. Hoc unum tibi vovemus, ut in Academiae gloriam et civium emolumentum diu munere tuo tibi fungi liceat.

Dubitavi Cl. TYDEMAN, an, quod nactus es, otium in tristibus hujus Academiae rebus commemorarem. Tristis certe est Academiae tuus a munere discessus, sed laeta tibi accidit honorifica, quam longo labore meruisti, quies. Otium enim nactus es, quo in laudis tuae augmentum et communis utilitatis incrementum uteris et diu felicissime utare!

Tibi denique Cl. KIST, qui hoc anno quintum professionis tuae lustrum cum magno omnium bonorum applausu perfecisti et celebrasti, hanc felicitatem ex animo gratulamur. Vivas diu etiam in Academiae honorem et in ejus atque Ecclesiae emolumentum.

Tuae Cl. GEEL diligentiae debemus hoc anno absolutum Bibliothecae Academicae Catalogum; quo gratissimo tuo munere omnes Academiae socios civesque admodum tibi devinxisti. Omnium gratias meo ore accipias.

Musea Academica et Hortus Botanicus Clarissimorum Praefectorum cura floruerunt. Museum Nummarium, indefesso praecipue Clarissimi ejus Moderatoris studio, haud parum increvit. Museorum tamen incrementa lecta, quam audita, magis placebunt. Et quotannis iterum legi poterunt. Curatorum enim curae et liberalitati Annalium Academicorum brevi iterum edendorum debemus certam laetamque exspectationem.

Jam vos ipsi mihi compellandi estis, hujus Academiae Cives, ad quos revera tota mea oratio pertinuit. Quibus enim Academiae parantur, quibus Professores vivimus, nisi vobis? Et acciderunt sane hoc anno, quae hodie silentio praetermittenda non sunt.

Audivistis in ipso hujus anni academici initio indigna studiosorum Parisiis, Viennae et in aliis Universitatibus degentium facta. Improbum facinus, contra morem obsequii, contra fas disciplinae, contra divinas huma-

nasque leges commiserunt. Armati, plebemque contra Magistratum incitantes, summa infimis miscentes, omnem dignitatem et principum auctoritatem contemserunt. Vos tunc meliora sensistis, arma suscipere parati ad defendendam, sicubi necesse esset, publicam salutem et tranquillitatem. Noveratis certe perditae profligataeque gentis signum esse, non revereri praepositos et Magistratus. Studiosi disciplinarum esse voluistis, non, uti isti, turbarum et seditionum.

Quamquam in ipso Magistratu tantus est splendor tantaque dignitas, ut qui eum violare aggrediuntur juvenes, ipsam patriam parentesque aggredi videantur, isti tamen, coeco quodam furore acti et lascivientes suam quique Universitatem pessime foedaverunt. Adspicite ruinas illarum Academiarum et agnoscite, quantorum malorum temeritas juvenilis auctor existere possit.

Quapropter, juvenes generosi, a quibus optima quaevis exspectat patria, per ego vos hujus Academiae nostrae salutem, per omne foedus humanitatis, per vestras spes et parentum vestrorum, per quidquid apud cunctas gentes sanctum et inviolandum habetur, vos oro, vos obtestor: sequimini semper virtutis viam. Componite mentes ad obsequium, ad modestiam, ad verecundiam, non minus quam ad studia ingeniique cultum. Ita felix et auspicata semper hic vestra praesentia erit. Ita laeto vultu vos excipiet parentum et affinium exspectatio. Ita hilari mente in extremam usque senectutem vitae Academicae recordabimini.

DIXI.

ACTA ET GESTA IN SENATU.

ADDITAMENTUM I. ORATIONI RECTORIS.

A. 1848.

Die 5 Junii. Senatus obitum luget Viri Cl. GERARDI SANDIFORT, in Facultate Medica Professoris Ordinarii.

Recitatur epistola Curatorum d. 20 Maji, qua mittitur decretum Regium d. 22 Aprilis, quo Vir Doct. F. W. KRIEGER, Med. Chir. et Art. Obst. D. et Scholae Clinicae Roterodamensis Lector, ad ordinariam Medicinae professionem vocatur; et Vir Doct. A. E. SIMON THOMAS, Med. et Art. Obst. D. et Vir Doct. H. HALBERTSMA, Med. Chir. et Art. Obst. D. Professores extraordinarii in Facultate Medica vocati sunt.

Die 21 Septembris. Lectae sunt literae Curatorum d. 3 Augusti, quibus cum Senatu communicatur decretum Regium d. 28 Julii, quo loco Viri Cl. H. G. TYDEMAN, ob aetatem septuagenariam rude donati Vir Cons. J. DE WAL, Juris Romani et Hodierni D., designatus est in Facultate Juridica Professor ordinarius.

Lecta est epistola Curatorum d. 15 Septembris, qua nuntiant, e Regio decreto d. 5 Augusti loco Viri Ampl. VAN DER DUYN VAN MAASDAM Curatorem Academiae nominatum esse Virum Amplissimum VAN DER HEIM VAN DUIVENDYKE.

Die 23 Septembris. Vir Doct. F. W. Krieger munus auspicatus est oratione, *de progressibus, quos nostra praesertim aetate per Anatomiam Pathologicam fecit Chirurgia.*

Vir Doct. A. E. Simon Thomas munus auspicatus est habita oratione *de rite instauranda institutione de Arte Obstetricia.*

Die 30 Septembris. Vir Doct. H. Halbertsma munus auspicatus est, dicens *de Albini Anatomiae tractandae methodo, comparata cum ea, quam nostra tempora sibi deposcunt.*

Die 28 Octobris. Vir Consult. J. de Wal munus auspicatus est oratione *de historica Juris institutione in patria nostra, Jurisprudentiae Romanae finibus haudquaquam circumscribenda.*

Die 1 Novembris. Senatus obitum luget Viri Clar. J. de Gelder, Disciplinarum Mathem. et Phys. Professoris ord. emeriti.

Recitantur literae Curatorum diei 27 Septembris, quibus communicant cum Senatu decretum Regium diei 8 Sept., quo stipendium Professoris ordin. ob aetatem septuagenariam emeriti tribuitur Viro Cl. H. G. Tydeman.

A. 1849.

Die 17 Januarii. Senatus designavit quatuor Professores, quorum nomina ad Regem deferantur, ut inde in proximum annum Academicum Rectorem Magnificum legat, Cl.

G. C. B. Suringar.
C. J. van Assen.
W. A. van Hengel.
G. J. Verdam.

Die 6 Februarii. Lectae sunt literae Curatorum una cum decreto Regio d. 31 Jan., quo in proximum annum academicum Rector Magnificus constituitur Vir Cl. G. C. B. SURINGAR.

Rectori futuro Assessores designati sunt Cl.

J. DE WAL.
J. F. VAN OORDT, J. G. FIL.
J. VAN DER HOEVEN.
T. G. J. JUYNBOLL.

Jubet dein Senatus novum Actuarium creari ex quatuorviris Cl.

A. RUTGERS.
C. PRUYS VAN DER HOEVEN.
C. J. VAN ASSEN.
W. A. VAN HENGEL.

Die 8 Februarii. Rector retulit in conventu Curatorum, Rectoris et Assessorum Actuarium in sequentem annum creatum esse Virum Cl. A. RUTGERS.

Deinde Rector cum Senatu ceterisque Professoribus in Auditorium majus descendit.

Actuarius recitavit decretum Regium de Rectore Magnifico in proximum annum creato et memoravit nomina Assessorum et Actuarii.

Tum Rector Magnificus orationem habuit, *de Academiis origine Universitatum.*

Tandem Professores novum Rectorem in Senaculum comitati sunt et salutarunt.

ADDITAMENTUM II. ORATIONI RECTORIS.

SCRIPTA

Viri Clar. GERARDI SANDIFORT.

G. Sandifort, Tabulae anatomicae, situm viscerum thoracicorum et abdominalium, ab utroque latere, ut et a posteriore parte, depingentes. Praecedit observatio de aneurysmate arteriae iliacae internae. L. B. 1801—1804. IV Fasc.

" Museum Anatomicum Academiae Lugduno-Batavae. L. B. Vol. III. a. 1827 et Vol. IV. a. 1835. Duo priora volumina edideret pater Cl. Eduardus Sandifort.

" Elenchus plantarum, quae in horto Lugduno-Batavo coluntur. L. B. 1822.

" Ontleedkundige beschrijving van twee hoofdelooze misgeboorten; in Verhand. van het Ned. Instit. 1e Kl. Amst. 1820.

" Ontleedkundige beschrijving van twee hersenlooze misgeboorten. Ibid. 1823.

" Ontleding der spieren van de onderkaak bij eene Felis pardus. Ibid. 1825.

" Oratio de prosperis et adversis, quae huic Academiae post celebratum diem natalem ducentesimum evenerunt; habita Leidae, die 8 Februarii 1825. Vid. Ann. Acad. h. a.

" Andreae Bonn tabulae anatomico-chirurgicae, doctrinam herniarum illustrantes. L. B. 1828.

" Aanmerkingen omtrent de breuk van den hals van het dijebeen; in Nieuwe Verh. van het Ned. Instit. 1e Kl. Amst. 1827.

" Over de vorming en ontwikkeling der horens van zogende dieren in het algemeen en van die der hertebeesten in het bijzonder. Ibid. 1829.

G. SANDIFORT, Bijdragen tot de ontleedkundige kennis der Walvisschen (Cetacea). Ibid. 1831.

" Beschrijving der onderkaak van een Olifant, welks gedaante van den gewonen vorm afwijkt. Ibid. 1833.

" Beschrijving van het werktuig tot vorming van het geluid bij de Simia seniculus. Ibid. 1836.

" Ontleedkundige beschrijving van eene in vele deelen misvormde vrucht van zeven maanden. Ibid. 1838.

" Beschouwing van eenige zeldzaam voorkomende misvormingen aan het hoofd van viervoetige dieren. Ibid. 1840.

" Tabulae Craniorum diversarum Nationum. L. B. 1838. III Vol.

" Ontleedkundige beschouwing van een' volwassen Oerang-Oetan van het mannelijk geslacht; in Verhand. over de Nat. Gesch. der Nederlandsche Overzeesche Bezittingen. Leiden 1839.

" Oratio de Sebaldo Justino Brugmansio, praeclaro naturae interprete, habita die 8 Februarii 1845. (Haec oratio typis nondum exscripta est.)

ADDITAMENTUM III. ORATIONI RECTORIS.

SCRIPTA

Viri Clar. JACOBI de GELDER.

J. de Gelder, Grondbeginselen der Cijferkunst. 1793.

" Ontwerp van de Telegraphe van Chappe. 1794.

" Twee Wiskundige Verhandelingen in het XIIe Deel van de Werken van het Bataafsche Genootschap der Proef-Ondervindelijke Wijsbegeerte te Rotterdam. 1797.

" Ludeman in zijn waar karakter, of de Grondstellingen der Astrologie aan de beginselen der zuivere reden getoetst. 1799.

" Geschied- en Wiskundige Verhandeling over het verschil wegens het slotjaar der Achttiende Eeuw. 1800.

" Drie Wiskundige Verhandelingen over de Theorie van het kopijeeren en verkleinen der Kaarten. — Over het problema van twee middenevenredigheden. — Over de vlakke inhoud der Landen naar het platrond, van de graden van breedte en lengte, de kromtestralen en de halve middellijnen der Aarde. 1801. Altera editio. 1826.

" Altoosdurende Almanach voor alle verledene en toekomstige Eeuwen, *in plano.* 1801.

" Guthry's Algemeene Aardrijksbeschrijving, gevolgd naar den derden druk van Noël's Fransche vertaling, 2 deelen. 1803 en 1808.

" Handleiding tot de Beschouwende en Werkdadige Meetkunde. 1806.

" Verhandeling over den waren aard en de voortreffelijkheid der Wiskunde. 1806.

" Wiskundige lessen. Eerste en tweede Cursus, twee deelen. 1808 en 1809. Altera editio 1823 et 1828.

J. DE GELDER, Aardrijkskundige beschrijving van het Koningrijk Holland, met eene Geographische Kaart. 1809.

〃 Beginselen der Meetkunst. 1810. Altera editio 1817. Editio tertia, duobus voluminibus 1829. Editionem quartam curavit, auctore jam mortuo, J. L. Speyer 1850.

〃 Nieuw Koopmans en Winkeliers Handboekje of het Fransche stelsel van maten en gewigten gemakkelijk gemaakt. 1810.

〃 Allereerste Gronden der Cijferkunst, 2 deeltjes. 1811. Cujus operis sex editiones prodierunt, ultima scilicet a. 1847.

〃 Meetkundige Analysis, 2 Stukken. 1811.

〃 Openingsrede bij de vijf en dertigste algemeene Vergadering van het Wiskundig Genootschap te Amsterdam, onder de spreuk: Een onvermoeide arbeid komt alles te boven. 1814.

〃 Proeve over den waren aard van den Positieven en Negatieven toestand der Grootheden in de Stelkunst en in de toepassingen van dezelve op de Meetkunst. 1815.

〃 Liefde tot het Vaderland en den Koning; openingsrede bij den aanvang der lessen voor de Kadets der Artillerie en Ingenieurs-School te Delft. 1815.

〃 Allereerste Gronden der Beschouwende en Werkdadige Meetkunst. 1816. Editio altera 1827.

〃 Beschrijving van den Sextant van Hadley. 1816.

〃 Beginselen der Stelkunst. 1819. Ed. altera 1821. Ed. tert. 1835.

〃 Oratio de Commodis atque emolumentis ab iis consequendis, qui Mathematum ac rerum naturalium perscrutandarum studia cum literarum humaniorum cultu feliciter conjunxerint, habita Leidae 6 Novembris 1819.

〃 Memorie aan het Hoogheemraadschap van Rijnland, behelzende consideratien over het ontwerp van den Heer Baron van Lijnden van Hemmen, strekkende ter droogmaking van de Haarlemmermeer. 1821.

〃 Beginselen der Differentiaal-, Integraal- en Variatie-rekening, I^e^ Deel. 1823. IIe Deel uitgegeven en de acht laatste vellen bijgewerkt door den Hoogleeraar D^r^. G. J. Verdam. 1850.

J. DE GELDER, Hoogere Meetkunst, I^e^ Deel met atlas. 1824.

" Oratio de Deo totius Mundi conditore et moderatore ex illis naturae legibus, quibus coelestia reguntur, quam evidentissime cognoscendo; habita Leidae die 2 Octobris 1824.

" Verhandeling over het verband en den zamenhang der Natuurlijke en Zedelijke Wetenschappen. 1826.

" Allereerste gronden der Stelkunst, ten gebruike der Latijnsche scholen. 1826. Editio secunda 1827. Editio tertia 1830.

" Uitgewerkte oplossingen van de 250 Vraagstukken, voorkomende in de allereerste gronden der Stelkunst, ten gebruike der Latijnsche scholen. 1826. Editio altera 1837.

" Redevoering bij de oprigting van het Industrie-Kollegie en de Industrie-School te Leyden. 1826.

" Eerste Gronden der Meetkunst, ten gebruike der Latijnsche scholen. 1827.

" Handleiding tot het Meetkunstig Teekenen, ten dienste der Latijnsche scholen. 1829.

" Cosmographische Lessen, een leesboek voor de Nederlandsche Jongelingschap. 1831.

" Bedenkingen tegen de Verhandeling over de Meetkunstige bepalingen van den Hoogleeraar J. T. L. Schröder (in de Werken van het Nederl. Instit. I^e^ Kl.). 1835.

" Uitvoerige lessen over verhoudingen en evenredigheden. 1839.

ADDITAMENTUM IV. ORATIONI RECTORIS.

INCREMENTA MUSEI NUMMARII

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

ANTONIO RUTGERS VIRO CL. RECTORE MAGNIFICO.

CIƆIƆCCCXLVIII—CIƆIƆCCCXLIX.

Incrementa, ut fere quotannis, sic hoc quoque anno habuit Museum coëmtione, permutatione, donatione.

Coëmtione accesserunt ex antiquis nummis tres nummi argentei regulorum Hispanicorum incertorum, ad amussim, ut videtur denariorum Romanorum percussorum.

Duo descripti sunt in Mionneti opere *Déscription de médailles antiques Grecques et Romaines*, T. I. N°. 419; tertius sub N°. 411; nummus huc usque non descriptus Colchidis: in antica protome antiquioris formae; in postica pars anterior bovis; nummus aeneus Olbiae (vid. Mionnet Suppl. T. II pag. 17 vel forte 18); nummus argenteus Arsacis Gotarzis, regis Parthiae ab anno 47—50 aerae Christianae (Mionnet T. V, p. 666 N°. 64).

Denarii Familiarum vel Gentium Romanarum: duo gentis Aciliae (vide Morelli Thesaurum T. I N°. 3); Aemiliae (M. T. I N°. 6); Baebiae (M. N°. 1); tres gentis Caeciliae (M. T. I N°. 2, T. II N°. 2 et 7); Carisiae (M. T. I N°. 2); Cassiae (M. T. I N°. 7); 2 gentis Claudiae (M. T. II. N°. 1, 4); Considiae (M. N°. 1); 2 gentis Cordiae (M. N°. 1 et 2); 2 gentis Corneliae (M. T. I N°. 5 et T. IV N°. 8); Domitiae (M. T. II N°. 1); Fabiae (M. T. I N°. 1); Juniae (M. T. I litt. A); Manliae (M. N°. 2); Memmiae (M. N°. IV); Petilliae (differt a Morellianis N°. 1 et 2); 3 gentis Plautiae (M. 1, 2 et 5); Pompejae (M. T. III N°. 5); Quinarius gentis Porciae (M. N°. IV C.); Denarius gentis Scriboniae (M. N°. 3); gentis Valeriae (M. T. II N°. 2); 3 gentis Vibiae (M. N°. VIII) difficiles ad describendum, quia non tota area nummorum percussa est.

Porro tres nummi argentei, seriore aevo quam prae se ferunt, percussi, et etiam spurii Themistoclis, Marii et Sertorii; hujus generis nummi perutiles sunt in docenda Numismatica, nimirum ut Studiosi discant secernere genuinos nummos a spuriis.

Tres denarii Augusti, quorum posticae habent: prima templum hexastylum et inscriptionem

IOVI OLVN (pro OLYM)

(a Mionneto inter rariores Augusti habetur, vide pag. 104 T. I operis *de la rareté et du prix des médailles Romaines.)*
altera capricornum cum inscriptione AVGVSTVS; tertia minus bene se habens, figuram sedentem, dextra hastam, laeva ramum tenentem, cum inscriptione

PONTIF. MAX.

Denarius Vespasiani cum postica: PON. MAX. TR. P. COS. VI.

Denarius Elagabali male habitus, forte igne ambustus.

A. ANTONINVS PIVS. . .
P. P. M. TR. P. XVIII COS. IIII P. P.

Denarius male habitus Alexandri Severi; in antica ut videtur

L. SEPT. SEV. AVG. IMP.

in postica mulier sedens et

P. M. TR. P. V. COS. II. P. P.

Denarius aeratus Alexandri Severi, in postica:

P. M. TR. P. IIII. COS. III. P. P.

Porro alius qui videtur Septimii Severi.

Aenei: sestertius Neronis cum: *Decursio;* Hadrianus minoris moduli cum inscriptione, ut videtur, *fides publica;* Antonini Pii, in postica: *Aeternitas;* minimi moduli nummi Constantini Magni, Crispi, Constantis.

Tandem aurei Valentis, fratris Valentiniani I (ab anno 364—378) cum inscriptione: *restitutor reipublicae* et ANTI.

Valentiniani II vel junioris (375—392) cum inscriptione *victoria augg.* et TROBT.

Theodosii (379—395) cum inscript. *concordia auggg. b.* et CONOB.

Arcadii (395—408) cum inscript. *victoria auggg.* et CONOB.

Ex nummis medii quod dicitur aevi:

Argenteus Manuelis Comnenis nummus (1143—1180) conf. de Saulcy, *Monnoies Byzantines*, T. XXVIII N°. 4, cum effigie Sancti Eugenii; vide etiam Mionnet T. II p. 536. Nummus aeneus Rogerii I regis Neapolis (1157—1166) vel fortasse Guilielmi II (1166—1189), conf. Mader, *Kritische Beyträge zur Münzkunde des Mittelalters*, T. V tab. 33 N°. 25, textus pag. 38; nummus argenteus Henrici IV, regis Castiliae et Legionis (1454—1474), nondum descriptus neque in opere Appelii *Repertorium zur Münzkunde des Mittelalters*, neque in Leleweli *Numismatique du moyen age*, neque in Maderi *Kritische Beyträge*, neque in Beckeri *Seltene Münzen des Mittelalters.* Inscribitur hic nummus *enricus cartus* (sic). Nummus argenteus Boëmundi, Episcopi Trevirensis; nummus aeneus civitatis Anconae; nummus dictus *boddrager* Joannis a Vernenburg, Episcopi Trajectensis; duo nummi dicti *grossi*, Joannis ab Arkel, itidem Episcopi Trajectensis; *semigrossus* Joannis Bavariae, in usum Luciliburgensium cusus; Denarius Guilielmi I, Comitis Hannoniae; *Petrus argenteus* Joannis III, Ducis Brabantiae; dimidius praecedentis; *grossus* ejusdem Ducis; quarta pars *realis aurei*, cum duplice aquila, Ludovici Malensis, Comitis Flandriae; nummus dictus *boddrager*, Antonii Ducis Brabantiae, Lovanii cusus; nummus argenteus *snaphaan* dictus, Caroli Egmundani, Ducis Gelriae, mox, ut speramus, edendus in opere nostro a Societate Teyleriana praemio ornato.

Ex nummis recentioribus:

a. nummi sic dicti memoriales aliique varii generis.

Nummus senatorius *(vroedschapspenning)* civitatis Goudanae, cujus effigiem vide in Loonii opere Vol. I, pag. 151 N°. 4; nummus obsidionalis Medioburgi (v. L. I, 159 N°. 4), item civitatis Harlemi (v. L. I, 161 N°. 2); alius ejusdem generis nummus (v. L. 161 N°. 4); nummus Provinciae Zelandiae gratitudinis causa cusus (v. L. I, 180 N°. 1); nummus dictus *legpenning* anni 1575 (v. L. I, 204); nummus obsidionalis Zirizeae (plumbeus, v. L. I, 213 N°. 1); itidem anni 1576 (v. L. 215 N°. 3); nummus *legpenning* anni 1580 (v. L. I, 279); itidem anni 1581 (v. L. I, 298); nummus dictus *reaal*, Provinciae Zelandicae, 1586 (conf. v. L. I, 367 N°. 1); nummus dictus *stooter* (conf. v. L. I, 367 N°. 3); Breda capta ope navis cespitibus bitu-

minosis onustae (v. L. I, 409); in honorem Principis Mauritii (v. L. I, 569 N°. 3, hoc exemplar autem ornatur annulo et orbe affabre facto); Sylva Ducis capta (v. L. II, 180); Impetus in Amstelodamum (v. L. II, 345 N°. 2); Princeps Guilielmus III cum Matre (v. L. II, 387); Wulframus Brederodius (v. L. II, 402); Inaugurati Guilielmus III et Maria (v. L. III, 407 N°. 1); Pax Rysvicensis (v. L. IV, 190 N°. 2); in honorem Balthasaris Bekkeri (duo exemplaria ex metallo dicto *zinc*) (v. L. IV, 225 N°. 2 et 4); nummus obsidionalis a Survilio cusus (v. L. 564 N°. 1); Pax Ultrajectina (v. L. IV, 657 N°. 4); nummus militiae urbanae Trajectinae *(Schutterspenning); vinum honorarium* ejusdem Civitatis; saecularia prima Universitatis Trajectinae (opus Loonii continuatum N°. 106) Maria Theresia inaugurata comitissa Flandriae anno 1744 (Loonius continuatus N°. 185); nummus Senatorius civitatis Sylvaducensis (ibidem N°. 269); Guilielmus IV inauguratus marchio Vlissingae ac Verae (ibidem N°. 298); Guilielmus V inauguratus in eadem urbe (ibidem N°. 408); nummus senatorius Roterodamensis: *data per rivos* etc. cujus effigiem vide apud van Orden, *Bijdragen tot de Numismatiek van het Koningrijk der Nederlanden;* praeterea in memoriam natae Principis Ludovicae, 1770; in saecularia altera recuperatae libertatis Flessinganae, et major et minor nummus memorialis, a peritissimo scalptore Theod. van Berckel confecti; octo vexilla militiae urbanae civitatis Trajectinae 1783; fides praestita novae regiminis formae ejusdem civitatis 1786; nummus major obsidionalis civitatis Trajecti ad Mosam 1794; in memoriam calamitatis Leidensis anni 1807.

Praeterea plures nummi memoriales ex zinco confecti, genuini tamen typi, obvii in Loonii volumine quarto.

Ex nummis peregrinis memorandi sunt: in honorem Andreae Doriae archithalassi Imperatoris Caroli V sine anno; in memoriam Henrici IV, Franciae regis 1598; nummus inaugurationis Frederici III, regis Daniae 1648, nummus regis Hispanici Philippi IV, in usum castellaniae Gandensis 1664; nummus memorialis in obitum Sponsae Petri III, Russorum Imperatoris 1730; expulsorum e patria sua Salisburgensium 1732; *caeteri.*

b. nummi Neerlandici proprie dicti *moneta.*

Nummus aureus Groninganus dictus *halve gouden rijder* anni 1761, item *gouden scheepjesschelling* provinciae Hollandiae ac Westfrisiae 1771; ducatus duplex anni 1805; nummus argenteus major provinciae Zelandiae, dictus *rijksdaalder met den halven man;* nummus Westfrisiae dictus *ducaton;* nummi Frisiae dicti *halve florijnen of* 14 *stuiverstukken*, caeteri. Nummi peregrini sunt: dicti: *scudo* Honorii II, Principis Monacensis, *écu* Ludovici XV Franciae; *piaster* Philippi V, nummus minimi moduli reipublicae Venetae, *kruisrijksdaalder* Archiducum Alberti et Elisabethae, ut et plures alii nummi tam argentei quam aenei Brittanniae, tam Angliae proprie sic dictae quam insulae Monae, quorum effigiem vide in Rudingii opere: *Annals of the coinage of Great-Brittain*, Franciae et Lotharingiae, Russiae, Poloniae, Sueciae, Daniae, Norvegiae, praeterea Hispaniae et Portugalliae, Patrimonii quod dicitur Sancti Petri, Parmae, Mutinae atque Siciliae, variarum regionum et urbium Germaniae, ut Aquis Grani, Anhalti-Bernburgi, Borussiae, Brandenburgi, Bremae, Brunsvici, Cosfeldi, Fuldae, Juliaci, Hassiae, Coloniae, Cliviae, Luciliburgi, Megalopolis, Monasterii (tam nummi ecclesiastici quam civiles) Oldenburgi, Osnabrugae, Pomeraniae, Pyrmonti, Rhedae, Rostoci, ditionum Saxonicarum, Schwarzburgi-Rudolstadi et Waldeci, tum Belgii Austriae, pagi Tigurini in Helvetia, Turciae et regionis Sinensis.

Permutatione Museo acquisivimus aliquot nummos memoriales patrios *legpenningen* dictos, inter quos rariores, obvios in operibus Loonii et Ordeni (van Orden, *Handleiding*, caet.).

Dono accepimus ab Amplissimis Universitatis Curatoribus monetam chartaceam dictam *muntbillet*, quinque florenorum; moneta haec chartacea, cum prius accepta, posteritati indicabit quid nostris temporibus cum nummis publicis acciderit.

A Doct. W. H. D. Suringar, Gymnasii Lugduno-Batavi Rectore, tria exemplaria variae Monetae chartaceae ex temporibus Reipublicae Francicae anni 1792.

A Cons. A. A. Roukens Arnhemi, intercedente Viro Doct. J. A. Nyhoff in eadem urbe degente, denarium Reinaldi II, Ducis Gelriae (1339—1343) edendum in ea parte quae Gelriam spectat, operis nostri de antiquioribus Neerlandiae nummis (ante annum 1576 cusis) a Societate Teyleriana praemio ornato.

A Viro Nobilissimo Hennequin in urbe Sluis Zelandiae, nummum Portugallicum Alphonsi II regis (1212—1223); de quo nummo vide Appel in opere *Repertorium zur Münzkunde des Mittelalters*, T. II, p. 706; praeterea aliquot nummos minores Brabantiae ac Flandriae antiquiores.

A Societate promovendae agriculturae et rei pecuariae *(Maatschappij van Landbouw en Veeteelt)* in Zelandia elegantem nummum, quo peritiores et dexteriores agricolas ornare solet illa Societas.

A delegatis provincialibus ad promovendam agriculturam *(Commissie van Landbouw)* in eadem provincia itidem nummum eidem scopo destinatum.

A Societate regia Neerlandica ad promovendam horticulturam *(Koninklijke Ned. Maatschappij tot aanmoediging v. d. Tuinbouw)* quae Lugduni Batavorum sedem habet, itidem nummum quem quotannis praemii loco proponere solet.

A Nobiliss. et Consult. Viro Paspoort van Grijpskerke, civitatis Medioburgensis qui dicitur Burgimagister, 20 varios nummos ejusdem civitatis, dictos *Gildepenningen*, inter quos rariores.

A Spectatissimo Sene G. van Orden, ex ordinibus Hollandiae Septentrionalis, Zaandami degente, qui Museum nostrum quotannis ditare solet, nummos argenteos aliquot tam patrios, quam peregrinos.

A praestantissimo Juvene J. G. ab Utrecht Dresselhuis, J. U. in nostra Universitate Studioso, nummum Guilielmi II, Episcopi Cameracensis, quem vide apud Lelewel *Numismatique du moyen age*, tab. XX N°. 50; nummulum provinciae Delphinensis in Francia et nummum civitatis Norimbergae, utrumque item ex medio quod dicitur aevo.

A Tabellione publico *(Notaris)* Boonzajer, Viro praestantissimo, cujus dona saepius commemoravimus, aliquot nummos argenteos et aeneos patrios.

A Viro Juvene eruditissimo J. W. van der Noordaa Dordraci, nummum argenteum rariorem provinciae Gelriae et duos nummos stanneos Anglicos ex recentissimis temporibus.

Ab honestissimo W. Bakker, Amstelodami munere fungente, quod dicitur *Ambtenaar bij de Nederlandsche Bank*, nummum argenteum Reipubl. Januensis (Genua), nummum in honorem Mennonis Simonis filii cusum, ut et tres alios nummos.

Scripsi Lugd. Bat.
kalendis Martiis CIƆIƆCCCXLIX.

P. O. van der Chijs.

F. G. KRIEGER,

ORATIO

DE

PROGRESSIBUS QUOS NOSTRA PRAESERTIM AETATE PER ANATOMIAM PATHOLOGICAM FECIT CHIRURGIA.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES VIRI AMPLISSIMI, NOBILISSIMI!

QUI CURATORIBUS ES AB ACTIS VIR GRAVISSIME!

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR!

DIVINARUM HUMANARUMQUE DOCTRINARUM PROFESSORES VIRI CLARISSIMI!

LECTOR VIR DOCTISSIME!

QUI HUIC REGIONI AUT CIVITATI PRAEESTIS MUNERIBUS, SAPIENTIA ATQUE INTEGRITATE ADMODUM CONSPICUI PROCERES AMPLISSIMI!

QUI JURI DICUNDO PRAEESTIS VIRI INTEGERRIMI!

RELIGIONIS INTERPRETES VIRI PLURIMUM VENERANDI!

QUARUMVIS ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES VIRI ERUDITISSIMI, CONSULTISSIMI!

JUVENES ORNATISSIMI, LECTISSIMI, DOCTRINARUM STUDIIS OPERAM DANTES, COMMILITONES OPTIMI!

VOS TANDEM QUI HUNC SOLEMNEM ACTUM VESTRA PRAESENTIA CONDECORATIS, CIVES! HOSPITES! AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Celebratum illud Baconis dictum, *In scientia est potentia*, ad nullam revera disciplinam magis convenit, quam ad medicam; nusquam enim error perniciosior, nusquam veritas magis necessaria et potens, quam in disciplina, quae cum generis humani vita et sanitate tam arcte est conjuncta.

Jam si quaerimus possideatne ars medica eam veritatem, quae firma nitatur ratione, nemo, ni fallor, rei gnarus eam illi tribuet, multaque erunt quae, quominus hoc faciat, eum impediant.

Quodsi ab initio caute progressi essent in promovenda hac arte medici, quodsi factis adhaesissent, nec aliam materiem elegissent, quam quae bona se probasset, non adeo quidem late se explicuisset ea disciplina, sed firmissimis nixa fundamentis, per longam temporis seriem firmissima et certissima evasisset.

Fieri tamen forte non potuit ut ars medica, quae prae reliquis observandi facultate indiget libera a praejudicatis opinionibus, in plurima illa vicissitudine systematum, tam physices quam philosophiae, adeo planam et facilem semper teneret progrediendi viam. Praecurrebat flagitatio auxilii semper artis progressus, quae, cum praestare artis esset, saepissime in tenebris et sepibus obsitas vias se dare et verae scientiae luce destituta incerto et fallaci empyrismo se credere cogebatur.

Inde, ni fallor, hic hiatus ille, inter theoriam et praxin, inter scientiam et artem, quae ad nostram fere aetatem permansit; quum earum quaeque sua sibi progrederetur via, qua magis magisque a se invicem dissociabantur. — Tum demum quum theoria praxi non amplius erit opposita, vel in quibusdam tantum eam firmabit, sed quum fundamentum totius medicae praxeos in theoria et in scientia invenietur, tum demum ars medica vero scientiae robore nitetur, et victoriae ornetur lauro.

Fatendum quidem est, illud tempus nondum instare, diluculum tantum ejus diei ortum esse, sed sperare, imo confidere nobis licet, splendidam ejus lucem aliquando genus humanum esse visurum.

Quid autem nobis illam spem praebere potuit? Num tot saeculorum experientia, ut ea, quae hodie pulcra, vera et immobilia proclamarentur, cras inania falsa, levia abjicerentur; num innumerabilia fere, aliud, aliud trudentia, abrogantia, devorantia systemata?

Imo systemata, donec materia, e qua sunt componenda, penitus cognita sit et perspecta et explorata, eodem pretio sunt habenda, quo phantasmata, quae per quoddam tempus oculos attoniti spectatoris occoecare valent, sed evanescunt simulac rationi imperium redditur, quod usurparant phantasmata, quae erroris modo conscientiam nobis relinquere solent.

Nec mirum! deërat systematibus illis quodvis firmum fundamentum; erat quidem aliqua materia, at non sufficiens, eaque infirma, male condita,

exprompta difficilis. — Melius fuisset si, materiâ congestâ et exploratâ, vera tantum condidissent et conservassent: multa enim jam in promptu essent, quae nunc denuo e ruderibus effodienda et exploranda sunt, nec temere et sine apta materia systemata exstruere volentes hodie diruere cogerentur, quae heri aedificavissent.

Et haec tamen, ni fallor, imago dici potest systematum in arte medica ad nostrum usque tempus conditorum. — Sed largam praeceptorum et salubrium exemplorum copiam ea nobis suppeditat experientia! Quot errores nobis per eam vitare licuit: quae bona et utilia hac magistra discere nobis contigit, quae systematibus praetereuntibus sola supervixerunt.

Magnas illis strenuis operariis debemus gratias, qui, indefesso studio et constanti labore, reliquias antiqui et recentioris temporis studio immoto et perseveranti perscrutantur, ut inde probam et utilem extrahant materiem. Majorem efficacitatem quam plerumque creditur habuerunt, hodieque habent in artem medicam, justaque et ab opinione praejudicata libera posteritas eorum merita maximi faciet.

Ars medica igitur, cui hoc cum quavis humanitatis disciplina commune est, per multas ambages in veram, eamque regiam viam pervenire debuit, quam tandem, ut vere gloriari possumus, est ingressa.

Jam nulla quidem disputatione opus erit ad demonstrandum, nos eam, qua nunc ingreditur viâ ars medica, rectam et regiam habere, qua ad illum finem certum ad quem tendit, pervenire potest et perveniet.

Sed qua in re consistunt hi majores progressus, cui debemus clariorem illam veritatem? rectissime Virchow respondebit: „ex quo agnovimus morbos „neque per se, neque absolute exstare, neque autonomos esse organismos, „neque in corpora irruere, aut parasitorum more in iis vivere et crescere, „verum decursum tantum vitae, mutatis conditionibus ostendere — ab eo inde „tempore *mederi* nihil aliud significare potest, quam in integrum restituere „normales vitae conditiones."

Jam quomodo ad eam pervenimus scientiam? diligenti materiae in conditione sana exploratione et indefesso naturae ipsius studio, quo, ad accuratiorem scientiam ejus explicationis et legum quibus regitur pervenimus, conditionesque novimus ejus imperii, comparati cum conditione morbosa et mutationibus, quas materiae adfert.

Ita exclusa est illa ontologica morborum doctrina, quae phantasmatibus suis contenta est eaque vera habet.

Pervicit ea contemplandi ratio, quae statuit, materiem in sana conditione certis legibus obstrictam, quamquam morbo subjectam, non tamen casu temere regi, neque eam morbo plane mutari potuisse, et rursus quocumque tandem modo in pristinam conditionem reverti. Insignes ex hoc principio augurari licebat profectus, nec eventus exspectationem fefellit. Nunc enim scimus eadem phaenomena per morbum apparere, variata secundum varias causas et ut uno verbo dicam: fundamentum physiologiae morborum positum est.

Jam si quaerimus quae causa sit hujus mutationis, confitendum est, salutares hosce progressus magnam partem Chirurgiae deberi.

Temeraria, imo vana videbitur nonnullis haec propositio; discrimen esse inter medicinam et chirurgiam, inter morbos internos et externos negabunt; erunt qui haec omnia disciplinis tribuant physicis.

Quod ad primum, negari non potest discrimen illud arbitrarium, ratione non fultum, imo ei prorsus contrarium esse, sed a quo tempore in praxi observatum est et chirurgi aliam inierunt viam, quam qui dicuntur medici interni, oculos intendere debemus in methodum, quam utrique in arte secuti sint.

Anatomia pathologica enim primos progressus suos chirurgiae debuit, nam illi, quae in ditionem suam imprimis organicos receperat morbos, id est eos, in quibus mutationes formae et organismi maxime spectantur, illi igitur opus fuit materiâ, qua ut substrato uteretur contemplationis morborum, et ita leges laesi aequilibrii, modumque quo restitui posset in ipsâ quaerere materiâ, dum medici eam viam nec mature, nec multi ingrederentur. Nec mirum hoc cuiquam videri debet; mutationes organorum quae observantur in morbis e ditione internae, quae dicitur, medicinae plerumque minus apparent. Magis referuntur, inquit Vogel ad elementares corporis partes, quas subtilissimâ tantum Anatomiâ et armato oculo cognovimus ac propterea recentiori demum aetate magnam in eam pathologiae partem exercuit vim anatomia pathologica.

Jam si verum est chirurgiam *ducem* fuisse in explorationibus, quae suapte naturâ clarissimam lucem pathologiae offundunt, eamque nunc eodem progredi modo, non metuo, ne nimia sumsisse vobis videar,

A. A. H. H! statuendo chirurgiam magna ex parte viam emendatae medicinae nostrae aetatis aperuisse.

Num igitur jam officio suo defuncta est, num quae exercitus dux fuit jam postremum agmen sequetur?

Nequaquam A. A. H. H! Illi quoque nova orta est periodus. Liberari nondum potest ab officio ei imposito, e statione sua viam qua progrediendum erit monstrandi; Chirurgiaeque hodie est cum genuina sorore Medicina in ea via progredi, et totius doctrinae ope mutationes formae, organismi et chemismi indagare, quas morbi ostendunt, et ex iis factis cum justa statistica conjunctis pathologicam suam et therapeuticam condere doctrinam; idque per totam scientiam iter chirurgiam nostra aetate tenere statuimus.

Hoc novum iter chirurgiae in quibusdam e pathologiae et histologiae studio petitis observationibus ostendere, haec erit nostrae orationis materia pro qua vestram A. A. H. H! in audiendo benevolentiam quam maxime imploro. Dicam igitur *de progressibus quos nostra praesertim aetate per anatomiam pathologicam fecit Chirurgia.*

Primae in disputatione nostra partes inflammationis doctrinae erunt tribuendae. In nullâ totius pathologiae parte, nostra aetate, major posita est opera quam in inflammationis doctrina; hic enim histologia et physiologia omni ope microscopiae et chemiae instructae certatim operam dederunt, ut tenebris hujus gravissimae doctrinae lucem affunderent, eaque, quae natura densa caligine obruerat, illustrarent; qui conatus chirurgiae fuerunt utilissimi; fundamentum enim totius chirurgicae pathologiae habenda est inflammationis doctrina; in omni enim morbo e chirurgiae ditione invenitur et, ubi primo adspectu non apparet, plerumque tamen aliquanto serius prodit; ejus ergo essentiam si fieri posset cognoscere grave erat chirurgiae officium; hic enim tenebras dispergere si illi contigisset, pathogeniam etiam plurimarum organicarum infirmitatum illustrari, necesse erat. Nec mirum igitur tam gravem quaestionem alacri studio et indefesso labore esse agitatam. Claro fulgore splendent hic nomina Virorum doct. Henle, Vogel, Emmert, Stilling, Koch, Lebert, Baumgartner et aliorum, qui vario modo eam illustrare sunt conati, multumque contulerunt ad accelerandam gravissimae ejus quaestionis solutionem; et revera quamquam non

gloriari possumus, patefactam esse a nobis essentiam inflammationis, innotuerunt tamen plurima facta, quibus indiget ars ut placita in iis sua construat.

Ex observationibus microscopicis tam antiquiorum, quam praesertim recentiorum, scimus mechanismum inflammationis quatuor constare stadiis.

1°. Coarctatione capillariorum cum celeriori sanguinis motu.

2°. Extensione capillariorum tardato sanguine et coacervatione globulorum.

3°. Quam densissima coacervatione globulorum in capillariis eorumque tota stasi.

4°. Commutatione stagnantis sanguinis et transsudatione in telas vicinas.

Omnes enim quae in hoc morbo occurrunt materiae mutationes tam clare sub microscopio observatae sunt, ut, quamquam diversae diversorum observatorum sint explicationes illorum phaenomenorum, phaenomena ipsa eorumque successus tamen ab omnibus agnoscantur.

In *phaenomenologia* si elaborarunt micrographi, non minorem materiem collegerunt chemici, tam in disciplina chemicarum quam physicarum sanguinis mutationum. Quis hic non cogitet clarissima nomina SCHRÖDER V. D. KOLK, ANDRAL et GAVARRET, SIMON, BECQUEREL, RODIER et MULDER.

Observationes de mutationibus seri, de quantitate globulorum, de tardiori coagulatione crustae ita dictae inflammatoriae, et tandem egregia nostri MULDERI observatio fibrinam sanguinis in inflammatione altiorem oxydationem possidere ejus principii, cui nomen *proteinum* dedit, uti et BAUMHAUERI crustam lardaceam talis sanguinis plus *oxygenii*, et minus *azoti*, *carbonii* et *hydrogenii* continere quam normalem fibrinam, ostendunt, quanto cum fructu etiam hac in scientiae parte elaborarint chemici.

Dissensionibus de causis earum mutationum immorari nolumus: sufficiet nobis inde colligere inflammationem constare cyclo pathologicarum mutationum, quas recte intelligere chirurgiae quam maxime profuit et prodest; nec multa verba faciemus de theoria inflammationis, et non magis mechanico-chemicam VOGELI et BAUMGARTNERI quam neuropathologicam HENLEI et STILLINGII probabimus, in transitu tantum observantes, cognitionem vasomotoriorum nervorum maximam vim exercuisse in inflammationis doctrinam, inflammationique igitur egregio successu restitisse medicos auxiliis, quibus uti antea non essent ausi.

Amplus per novam inflammationis doctrinam chirurgo campus apertus est scientia exsudatorum, imprimis fibrinâ abundantium et organismi capacium; haec perscrutando inde a fluida conditione donec transiissent in firmam, amorpham massam et gradatim ex ea progredientium telorum, itidem organismi non capacium recessum et disjectionem observando, novus apertus est campus scientiae tam restaurationum organicarum quam pathologicarum productionum in universum.

Clare inde apparuit iisdem legibus, quae sanam materiem regerent, etiam aegram obtemperare; mirificus erat consensus, qui explorata formatione organismi capacis plasmatis observabatur, cum eo qui in embryonali formatione locum habet; ita enim maximam partem Schleideni et Schwannii theoria cellularum et hic valere deprehendebatur, ex qua, quamquam sane non amplius unice vera habetur, quum in fibrinoso exsudato *immediata* etiam fibrarum formatio fiat, sine dubio tamen clare patet magnus consensus.

Maximi momenti hic est scientia, ad quam pervenimus, de vi quam plasmatis proximae telae in plasma ejusque peculiares metamorphoses exercent, cujus efficaciae natura quamquam ignoratur, lex ita dictae analogae formationis est certissima.

Si vim spectamus quam in curanda vulnera exercet cognitio plasmatis organismi, videmus quomodo ubique unio per primam intentionem, locum occuparit unionis per secundam intentionem, cui in magnum aegrotantium detrimentum, nimis diu fidem habuerunt chirurgi; nemo non perspicit celerem et felicem sanationem cujusque fere cohaerentiae separatae ab ea conditione pendere, ut partes oppositae cohaereant et organice concrescant.

Sic via strata fuit ad inventionem subcutaneae transsectionis tendinum et musculorum ad sanandas curvaturas ejusque generis morbos. Potuit demum hujus amplae partis recentioris chirurgiae operativae doctrina latius se extendere per scientiam mutationum, quas intra fines dissectarum partium deposita subit materia, quandoquidem nunc demum innotuerat regeneratio transsectorum tendinum, et omnes quae in ea fiebant mutationes, tam diligentissimis observationibus, quam vivisectionibus erant exploratae.

Ita enim in rectam chirurgi viam pervenerunt ad ea intelligenda momenta quae in cura post tales operationes sunt animadvertenda.

Scire enim intererat:

1°. Ita dictum callum tendinum primo cum illorum vagina conjunctum, tandem ab ea disjungi et fieri mobilem.

2°. Porro intra quaedam stadia, quandam illum nancisci firmitatem.

3°. Augeri quoque plerumque a plastico exsudato maxime substantiam.

4°. Denique substantiae mediae, quae subcutanea dissectione tendinum formatur, majorem elasticitatem esse propriam, quam omnibus aliis organis, in quibus ita continua separantur.

Nec minus necessaria, quam haec inflammationis exsudati ejusque succedentium mutationum scientia, erat ad curandas infirmitates, ita dictas orthopaedicas accurata earundem causae notitia, quae toties in abnormalibus functionibus systematis nervosi sita est.

Si usquam, hic imprimis accurata harum causarum opus erat scientiâ.

Magnas nostrae aetatis neurologiae debemus gratias, quod fines tenotomiae aliquatenus circumscripsit, laudabilemque creavit reactionem, contra stultam et temerariam illam, omnes curvaturas subcutanea musculorum aut tendinum transsectione curandi libidinem.

Ad plasticam chirurgiam quum nos convertimus, et hic nobis diligenter physiologicam methodum sequentibus clavem in manus nostras traditam esse videmus scientiae, omnium quae in illa fiunt organica restauratione.

Si historiam consulimus hujus partis operativae chirurgiae, quam unam e pulcherrimis illius victoriis habemus, apparet ab eo demum tempore scientiae finibus eam contineri, quo nobis illius organicae restaurationis indoles innotuit.

In eo praesertim etiam elucent plasticae chirurgiae doctorum aetatis nostrae merita, quod eam, ut ita dicam, physiologice tractarent; ea re illis contigit ut hanc artem intra tam breve temporis spatium ad tantum fastigium eveherent: numquam enim animadvertebant vitae phaenomena, in organicae materiae mutationibus conspicua, quin observationibus iis uterentur ad progrediendum in arte.

De chirurgiae illa parte insigni ante omnes egregie meruit summus Dieffenbachius, praeceptor quondam mihi aestumatissimus, qui praestanti ingenio morioplasticam admodum extendit. Ipse eam *ingentem artificis ditionem* vocavit, *in qua conjunctim procedunt physiologia et chirurgia*, idque factis probavit.

Physiologica investigatio naturae principiorum organicorum ad restaurationem organicam destinatorum plasticae chirurgiae magni momenti erat quaestio. Magnas in ea gratias debemus DIEFFENBACHII et GRÄFII alacri studio, quum dispositionem singularum cutis regionum in corpore humano quod ad illam organicam restaurationem explorarunt et definierunt; nec minus DIEFFENBACHII experientia et experimenta profuerunt ad physiologica phaenomena, quae in translatione plagarum cutis se ostendunt egregie illustranda. Huc pertinent varii modi, quibus existit conjunctio, mutatio caloris et coloris quae observatur in secandis solutis vel translatis cutis laciniis, cum earum physiologica vel pathologica significatione, ut et phaenomena quae, e quodammodo fracta efficacia nervorum in translata cute nascuntur. Sunt eae observationes in praxi magni momenti quatenus justum judicium de natura observatorum phaenomenorum directe in rectam sanandi viam ducere debet.

Mutationes inflammationis exsudati ab alia parte si consideramus, statim se offert transitio in pus. Et hic etiam microscopium cum chemica exploratione conjunctum facem nobis praefert. Quamvis densa caligine puris ortus adhuc sit obductus, quamvis contrariae sententiae de ejus morphologica et chemica compositione adhuc proferantur, quamquam adhuc sub judice lis sit de conditione ejus formationis, utrum pus *sine* inflammatione existere possit *nec ne*, id certe constat: plasticum exsudatum quocumque tandem modo ortum, adesse debere priusquam puris corpuscula possint nasci.

Nec solum ad justam aestimationem sanationis per secundam intentionem maximi est momenti accurata ejus materiae scientia, sed etiam contra fatalem illum exitum futilissimarum quidem chirurgicarum operationum, qui saepe summam fallit spem et validissimae oppugnationi illudere videtur, *pyaemiam* dico, est utilissima.

Quamvis incerta sint quae traduntur *puris experimenta*, hoc constat microscopicam investigationem conjunctam cum quibusdam chemicis reagentibus verosimillimos praebere eventus, qui doceant pus in sanguine nonnumquam inveniri. Nondum omnia nobis clara esse, conficitur e variis quae de ejus ortu feruntur sententiae: nondum enim scimus, quae sint puris partes quae absorbentur, quis modus quo hoc fiat, imo utrum hoc *revera*

fiat, an pus per phlebitidem suppurativam formetur, aut sanguinis globuli in puris globulos commutentur; quidquid sit, quantum sit quod in eo nesciamus, certum est non solum constare: pus existere in sanguine, sed etiam in puris resorptione interdum discerni posse, quae puris pars, plasma an globuli sint resorpti.

Ita via nobis est monstrata qua progrediendum est, si teterrimo illi hosti obviam ire volumus, ut tandem nobis indoles et vires ejus plane innotescant, quod fieri posse methodo, qua hodie utitur chirurgia, quae materiae mutationes non solum accurate cognoscere conatur, sed earum ortum simul investigare non negligit, si certum nondum est, tamen verosimillimum dici meretur.

Alia laus positivae, observatione et subtiliori investigatione nitentis chirurgiae, est characteris inflammationis distinctio secundum naturam telarum, in qua habitat; vim quam hae in exsudatum exercent curaque quae propterea adhibenda est. Est enim illa propensio imflammationis in tela cellulosa exsudata formandi cum transitu in gangraenam definita, per hujus telae vasorum copiam ejusque laxam structuram qua capillaria maxime extenduntur et serosa, fibrinosa vel purulenta materia exsudatur.

Serosas membranas cum spectamus videmus, quanta vis sit anatomicae constructionis in ortum et progressum inflammationis in iis membranis; haec secernentia organa cum vasis per totam superficiem extensis, imprimis apta sunt ad effundendos humores, qui pro inflammationis gradu *serosi* vel *fibrinosi* vel *purulenti* sunt; si usquam, hic *ortus* et *incrementa* stadiorum inflammationis investigari possunt et rectissime dicit EMMERT inflammationis phaenomena serosarum membranarum, illarum simillima esse quae ope microscopii in membranis natatoriis ranarum observantur.

Eam viam assidue tenentia studia morborum membranarum serosarum foecunda chirurgiae fuisse, imo foecundiora quam aliarum telarum, probat hoc jam satis certa rheumatismi articularis cognitio. Quisque dolor cujus ignorabatur nomen vel causa et sedes, dicebatur hic rheumatismus; rheumatismum quum proclamaverat medicus, hac voce ignorantiam tegebat, dum aegrum dirissimis doloribus excruciari videret. Verum a quo tempore chirurgi scalpellum rheumatismum articularem investigavit, scimus illum praes ertm in synovialibus membranis sedem habere in iisque omnes

illas commutationes efficere posse, quas fibrinosa inflammatio efficere potest; et quamquam nondum dijudicata est lis et multa ignoramus de discrimine inter hanc et alias inflammationes, certum tamen est, multa jam nos in eo profecisse, quod sedem hujus inflammationis cognoscimus et telarum commutationes, quas articuli câ subeunt.

Fructifera quoque doctrinae aliorum articulorum morborum fuit haec investigatio. Jam non contenti sumus inanibus verbis *tumore albo* v. c. quae unum tantum symptoma significant; ex quo enim scimus histologicam organorum dispositionem magnam exercere vim in modum quo inflammatio in iis oriatur, intellectum est, in permultis partibus, quae in compositione articulorum concurrunt, etiam cum illarum telarum structura convenientes morbos necessario oriri; neque hoc injuria, ut tandem ad ordinationem eorum affectuum, secundum telas, in quibus habitant, perventum sit.

Inflammationem in *ossibus* alio modo, quam in aliis telis ostendere se debere apertum est; proprie enim neque extensionis per exsudatum neque inflammatorii tumoris sunt capacia. Quodammodo igitur etiam neglecta est ossium inflammatio, patienterque est exspectatum, donec appareret quis exitus esset. Adeo eam inflammationem neglexerunt, ut summo jure dicat Stromeyer: „Multi medici ne somniant quidem de inflammatione ossium, „eamque in maximum aegrorum detrimentum plerumque non agnoscunt.

Et hic praesertim aegri talium medicorum ignorantiae poenas luebant. Scimus tandem exsudatum in ossium inflammatione ortum, iisdem quum nascitur legibus regi, quibus in aliis telis et easdem quas alia exsudata universe habeant commutationes in duris his telis exstare, nullo alio discrimine nisi eo quod e mollibus facilius expellantur quam duris.

Eo magis laetandum est igitur viam esse stratam, finem esse cognitum in quem dirigendi sunt conatus, et quo tempore primaria organorum origo innotuit, scimusque easdem leges, quibus reguntur, *fortuita* etiam regere producta, a quo tempore igitur animadversa est formatio et origo exsudatorum, nova nata est chirurgiae directio. Quae huc usque bona et pulcra praestitit, magnopere huic sunt tribuenda, quae discet hinc erunt deducenda.

Cuivis, quodnam hinc lucrum fecerit scientia pathologicarum formationum novarum, tam earum, quae benignae dicuntur, quam malignarum consideranti, haec perspicua sunt et aperta.

Quum ab exsudato orientes formationes non ad conjungendam separatam connexionem et ad restituendas quae perierant partes serviunt, aut in parenchymate organorum non in ejusdem generis telas transeunt, sed quum recens nata aliquanto magis minusve a circumdantibus partibus est distincta et chirurgi scalpello ab iis potest separari, tum plerumque *tumores* dicuntur qui vulgo in *homologos* et *heterologos* discernuntur. — Ad priores pertinent secundum Vogelium ii tumores, quorum elementa cum telis conveniunt in regeneratione et hypertrophia se formantibus, et sicuti in hystologica compositione, ita in ortu quoque regenerationi et hypertrophiae simillimae sunt, augentur, crescunt eodem modo, integrae fiunt corporis partes et per longam annorum seriem, saepius ad mortem usque, immutatae manere possunt.

Eorum incrementa quum contemplamur, videmus eos etiam e blastemate vasorum oriri, quod lege analogae formationis regitur.

In pinguioribus partibus oriuntur plerumque tumores ex adiposa tela constantes, in tela conjunctiva et in febrosis partibus fibrosi tumores, et in musculorum membranis quoque tumores, qui e simplicioribus musculorum fibris constant. — Et valet ea lex non tantum in modo quo elementa telarum formantur, sed majoris quidem est applicationis: sub cute v. c. reperiuntur saepe tumores cystici, quorum membranae cuti ejusque glandulis congruam habent structuram.

Naturam benignorum qui dicuntur tumorum omnium nondum cognitam esse, imo densas hic exstare tenebras sicuti in capillorum, dentium, ossium formationibus, in ovariorum tumoribus non ita raro obviis, quis negabit? At universa illorum originis lex eadem est quae embryonalis et sequentis incrementi, quum semel orti participes sint universae materiae immutationis.

Universas has leges jam ad hystologiam quorundam tumorum separatim referamus.

Lipomata plane normali adipi similia tam chemica quam microscopica exploratione invenimus, adeoque plane apparuit hic consensus, ut nemo adhuc de eo dubitet.

Nec in ita dictis telangiectasiis heterogeneae inveniuntur partes; constant enim e vasis cum interposita quadam conjunctiva tela; secundum micros-

copicam indagationem MÜLLERI, diligenter praeparata horum tumorum frustula e dilucidioribus vasorum parietibus cum interposita tela conjunctiva constant, dum ubi telangiectasiae veros eminentes tumores formant, nova etiam et fibrosa tela secundum VOGELIUM oritur.

Etiam in iis quos LEBERTIUS tumorum papillarium nomine describit, et quos propter convenientiam cum cancro *pseudocancrum* nominat, analogam tantum reperimus formationem; nititur enim illorum ortus conditione hypertrophica tam texturae papillaris cutis, quam illam tegentis epidermidis; inflammatoria irritatione extenduntur papillae, coerceri epidermidis involucro non possunt, discedunt et ulceratione vastantur. Haec tubera revera maligna non esse, quum aliis exstirpatis alia non redeant multorum exemplorum doctus experientiâ, testor.

Ostendunt etiam fibrosi tumores intimum cum normali fibrosa tela consensum, et quamquam nostra harum scientia magna nondum dici meretur, quamquam praesertim quod ad peculiarem modum, quo fibrae in continuas transeunt membranas, quam maxime variant doctorum sententiae, nullum tamen est dubium, quin leges, quibus oriantur, crescant et communis organismi fiant participes, definitae sint, et ea quae scientiae nostrae desint aliquando diligenti investigatione inveniantur et cognoscantur.

Idem de enchondromatis, exostosibus, caeterisque ossium tumoribus dici possit; nec mirum hoc est consideranti a brevi inde tempore tantum nos hac viâ progredi, ex quo clarus MÜLLERUS hic viam stravit. Hic primus laudem magnam sibi ea re meruit, latum hunc campum majori diligentiâ et hodierna physiologia digna perscrutando, in egregio illo opere de subtiliore tumorum structura.

Aliorum etiam, qui hanc investigandi methodum secuti sunt scripta varia prostant, inter quae maxime elucescit praeclarum illud opus nostri BROERSII sub titulo Observationes anatomico-pathologicae, omnibus qui medicas disciplinas colunt notum.

Heteroplasmata quoque omnino iisdem legibus obstricta esse, nemini nunc ignotum est.

Rectissime etiam VIRCHOW: „Multa praeterierunt saecula, antequam „medicis contigit cancri morphologiam definire, semperque merito nostra „se efferet ars, quod subtilior cancri structura verissimam illam identitatis

„embryonalis et pathologicae formationis legem nobis aperuit. Joh. Müller „evidenter viam monstravit, in qua nobis erit progrediendum."

Et plane hoc concedendum est: hic enim ostendit, omnes cancri tumores physiologice arctissime inter se cohaerere et una classe posse comprehendi. Idem omnino est hic, qui embryonalis, crescendi modus; apparet hoc illi qui partes e quibus constant cancri tumores, stroma ejusque contentum investigat; constat enim stroma, tela conjunctiva, vario formationis gradu, quum Virchovio debemus, neminem amplius dubitare quin caudata corpuscula revera immatura sint tela conjunctiva nihilque pathognomonicum igitur contineant.

Quamvis etiam circumscripta sit nostra cancri seri cognitio, et quamvis multa hac de re adhuc a chemia exspectemus, plurima tamen nobis de corpusculis eo contentis innotuerunt; praeter quasdam sub molecularum forma apparentes particulas, nuclei sunt et cellulae, quae jam primo adspectu se ostendunt. Quamvis diversae, de figura, contento, magnetudine cellularum et nucleorum sint sententiae; audiendus tamen ea de re Müllerus, dicens: „Subtilissimae carcinomatis texturae revera a benignorum tumorum telae partibus, et embryonis primitiva tela non differunt." Cui Virchow addit: „Revera neque cellulae neque nuclei cancri characterem demonstrantes inveniuntur, in eodem cancro diversissimae ejus „se prodere possunt formae."

Longius est varias de hoc argumento prolatas sententias hic investigare; nostro proposito sufficiat analogiam inter embryonales et pathologicas formationes exposuisse et monuisse omnes formas quae in cancri cellulis observantur, in variis etiam ortus epithelii cellularum stadiis reperiri.

Mülleri sententia novissimis confirmata est inventis: carcinoma heterologa non est formatio, nec subtilissimae ejus telae partes discrepant vere a partibus telarum benignorum tumorum, et a primitiva embryonis telâ.

Quae quum, ut ex iis quae diximus apparet, vera sint, quod ad maturum cancrum, vera etiam necessario sunt, quod ad modum quo haec fiat formatio; hic enim ut in nutritione et formatione universe oriuntur omnia ex amorpha massa, ex exsudato, quod fluidum e sanguine prodit, firmum fit et blastema format cancri, in quo phaenomena cellularum formationis in conspectum veniunt. Aliquod vero observatur discrimen; formantur enim

nucleorum corpuscula non primario sed secundario in nucleo, verum minime mirum hoc videri debet, quum etiam in ortu aliarum formationum idem fieri soleat.

Origini et incremento aliarum in cancro quae reperiuntur particularum formalium hic immorari non possumus non enim hic agimus de tumorum morphologia; ostendere autem voluimus, quam firmae sint leges, quae quamvis formationem in corpore tam *sanam* quam *aegram* regunt, et quantum jam profuerit ad hanc doctrinam in clarissimam lucem ponendam via, quam hodie ingressa est chirurgia.

Ex nostra disputatione dilucide apparuit *cancrum* sub nutritionis, quamquam commutatae, phaenomenis oriri et crescere, et in formationis progressu iisdem semper legibus parere, quibus paret quaevis normalis formatio inde ab embryonali usque ad amissarum partium restaurationem organicam.

Quem non praeclara illa movet unitas? Quis in ea non splendidam videt victoriam, quam reportavit recentius investigatione et factis nitens artis studium ab eo qui antea vigebat ontologismo?

Multi erunt, non nego, qui dicant parum nos adhuc ea profecisse ad scientiam horum affectuum quibuscum quotidie conflictatur chirurgus, alii alto supercilio eam despicient, quum praesens praxeos emolumentum ab ea non exspectent.

Utrorumque stupor deplorandus est; quis credat ad finem umquam perveniri posse ab iis qui immoti manent, phaenomena intelligi posse nisi millies observata, malo tandem resisti posse ab eo, qui ipsius mali naturam et quam late hoc pateat, ignorat?

Propterea de novâ quam recentior chirurgia ingressa est via dixi, non de recentiori chirurgiâ ipsâ, eamque viam quibusdam exemplis delineare sum conatus.

Verba quae in orationis initio dixi repetere mihi liceat: Aurora effulgit ejus diei, quae veram nobis ostendet artem medicam; nova undique coguntur auxilia, praestantissimique viri indefesso studio in ea elaborant.

In eos oculos semper tendamus nostras, eos duces sine periculo sequi possumus, omni enim copia instructi in viam se dederunt, eorumque gressibus facem praefert scientia.

Ita aliquando ad finem pervenire possumus; tum ducibus non amplius

opus erit, omnes apertâ et cognitâ progredientur viâ, eamque planiorem reddent et pulcriorem, donec tandem *Regia* dici mereatur.

Tum ad finem etiam pervenerimus et BACONIS sententia in arte medica etiam valebit: *In scientiâ est potentia.*

Orationis hic finis esset faciendus, nisi alia, quae imprimis poscit hic solemnis dies, mihi essent peragenda; pietatis enim officio est satisfaciendum et animi grati desiderio.

Ad vos igitur me converto Academiae Curatores Viri Amplissimi, qui, uti Augustissimi Regis voluntate, ita insigni quoque vestro favore me ad hanc docendi provinciam vocavistis.

Dignum igitur me habuistis, ut in clara Leidensi Academia ego quoque artem, cui vitam consecravi meam, docerem.

Nescio quibus utar verbis ut vobis gratias agam, quas sentio, pro insigni illo beneficio et favore, sed spero et confido ut simplicissima etiam verba vobis sufficiant.

Non solum tamen verbis gratias pronunciare, verum factis gratum animum probare decrevi; omni enim ardore conabor ut exspectationi vestrae respondeam, et vobis sancte polliceor, me, et in assiduitate docendi et in augendo Academiae flore, quousque vires sufficiant numquam defuturum, et omni industria per totam vitam provisurum, ne vos poeniteat muneris hujusce mihi oblati.

Academiae hujus Professores, vario doctrinae et artium genere Viri Clarissimi! quali me animo esse creditis, quum in hoc illustri concione ad vos verba facere mihi contingat, quos disciplinarum antistites veneror; verum ita mente coecum ne me habeatis qui credam me hanc ob causam vobis esse parem. Nemini magis persuasum esse potest, vestram eruditionem meam longe superare; sed spero fore ut vestra illa doctrina et eruditione meum in dies firmetur ingenium et in gratam vestram consuetudinem ego etiam recipiar; nihil me umquam praetermissurum spero, quo vestra amicitiâ dignus videri, meumque erga vos gratum animum declarare possim.

Talia optanti, vos imprimis ante oculos mihi versamini Professores clarissimi, qui de arte et institutione medica adeo bene meruistis; inter quos te imprimis appello venerande MACQUELYN! qui per tot annos Medicae Facultatis in hac illustri Academia decus fuisti et ornamentum; quemque

medicae artis in hac concione Nestorem adspicimus. Quanto me tua praesentia honore afficiat, sentio et gratus profiteor. Tibi otium illud Academicum aetati et meritis debitum diu sit jucundum: Tu prospera diu gavisus valetudine, consiliis et experientia nobis prodesse pergas.

Vos qui nunc artem medicam tanta cum laude docetis Clarissimi PRUYS VAN DER HOEVEN et SURINGAR, collegas aestumatissimos laetus saluto! Magno afficior gaudio quod vobiscum per doctrinae et artis semitas in posterum progredi mihi liceat. Quanta mihi bona et utilia ex hac vestra consuetudine promitto! Excellentem vestram quum considero eruditionem et experientiam, ingenti ardore me excitabit ea cogitatio, talium virorum sub oculis, officio fungi meo, mihi esse datum, quorum judicium quisque maximi facit.

Gravitatem tamen oneris mihi impositi non ignoro aut justo levius aestimo, planeque percipio, quantae sit difficultatis vestigia sequi illius praestantissimi praeceptoris, cujus immatura mors, almam hanc musarum sedem ingenti replevit luctu.

Non ineptum, nec ab hoc solemni die alienum ducerem defuncti BROERSII merita recordari et pauca verba gratae ejus venerandaeque memoriae tribuere, nisi jam praeclaram hanc dicendi materiem uberius tractasset aestumatissimus SURINGAR, in recenti ob carissimi Collegae obitum dolore, egregium sermonem instituens. Per breve tantum tempus mihi contigit BROERSII familiaritate et amicitia frui, quarum recordatio mihi per totam vitam erit carissima, sed quam breve hoc tempus fuerit, tamen mihi suffecit ad magnifaciendum virum, qui toto animo et summo ardore arti salutiferae et doctrinae medicae erat deditus, mihi suffecit, inquam, ad intelligendum quid egregii viri industria valeret in commodis hujus inclytae Academiae promovendis et quanto pretio.

Talis viri exemplum mihi semper ante oculos erit et omni studio illum imitari conabor, quatenus illud omni virium intensione efficere licebit.

Jam vos mihi compellandi estis Collegae aestumatissimi SIMON THOMAS et HALBERTSMA, qui mecum vocati estis, ut in hac musarum sede medicam doceatis et exerceatis artem. Ut ad sublimem hunc finem perveniamus conjunctam nostram operam profecturam esse spero et confido.

Nobis invicem semper manus porrigamus, est concorde illa promoveamus, quae in Academiae salutem bona et utilia nobis erunt facienda et sicuti

disciplinae, quarum institutio nobis est oblata arcte natura conjuncta sunt suâ, sic nos quoque amicitiae jungat vinculum, quo Academiae et institutionis commoda magnopere augebitur.

Quo animo credis te, Pater carissime! inter auditores me hic adspicere. Si quid facit ad hujus solemnis diei felicitatem augendam, facit hoc tua hic praesentia.

Maximas, majoresque quam possum gratias agere tibi et habere debeo pro omnibus illis beneficiis, quibus me per totam meam vitam prosecutus es et pro singulari amore paterno, cui nil umquam pro filii prosperitate et vera salute grave fuit. — Deus O. M. tibi paterni amoris praemia solvat; vivas diu adhuc venerande pater! tibique placidam et hilarem faciat senectutem filii, meritis quaerenda, prospera fortuna.

Auditores H. H! inter quos caros propinquos, fautores et amicos cerno et vos omnes amici, qui huic solemni interesse actui atque nobiscum gaudere voluistis, gratissima mihi fuit vestra honorifica praesentia, qua benevolentiae et amicitiae testimonia mihi palam dare voluistis. Vivite felices! res vestras ex voto agite, et vobis persuasum sit vestram memoriam cum hujus diei recordatione arctissime mihi fore conjunctam.

Jam redit nostra oratio ad vos Academiae cives, juvenes praestantissimi! — Quum munus mihi oblatum in hac Academia docendi susciperem, omnia perpendi officia cum tali munere conjuncta et plane intellexi meam vitam maxima parte vestrae institutioni et vestris commodis esse tribuendam.

Lubens et ardore flagrans illud officium suscipio.

Omnia illa, quae disciplinarum studio et experientia mihi vera et probata videbuntur, vestrae exercitationi adhibere religiose studebo; sedulo omnes intendam vires, ut non solum vobis doctrinam chirurgicam tradam, sed imprimis in eo operam ponam, ut vos doceam naturam in abnormali conditione vestris oculis investigare, nec minus vos exercitatos faciam in ea artis nobilissimae parte, a qua nomen accepit.

Pergite, quod facitis! omni studio et diligentia universae medicae doctrinae operam navare; ubicumque auxilium meum vobis prodesse poterit, me ad vestra commoda promovenda paratum invenietis; praeprimis me amicum habeatis, cui nil magis cordi erit, quam ut vobis utilis esse possit.

A. E. SIMON THOMAS

ORATIO

DE

RITE INSTAURANDA INSTITUTIONE DE ARTE OBSTETRICIA.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES! VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI!

QUI HIS AB-ACTIS ET SECRETIS ES, VIR CONSULTISSIME!

RECTOR MAGNIFICE!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

ARTIUM ET LINGUARUM LECTORES ERUDITISSIMI!

CIVITATIS CONSUL ET SENATORES, QUIQUE HIS AB-ACTIS ES, VIRI AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI!

QUI JURI DICUNDO PRAEESTIS, VIRI GRAVISSIMI, INTEGERRIMI!

SACRARUM LITTERARUM INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET SCIENTIARUM DOCTORES, VIRI ERUDITISSIMI!

PRAESTANTISSIMA ACADEMIAE CIVIUM CORONA, PATRIAE PARENTUMQUE SPES, COMMILITONES EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS CUJUSCUNQUE LOCI ET ORDINIS AUDITORES HUMANISSIMI!

Quando magnum numerum corporum organicorum, quae nos undique circumdant, contemplamur, fieri non potest, quin statim cogitatio animum subeat, illa brevis aetatis et ad tempus dumtaxat esse: videmus omnia serius ocius ad dissolutionem festinare; agnoscimus in modo quo existunt, causas propter quas vita exstinguetur, neque igitur mirandum, quum nobis persuasum sit, omnia quae vivunt morti deberi, animum nostrum tristitia quadam affici. Facere enim non possumus quin rogemus: num omnis haec pulchritudo et magnificentia rerum ad exstinctionem est destinata, nobisque igitur metuendum est ne omnia illa corpora viva, omnes illae plantae, illa animalia, illi homines mox vivere desinant? Num pulchra haec terra, post breve temporis spatium, res informis et inanis erit? Nolite hoc

credere A. A. H. H! Inanis iste metus! Omnia quidem quae vivere videmus ad mortem properant, omnia quidem in pulverem revertentur et quae erant esse desinent, licet materies e qua constant non deleatur; sed idcirco nobis non metuendum est, ne unum e variis plantarum aut animalium generibus, quae nunc admirantes intuemur, e natura rerum tollatur; si enim fabricam eorum diligenter investigamus, si varias partes e quibus constant perspicimus, facile intelligimus illis praeter illa organa, quibus vita sustentatur, alia esse, quibus cavetur ne species intereat. Videmus inter functiones, quas physiologus in omnibus plantis animalibusque observat, unam esse, qua curetur ut e quovis corpore organico, antequam moriatur, alia similia oriantur.

Quum autem illi functioni magnum finem tribuamus, fieri non potest quin etiam verisimile credamus in illa peragenda, phaenomena animadversione dignissima sese oblatura esse, cujus rei veritatem unusquisque facile videre poterit, cujus interest modum indagare, quo reproductio, ita enim illa functio vocatur, in variis plantis animalibusque fiat. Sed si cogimur ut phaenomena reproductionis in quovis corpore organico admiremur, quanto magis hoc fieri debebit, quum animadvertimus, quomodo a praestantioribus animalium generibus, praesertim autem ab homine peragatur. Videmus enim in illis corpus unum ad speciei propagationem non sufficere. Videmus in fere omnibus plantis, multisque animalium speciebus organa, quae reproductioni inserviunt, in uno corpore collocata esse, in illis contra animalibus quorum fabrica quamquam magis complicata, propterea non majore arte conformata vocanda est, per duo corpora divisa esse, tamquam omnipotens creator omnium, quae sensuum ope percipimus, hac re significare velit ad rem majorem absolvendam, etiam subsidiis majoribus opus esse. Hac divisione organorum generationis oriuntur diversi, qui vocantur, sexus. Physiologus igitur in homine, in quo omnis nostra oratio versabitur, duos sexus agnoscit et, si utilitatem a reproductionis studio percipere volet, jam statim conari debebit hanc quaestionem enucleare: num phaenomena quae ostenduntur in utroque sexu aeque gravis momenti sint. Et hoc si facere aggredimur, facile nobis persuadere poterimus partes valde inaequabiliter divisas esse. Quum quae viri est pars reproductionis inter breve temporis spatium peragatur, ipsique nullorum gravium symptomatum

causa sit, videmus contra feminae diuturno tempore opus esse, ut fini suo respondeat. Videmus primum illam materiem praebere, e qua novum corpus oritur, videmus hoc ab ea per plurium mensium spatium in gremio gestari et, hoc tempore elapso, quando idoneum factum erit, quod propriam agat vitam, in lucem proferri et ne tunc quidem finem maternae curae esse erga prolem. In viro videmus speciei propagationem, dummodo statu sano gaudeat, fontem esse voluptatis, in femina contra, quamvis omnia prospere cedant, doloris plenissimam esse. Quae res omnibus vel paululum animum advertentibus tam perspicua est, ut minime sit mirandum, illam inde a primis temporibus observationem hominum non effugisse. Quis enim parturienti graviter laboranti adesse potuit, nam imprimis illo tempore quo foetus a matre editur dolores oriuntur, quin adspectu ejus magna commiseratione moveretur, et consentaneum erat huic commiserationi conjunctum esse desiderium auxilium reperiundi, quo ab his doloribus liberaretur, aut, si hoc fieri non posset, illam saltem hoc tempore consolari, adjuvare et a periculo servare possemus. Inde orta est ars, quae ad maximum generis humani beneficium destinata erat, cujus finis praecipue magnus factus est simulac animadversum est partum non semper prospere cedere sed etiam non raro doloribus, qui semper inde oriuntur, pericula et matri et foetui conjuncta esse.

Haec ars, quae obstetricia vocatur, ut quaevis alia a parvis initiis profecta, paullatim in melius mutata est et quamvis experientia nimis saepe doceat multum adhuc abesse ut perfecta sit, tamen haec est seculi nostri felicitas ut vere nobis contendere posse videamur, illam talia cepisse incrementa, qualia olim vix sperare homines poterant. Quo majores autem fecit progressus, eo etiam majorem scientiam ab artis ministris postulare debemus eoque magis societatis humanae interest esse viam, qua futurus obstetricator doctrinam et artis peritiam sibi comparare possit. Quum autem mihi provincia sit demandata nobilissimam hanc artem in hac alma Musarum sede profitendi, hoc solemni die pauca dicere: *De rite instauranda institutione de arte obstetricia*, mihi proposui.

Hanc dicendi materiem quum mihi sumserim, non ab re visum est, eam in tres partes dividi. Videamus igitur: I°. A quibusnam ars obstetricia exerceri debeat. II°. Quid nostra aetate ab iis qui hanc artem exercent

jure postulari possit. III°. Quo modo institutio conformari debeat ut illis postulatis satisfacere possint.

I. Quaestioni quis artem obstetriciam debeat exercere variis temporibus varie responsum est, neque hoc fieri non potuit; responsio penderet necesse erat a modo doctrinae, quo gaudebant homines, et ex iis, quae ab obstetricatore jure postulari posse videbantur. Antiquissimis temporibus quum, genere humano adhuc in infantia versante, mores etiam simplicissimi essent, non dubium est, quin parturientes a feminis solis auxilium peterent. Insito enim verecundiae sensu, qui omni tempore mulieribus magno fuit decori, factum est, ut illo vitae tempore, quo illis officiis fungerentur, quae reproductionis functione imponuntur, a solis sororibus videri cuperent. Viri jam statim hanc ob rem a lecto parturientis arcebantur, nec mirum; quam enim utilitatem illis temporibus, omni adhuc naturae muliebris cognitione deficiente, afferre poterat eorum praesentia. Feminis enim sufficiebat ut illae adessent, quae simplicissima illa auxilia praebere possent, quibus opus esse in quovis partu intelligeretur necesse erat. Hanc consuetudinem, qua factum est ut feminae et quidem solae feminae ad parturientis lectum admitterentur, in tota antiquitate reperimus. Videmus illam jam expressam in veterum populorum mythologiis, fictionibus illis poeticis e temporibus quorum nulla certa historia ad nostram aetatem pervenit. Isis Aegyptiorum, Eileithyia, Artemis, Here Graecorum, Juno, Diana, Lucina Romanorum, quin etiam numina minora, quibus aut per graviditatis tempus, aut in ipso partu, aut per lactandi periodum vis tribuebatur, et quae precibus votisque propitia sibi reddere conabantur, omnia erant sexus sequioris, unde argumentum capere possumus homini, quamdiu fere prorsus in naturae statu vixerit, nequaquam occurrisse aliud auxilium, nisi quod a mulieribus exspectari posset, ad partum adhibere. Hanc ad rem maxime idoneas videri consentaneum erat mulieres majores natu, quibus quum ipsae partum expertae essent, major auctoritas tribuebatur. Itaque illis temporibus, quum genus humanum nondum adeo auctum esset, ut magna hominum multitudo eodem loco habitaret, quumque modus, quo homo sibi suoque pecori, quae primae ejus divitiae erant, victum quaerebat, non sineret multos homines in unum locum

congregari, verisimile est filias a matribus, minores natu sorores a majoribus, feminam primum parturientem a femina partum jam experta adjutam sublevatamque esse. Quum tamen, numero hominum sensim aucto, majores minoresve societates junctae essent, fieri non potuit quin intellectum sit inter illas, quae aliis temporibus alias adjuvissent, nonnullas fuisse, quae prae aliis ad illud auxilium ferendum idoneae essent. Fuerint nonnullae, quae ipsae arbitrarentur se hujus rei majorem nactas esse peritiam et quae propterea etiam majori fide dignae censerentur, his igitur potissimum parturientes utebantur et sic mox ordo mulierum ortus est, quibus jus tribuebatur, aut quae ipsae sibi jus arrogabant utique parturientibus auxilio suo opitulandi. Tales etiam obstetrices jam antiquissimis temporibus memorantur apud illam gentem cujus vetustissima historia nobis servata est. In sacris libris enim tempore Jacobi, quem seculo duodevigesimo ante Christum vixisse accepimus, obstetricis mentionem factam invenimus, Rachelam difficiliori partu Benjaminem edentem consolantis et adjuvantis.

Hae tamen obstetrices, quamquam auctoritas earum magnopere valebat, apud omnes gentes, ne Graecis Romanisque exceptis, laude humanitatis maxime florentibus, progrediente tempore non solae parturientium adjutrices manere poterant.

Vere existimare nobis videmur genus humanum initio paucis morbis laborasse, neque minus partus functionem in muliere primis temporibus raro morbi vel mortis causam fuisse; quum autem per luxuriam nimiamque culturam numerus morborum, quibus miserum genus humanum vexatur, augeretur, eodem tempore iisdemque causis etiam numerus casuum, quibus non sine matris periculo pueri in lucem eduntur, auctus est. Quo plures hujus generis miseri eventus observabantur, quibus pateret, auxilium, quod tunc a mulieribus proficiscebatur, non semper viam ad mortem parturientium occludere, eo magis homines sibi persuaderent necesse erat in his similibusque casibus, peritiorum auxilium optandum esse. Initio huic rei subvenire magnae erat difficultatis, sed eaedem causae, quibus malum ortum est, felici rerum conversioni, remedium attulerunt.

Homines non fugerat non semper nos secunda uti valetudine; in votis igitur erat morbos depellere mortemque instantem arcere. Non abhorret a vero observationibus fortuitis intellectum esse remedia interdum nonnihil

posse proficere, quumque hac scientia crescente, nonnulli in illud incumberent, ut illam quam maxime colligerent, orto medicorum ordine, etiam hi vocati sunt ut parturientibus opem ferrent in illis casibus ubi obstetrici fatendum esset partus impedimenta et pericula, quae matri imminerent, majora esse quam quae suo ipsius auxilio possent superari. Quando autem apud quemque populum consuetudo haec orta sit, post tot secula certo affirmare non licet. Non injuria nobis suspicari posse videmur, illam apud Graecos, florente HIPPOCRATE, quarto ante Christum seculo, jam exstitisse. (Quamvis enim fatendum est in scriptis, quae doctorum virorum testimonio constat HIPPOCRATEM auctorem habuisse, nulla argumenta firma inveniri, quibus probari possit, patrem medicinae ipsum parturientibus opem tulisse, tamen in iisdem libris, quaedam offenduntur, quibus nobis persuadere possimus, illum etiam diligenter phaenomena observasse, quae in corpore mulieris partum editurae ostenduntur.)

Aucto auxiliorum numero, quae ad morbos, quibus homo obnoxius est, profligandos adhibebantur, mox coepta sunt in duas classes dividi. Priori adnumerabantur illa, quae intrinsecus sumebantur, ad quae recte adhibenda sola scientia poscebatur, ad alteram vero illa spectabant, quae in corporis superficie applicanda praeter scientiam etiam dexteritatem postulabant. Hoc factum est ut ars in medicinam, sic dictam, internam et externam divideretur. Qui huic operam dabant *χειρουργοὶ* a Graecis vocati sunt, et quum homines imbuti essent vana opinione, viribus maternis deficientibus ad foetum e gremio propellendum, nihil aliud requiri, quam iis auxiliis mechanicis subvenire, mirandum nobis non est, chirurgos imprimis vocatos esse, qui opem ferrent si quando obstetricibus res minus prospere cederet. Artis obstetriciae historia docet hanc consuetudinem, quae jam CELSI tempore apud Romanos vigebat, per multa secula non mutatam esse, imo nostro tempore et in nostra regione, ubi sive jure sive injuria, illi, qui artem medicam exercent, adhuc in medicos et chirurgos distinguuntur, etiam hujus rei vestigia inveniri possunt.

Initio auxilium chirurgi raro modo invocabatur: primum enim obstetrices magna auctoritate gaudebant; secundo chirurgi isti metum incutiebant, quippe quorum ars omnis in eo sita erat, ut instrumentorum ope foetum ex utero materno divellerent; denique autem, quum minime doctrina

praediti essent et auxiliis imperfectissimis uterentur, eventus raro conatibus eorum favere poterat. Haec vero rerum conditio non semper immutata mansit: instauratis enim disciplinis post umbras, quae per secula medii aevi totum fere orbem terrarum excultum cooperuerant, etiam medicinae novum lumen apparuit, neque chirurgi beneficii renatarum litterarum expertes fuerunt. Quum enim, anatomia emendatiore duce, meliora didicissent, suaeque arti crudelitatis speciem ademissent, mox manifestum factum est multum interesse mulieribus, auxilium eorum saepius invocare; quo facto viri non modo scientiam suam augere, sed etiam auxilia, quibus utebantur, emendare, eaque parturientibus magis magisque utilia reddere poterant.

Chirurgi autem illi, qui praesertim id agebant ut artem suam ad usum parturientium converterent, obstetricatores vocati sunt. — Diu autem consuetudo vigebat, omnibus in partu prospere cedentibus, curam parturientium mulieribus credendi: ad partum vero difficiliorem obstetricatores illi arcescebantur. Longum est indicare quanto detrimento haec consuetudo arti nostrae fuerit. Hoc modo nobis adjicere liceat; artem tunc demum beneficium generis humani exstitisse, quum, viris etiam ad partum felicem vocatis, aditus patefactus sit, quo hanc functionem ab omni parte quam optime cognoscere possent.

Accuratior virium, quibus partus peragitur, cognitio, accuratior etiam scientia, quam. de partus difficilioris causis sibi comparare potuerunt obstetricatores, suspicionem injecit, praeter auxilia mechanici generis, in quibus fere omnis chirurgorum obstetricantium spes sita erat, alia saepe requiri, quae ad forum medicinae, sic dictae internae, pertinent; quo facto homines eo adducerentur necesse erat, ut existimarent praxin obstetriciam, ad quam rite exercendam magna scientiae et dexteritatis copia requiritur, illis modo committi licere, qui idonei viderentur ut omnibus uterentur auxiliis, quae studio medicinae, quo latissimo gaudet ambitu, percipiuntur, quique didicissent illa ad parturientium curam adhibere.

Ne tamen credatis A. A. H. H. improbandam esse consuetudinem, qua factum est, ut etiam nostro tempore artis obstetriciae pars quaedam, quae scil. versatur in curandis feminis, quum vires maternae ad partum sufficiunt, mulierum manibus mandetur. Causae, quae effecerunt ut antiquissimis temporibus, viris prorsus exclusis, ad eam rem adhiberentur, et per

omnia secula ad partum sublevandum servatae sint, nondum esse desiere neque sane unquam prorsus evanescent. Quamdiu tamen persuasum erit, viros solos idoneos esse, qui artem medicam addiscant et exerceant, nunquam timendum erit, ut homines in illum errorem incidant ut praxin obstetriciam, quo hodie gaudet ambitu, curae mulierum credant.

Et sic quaestioni propositae respondisse nobis videmur; probavimus enim experientiam docuisse, solos viros et ex his modo illos, qui ab omni parte artis medicae periti sint, idoneos esse, qui in quovis casu omnia, quibus parturientes indigeant, auxilia praestare possint. Quam rem veram esse magis etiam perspicuum erit si secundo indagare conabimur, quae nostra aetate ab obstetricatore postulari possint et debeant.

II. Jam statim occurrit ad nostram artem exercendam, ut in quavis alia, et doctrinae copiam et illas dotes requiri, quibus cum utilitatis fructu eam adhibere possimus. Videamus primum, quibusnam in rebus haec doctrina versetur. Ad scientiam, qua obstetricator instructus sit necesse est, vix ullum est dubium, quin illa pertineant, quae cognosci possunt de ea corporis muliebris functione, quam partum dicimus. Hoc tamen non omnis reproductionis functio continetur, et quum partem nunquam rite cognoscere possumus, si totius, quo illae partes continentur, naturam ignoramus, omnia phaenomena, quae reproductio nobis praebet, ad obstetricatoris studium revocanda sunt. Neque haec ullo pacto intelligi poterunt, feminae, in qua ostenduntur, non perspecta natura. Et quomodo ad hunc finem perveniemus nobisque accurate dijudicare licebit, quibusnam rebus a viro destinguatur femina, studio generis humani omisso? Ab hominis igitur cognitione incipiat obstetricator; studium impendat organis, quibus corpus nostrum constat, neque solum formae sed etiam proprietatibus et functionibus, quibus destinata sunt. Discat Anatomiam et Physiologiam, nobilissimas illas disciplinas, quarum usum nostro demum tempori intelligere contigit, quippe quibus omnis vera medicinae scientia nitatur necesse est, quarumque nostra praecipue aetate intimum nexum perspeximus, quum persuasum sit, vim sine materia ne cogitari quidam posse, nec phaenomena explicari, nisi rite intellecta fabrica organorum in quibus ostenduntur. Quapropter obstetricator has disciplinas minime negligat,

discatque usum omnium illorum auxiliorum, quibus ad illarum studium opus est; operae enim impensae in praxi exercenda minime illum poenitebit. Si vero illi contigerit hac ratione corpus humanum, quantum fieri potest, indagare, his studiis adjungat animi investigationem. Quis enim profiteri audeat se hominis naturam cognoscere prorsus, illam partem ignorans, quam ne mors quidem delere potest.

Anthropologia rite imbutus cum fructu illud agere poterit, ut illam sibi comparet doctrinam, qua gynaecologum instructum esse oportet, ad quod studium eadem via ingrediendum est, quae ad hominis cognitionem ducit.

Ordiendum ab investigatione eorum, quibus corpus muliebre a virili distinguitur.

Primo obtuitu modo differre videntur illis partibus, quibus cavetur ne species intereat; si vero rem accuratius perpendimus, mox intelligemus hanc opinionem longe a vero abesse. Neque profiteri dubitamus, scientiis magis magisque excultis, tempus esse futurum, quo intelligatur in toto corpore muliebri nullam esse partem, nullum os, nullum vas sanguiferum, nullum nervum, quin propriam suam a virili diversam habeat formam. Jam nunc in multis partibus, de quibus hoc antea anatomi ne suspicati quidem sunt, differentia quod ad sexum observata est, nec ullum est dubium, quin multum industriae posterorum relictum sit.

Non vero minus animi dotibus femina a viro differt nec quidnam intersit obstetricator negligere debet; auxiliis enim quibus in parturientium cura subinde uti oportet adnumerandum est mentis regimen, quod non minus obstetricatoris quam medici est.

Ex organis corporis muliebris ea, quae reproductioni inserviunt, praesertim gynaecologi animum ad se convertunt. Non est quod ea nunc describamus, hoc solum dicere nobis liceat, alia inveniri, quae materiem praebent e qua novum corpus oritur, alia quibus per evolutionis spatium custoditur, alia quibus et per quae foetus maturus expellitur, alia quae neonato per satis longum tempus idoneum praebent alimentum. Accurata omnium horum organorum cognitio ab obstetricatore requiritur, nec sufficit eorum fabricam tenere nisi modo, quo funguntur, intellecto. Noscat igitur phaenomena, quae in gravida, parturiente et puerpera observari possunt, nam quamquam imprimis ejus interest ea, quae in partu observanda

sunt, percepta habere, hic tamen vinculo adeo arcto cum graviditate, cui finem imponit, nec non cum puerperio, cujus est initium, conjunctus est, ut sine horum studio illum cognitum habere non possit.

Neque tamen scientia his finibus circumscribi potest. Reproductionis finis est ortus novi corporis, cujus naturam ignorare obstetricatori non licet. Operam igitur navare debet embryologiae, qua omnia ea continentur, quae de ovi evolutione scire nobis contigit, quaeque docet, quid in foetu maturo observandum sit nec non in partibus, quibus proxime circumdatur.

Videtis igitur A. A. H. H. non parvam doctrinae copiam ab eo, qui reproductionis functionem rite cognoscere velit, requiri. Non tamen haec obstetricatori sufficiunt. Quando enim omnibus his scientiis rite instructus est, illa modo animo tenet, quibus opus est ad reproductionem intelligendam si a statu normali non deflectunt phaenomena. Non autem semper ita felicibus esse mulieribus contingit. Morbis obnoxiae sunt bene multis, qui vel graviditatem impediunt, vel praesentem turbant, quique rursus in gravidis exacerbantur, vel partus tempore matres infelices vitam cum morte commutare cogunt. Organorum, quae reproductionis functioni inserviunt, fabrica vel forma non raro a conditione physiologica aberrat, unde vel matri, vel foetui varia oriuntur pericula ne arte quidem summa nonnumquam debellanda: ubicunque talia observantur obstetricatoris est auxilium afferre, noscat igitur earum causas, symptomata et eventum, neque remedia ignoret, quorum usum experientia docuit, nec non illis dotibus praeditus sit, quibus illa opportune adhibere possit. Quod ut fiat imprimis illi necessarium est, cujuscunque casus accuratam, quam dicimus, diagnosin instituere. Si vero quis quaerat quibusnam subsidiis hoc perficere possit, inveniet eadem esse, quibus in aliis medicinae partibus utendum est. Interrogatur femina, interrogantur praesentes de iis phaenomenis, quae quum aut antea obtigerint, aut quum sub sensus nostros non cadant ipsi observare nequimus: caveat tamen obstetricator, non minus quam medicus, ne illis plus aequo credat, incerta enim et vana saepe inveniet, quae femina ipsa vel alii se observasse ferunt. Ipse observare debet, nam in observatione sola tota ars diagnostica sita est. Hujus loci non est investigare quomodo obstetricatori observandum sit; haec vero sufficiant. Omnia fere quae in diagnosi instituenda ab obstetricatore indagari debent non nisi tactus

vel auditus ope cognosci posse. Tactu igitur explorare et auscultare posse utilissimum ei erit, idque eo magis quum accurata cujuscunque casus cognitio, quae horum sensuum beneficio acquiritur, artificem in eligendis auxiliis, quibus subinde mater vel foetus indiget, dirigere debet.

Sunt autem haec auxilia varii generis. Plura eorum ad, quae dicuntur, remedia diaetetica vel pharmaceutica pertinent, quorum alia contractiones uteri nimis debiles augent, alia dolores vehementiores mitigant, alia spasticos sedant, alia haemorrhagias sistunt. Haec ut rite adhibeantur eorum naturam et vim, quam in corpus muliebre habent, cognoscere oportet, quod sine Pathologiae, Therapeutices et Pharmacologiae studio fieri non potest. Ab his disciplinis obstetricator, aeque ac medicus, in praescribendis remediis internis auxilium petat, illae enim indicationem et dosin et formam cujuscunque remedii docent. At quid remedium juvabit foetu in utero materno ita sito, ut partus prorsus impediatur, aut quando pelvis arctior est quam ut viribus maternis foetus in lucem edatur? Si talia eveniunt ad illa confugiendum erit auxilia, quae operationes obstetriciae dicuntur, et inter has nulla est quin praeter scientiam magnam postulet dexteritatem. Jam membranarum ovi perforatio, simplicissima illa operatio, non rite peragi potest nisi ab eo cui manus officium suum non negat. Quid autem dicemus de versione peragenda, de extrahendo foetu, de applicanda forcipe, de partu praematuro excitando, de capite foetus mortui perforando, in quibus perficiendis magna dexteritate opus esse nemo negabit, quum praesertim in his instrumenta admovenda sint, quae ab artifice imperitiore adhibita, cum matris vitae periculo conjuncta sunt.

Haec autem sufficiunt quibus ea indicentur, quae ab obstetricatore postulari debeant, videamus nunc, quae institutio eum ad hanc, quam laudavimus, scientiam peritiamque aditum patefacere possit.

III. Quum de doctrinae copia, qua obstetricator gaudere debet, locuti sumus, plures enumeravimus scientias, quae tamen dici non possunt, omni quo gaudent ambitu, ad artem nostram pertinere: earum igitur doctrina ad hujus artis institutionem referri non potest. Non tamen ab iis, qui his modo scientiis operam dant, exspectare possumus ut in earum studio praecipue ad illa animum advertant, quae non nisi ab eo, qui artem

obstetriciam exercet, cognosci possunt et debent. Sic e. g. ab anatomico exspectare non possumus ut in pelvis descriptione imprimis ad ea attendat, quorum scientia modo requiritur ab eo, cujus interest modum observare, quo in partu foetus per ejus cavitatem transeat. Physiologi non est doctrinam de graviditate ejusque signis ita interpretari, ut inde obstetricator omnia ea haurire possit, quibus ei opus est ut in omni casu de graviditate praesente, vel absente, de periodo ad quam pervenerit, deque vita vel morte foetus possit judicare. Quae hujus sunt generis ei, qui artem obstetriciam profitetur, mandanda sunt; ejus est e variis scientiis ea illustrare suaeque arti accommodare, quae obstetricatorem scire oportet. Hoc si facit etiam transitus ab iis, quae jam pro parte cognita sunt, ad ea, quae prorsus sunt incognita, facilior erit.

Non minus in nostra arte, quam in quavis alia docenda, postulatur ut singula, quae ad eam pertinent, bono ordine proponantur. Fuit tempus quo credebatur officium obstetricatoris unice in auxilio mechanico parturientibus ferendo situm esse; hoc tempore ea, quae de partu difficili cognita erant, prae aliis illustrare conabantur doctores; quum vero nunc intellectum sit partus phaenomena cognosci non posse, nisi ab eo, qui omnia, quae in gravida observanda sint, intelligat, una omnium consentiens vox est, ante omnia doctrinam de graviditate explicandam esse: hac enim nitantur necesse est ea, quae de partu dicenda sunt, et haec iterum sequi debet doctrina de puerperio. In his autem singulis exponendis, nemo est qui neget, incipiendum esse a descriptione eorum phaenomenorum, quae, omnibus prospere cedentibus, observantur. Sicut curvi norma rectum ita morbi sanitas est, uti dixere pathologi: nec minore jure obstetricator dicere potest sibi necesse esse ut in graviditate, partu et puerperio cognoscendis, conditione physiologica rite perspecta, demum ad pathologicae studium transeat. Si hoc facit etiam luce clarius patebit partus functionem, etsi numquam sine dolore a muliere peragitur, tamen nullo modo morbum esse habendum et boni igitur obstetricatoris esse, quam parcissime in praxi exercenda iis uti auxiliis, quae, quamquam non raro in partu difficili utilissima sunt, tamen si praeter necessitatem adhibentur non nisi nocere possunt. Hac autem in re inprimis artis obstetriciae hodiernorum prae veterum praestantia sita est. Quo magis enim rem ita sese habere artis opifices intellexerunt,

eo magis artem nostram emendare et generi humano utilem reddere iis licuit et quum antea obstetricator mortiferis instrumentis armatus non nisi metum incutere potuerit, haec est nostrae aetatis felicitas ut didicerimus maxima parvis moliri, ita ut mulieribus non amplius metuendum sit, ne in partu auxilia adhibeantur vitae suae saepe magis etiam inimica quam pericula, quorum causa adhibebantur. Auxilia, quibus natura in partu dirigendo utitur, melius cognoscere iisque majorem fidem habere didicimus, quo facto, non modo instrumenta, quibus utimur, multum emendare ac simpliciora reddere, sed etiam numerum casuum, in quibus ad ea confugiendum est, imminuere nobis licuit.

Sed redeamus ad artis institutionem. Vel in theoria docenda praesertim id agendum est ut disciputi ipsi omnia, quantum fieri potest, observent. Neque enim hoc minus de nostra arte quam de universa arte medica discenda valet. Subsidia, quibus hac in re utimur, magis magisque emendata sunt nec iis carere possumus. Sic v. g. quae de pelvis normalis et vitiatae forma cognoscenda sunt, quae de ovi et foetus evolutione innotuere, nec non de genitalium et imprimis uteri structura et metamorphosibus, quas graviditatis tempore subeunt, quantum fieri potest praeparatis anatomicis illustranda sunt; nihil enim melius memoria tenetur, quam quae ipsi vidimus et sensimus.

Quo melius in institutione artis theoretica discipuli observare didicerunt, eo utilior institutio practica, de qua pauca nobis adhuc monenda sunt, iis esse poterit.

Inter ea, quae ad hanc institutionem spectant, primum locum obtinet doctrina de arte explorandi. Verbo jam indicavimus ab obstetricatore requiri ut omnia ea possit indagare, quae ad accuratam cujuscunque casus diagnosin instituendam, scire oportet. Praesidia, quibus ei utendum est ut hanc sibi comparet scientiam, sunt sensuum organa. Inter sensus vero tactus et auditus prae aliis digni sunt, quibus fidem habeat obstetricator. Dubitare non possumus quin antiquissimis temporibus visu in dignoscenda graviditate usi sint homines. Experientia tamen sat cito docere debuit incertum esse illud signum, quod e tumore abdominis petebatur, nec obstetricibus latere potuit multa a se indaganda esse, quae videri non poterant: ad tactum igitur confugiendum erat et quamquam negare non

possumus temporibus a nostro non ita longe remotis relictum fuisse, ut innotesceret, quid hoc subsidium in arte factitanda valeret, jam Hippocratis tempore gravidas et parturientes tactu exploratas esse verisimile est.

Tactus sensus praecipue exercendus est, nemo enim idoneus haberi potest, qui obstetricatoris officio fungatur, nisi artis per tactum explorandi peritissimus sit. Hujus enim artis ope de graviditate praesente vel absente saepissime judicium ferre possumus, nec non de periodo, ad quam graviditas pervenerit; per tactum indagare nobis licet num pelvis hanc habeat formam et amplitudinem, quibus opus est ut partus viribus maternis absolvatur, nec non per tactum de situ foetus in utero judicandum nobis est. Haec ars in prognosi instituenda, in eligendis auxiliis, quibus in partu irregulari utendum est, sive diaetetici, sive pharmaceutici, sive mechanici generis sunt, obstetricatorem dirigere debet, nec minus utilis ei erit in peragenda operatione si qua requiritur.

Praeter phaenomena, quae tactus ope indaganda sunt, alia dantur quae non nisi per auditum detegi possunt. Stethoscopium, illud nostri seculi inventum, obstetricatoribus saepe utilissimum esse instrumentum non est qui neget. Hujus ope novum graviditatis signum diagnosticum, quo certius nullum datur, nacti sumus; hujus ope de vita vel morte foetus durante partu nec non de virium ejus ratione certum ferre judicium nobis licet. Neque hoc parvi momenti habendum est; nam quamquam experientia docuerit veteres errasse quum foetus mortem inter partus impedimenta graviora retulerint, subinde tamen obstetricatoris in eligenda operatione multum interest, foetus utrum vivat an mortuus sit certo certius scire. Sunt enim casus in quibus inter sectionem caesaream matri fere semper lethalem et embryotomiam instituendam dubitandum esset, nisi auxilio gaudere nobis contigerit, quo adhibito certam vitae foetus diagnosin instituere possumus. Nec raro alii observantur in quibus stethoscopii ope rythmum cordis foetalis indagantes de forcipe applicanda et extractione peragenda, vel de hujus generis operatione omittenda judicandum nobis est. Plura hujus generis enumerare possumus: dicta vero sufficiant, quibus magnus auscultationis usus in praxi obstetricia exercenda indicetur.

At institutionis practicae utilitas non modo hac in re sita est ut futurus obstetricator accuratam instituere diagnosin discat, discere etiam debet,

quaenam sint auxilia, quibus in praxi exercenda utendum sibi sit. Jam in partu felicissimo regundo praesidia fere semper quaedam requiruntur, ne functionis decursus turbetur, consiliis saepe mulieri opus est ut omnia ea arceantur, quae ei vel foetui nocere possint, nec raro auxilia varii generis adhibenda sunt ubi a statu normali ita deflectunt phaenomena ut nullum sit dubium quin parturienti sibi relictae partus morbi vel mortis causa fiat.

Quae hujus sunt generis officia praestare nemo potest, nisi qui usu et experientia illud didicerit. Jam in adhibendis praesidiis diaetetici et pharmaceutici generis experientia opus esse nemo infitias ibit. Quis enim magnam utilitatem, quam situs parturientis idoneus habet, rite cognoscere poterit, nisi qui saepe partus decursum observaverit? Quis opium vel secale cornutum, aliudve remedium rite praescribere poterit, nisi horum efficacitatem usu edoctus? Sed si hoc jam verum est, quanto magis experientia opus est illi, cujus erit operationes obstetricias, quae dicuntur, instituere. Jam vidimus nullam esse earum, quin magna opus sit dexteritate ut eam rite absolvamus; hanc vero consequi nemo potest nisi repetita exercitatione.

Inde patet in instauranda institutione de arte obstetricia subsidia requiri, quae ad praxin discendam facere possunt.

His adnumeranda sunt pelvis factitia et mulierum cadavera, in quibus tirones operationes difficiliores, easque, quae si ab homine prorsus inexercitato perficiuntur matribus periculi plenissima sunt, instituere discant. Imprimis vero in arte discenda utilissima sunt instituta clinica, de quibus verbo adhuc nobis dicendum est. Jam olim plurimis in urbibus tocodochia condita sunt, in quibus illae mulieres recipiuntur, quae propter rei familiaris angustias, sibi ea comparare non possunt, quibus partus tempore indigent. Initium horum tocodochiorum ab humanitatis officio repetendum est, deinde vero visum est eos, qui artem obstetriciam discere cuperent, in illa admittendos esse. Hinc instituta clinica orta sunt, quorum utilitas in dies magis apparuit. Hic enim futuris obstetricatoribus gravidas, parturientes et puerperas observare nec non curam earum discere licet. Hic viae admiratione dignissimae, quas in partus negotio peragendo ingreditur natura, tironibus demonstrari possunt. Hic etiam iis licet auxiliorum diaeteticorum et pharmaceuticorum, quae in partu irregulari indicantur, usum discere.

Nec minus hic eam sibi jam quodammodo comparare poterunt dexteritatem, qua iis in praxi exercenda operationibusque instituendis opus erit.

At quid multis verbis utar ut hujus generis instituti clinici utilitatem demonstrem? Nemo sane vestrum est A. A. H. H. qui hac de re dubitet. Quo major autem numerus mulierum, quae in tocodochium recipiuntur, eo magis idoneum erit, quod discipuli ad artem discendam adeant. Quum vero paucissimis modo in urbibus tocodochia exstruere liceat, quae ab omni parte proposito satisfacere possint, utilissimum erit praeter instituta clinica alia esse subsidia, quibus futuri obstetricatores exercitii causa utantur. Sunt autem in quavis urbe plurimae mulieres, quae non ita inopes sunt ut omnia iis deficiant, quibus partus tempore opus est, quaeque hanc ob rem in tocodochia admitti non possunt, vel ad ea se conferre nolunt, quibus tamen magno est beneficio, nullis sumtibus impensis, auxiliis praesertim iis frui posse, quae in partu irregulari requiruntur quaeque non nisi a viris adhiberi debent. His succurrere humanitatis est. His succurrere licet instaurato clinico ambulatorio sive policlinico obstetricio, quo discipulis docentis sub auspiciis artis factitandae optima praebetur occasio.

Hoc igitur nusquam ubi institutio de arte obstetricia instauratur deficere licet. Nec minus hoc tironibus, quantum fieri potest, utendum est: non enim iis sufficit unam vel alteram parturientem, de tempore in tempus observare, scientiae enim limites late patent et ars nostra multis premitur difficultatibus.

Et sic praecipua saltem, quae in instauranda institutione de arte obstetricia requiruntur verbo indicavimus finemque huic orationi imponere liceret nisi gratum mihi restaret officium nec ab hujus diei solemnitate alienum.

Ad vos igitur Viri perillustres! hujus Academiae Curatores amplissimi! primum se convertit oratio mea. Vestra suffragatione quum factum sit ut Rex Augustissimus ad hanc honoris sedem me evexerit, id secuti estis ut quae docendi provincia antea uni fuerit tradita nunc inter duos partiatur. Hoc vero faciendo ostendistis Vos Artis obstetriciae, quo hodie gaudet, ambitum optime perspicere, neque ignorare quanti intersit ut in hac inclyta Academia utilissima haec ars ab eo doceatur, qui omnibus aliis muneribus vacuus, omni virium contentione in ejus studium incumbere possit.

Quando vero cogitatio animum subit munus tam utile, tam grave, tam honorificum mihi esse delatum meque successurum esse viro optime de hac arte merito, cujus in laudum societatem utinam venire possem, hujus diei laetitiae anxiam curam admixtam esse, quis est qui dubitet? Probe enim tenuitatis meae conscius, justo angor metu ne humeri huic oneri ferendo impares sint. Quodsi tamen studii assiduitas, scientiae amor artisque meae diligens investigatio efficere poterunt ut vestra commendatione ne indignus evadam, haec mihi non defutura ex intimo corde spondeo. Faxit interea D. O. M. ut vestris sub auspiciis nostra Academia magis magisque floreat, utque Vobis salvis, deque salva Academia et Patria bene merentibus vestri dies in seram usque senectutem protrahantur.

Quando vero vos intueor Professores quarumvis disciplinarum! Viri clarissimi! vehementer me movet vestra praesentia. Receptum me video in ordinem virorum summa eruditionis doctrinaeque laude florentium: eandem quam vos ad magnum scientiarum beneficium obtinetis provinciam mihi delatam sentio; qui vestrae finis est vitae, meae quoque esse debere intelligo. Nolite tamen arbitrari me hanc ob rem unquam obliturum esse quanto vobis omni ratione sim inferior. Vetat hoc aetas mea juvenilis vetat et tenuitatis meae conscientia. Benigno tamen animo me recipiatis precor, vestra doctrina vestraque experientia subveniatis mihi, vestra quoque amicitia ne desit mihi etiam atque etiam rogo.

Quod quidem inprimis a vobis peto Clarissimi DE VRIESE et SURINGAR, quibus paucis ante annis praeceptoribus uti felicissimo casu mihi contigit. Multa jam beneficia in me contulistis; vestra doctrina vacillantes juvenis gressus direxit: vestra amicitia vestrumque auxilium numquam mihi defuere. Quum vero discipulum vestrum tot tantisque beneficiis ornaveritis magna me tenet spes, collegae quoque ea non defutura esse. Eadem qua antea benevolentia me prosequamini vobisque sit persuasum me semper grato animo recordaturum esse, quae vobis optimis carissimisque praeceptoribus, collegis nunc aestumatissimis, debeam.

Tu etiam mihi compellandus est Clarissime KRIEGER! eodem quo ego tempore quum successurus sis viro, quem fato ereptum etiam nunc et scientiae et haec Academia et patria dolent. Jure quodam a nobis exspectari posse videtur fore ut nostris conatibus damnum ex ejus morte

acceptum resarciatur. Quamquam vero te modestia, me autem mediocritatis sensus adsecuturos id nos polliceri non sinit, ne tamen impediat quo minus ejus exemplum nobis proponamus. Scientiae amore, praestantissima diligentissimaque ejus futurorum Chirurgorum et Obstetricatorum institutione eum imitari conemur. Vivamus concordes, mihique liceat diu tua amicitia frui, quam mihi fructuosissimam fore lubens agnosco.

Summa hujus diei laetitia minus perfecta esset nisi te Cl. Tilane hoc loco mihi intueri liceret, mihique occasionem datam viderem grati animi sensum erga te publice significandi.

Quando tempus, quo primum medicinae studio operam navabam, in memoriam revoco, non possum quin confitear me per satis longum temporis spatium incertum fuisse cuinam imprimis medicinae practicae parti me dicarem. Ab una parte, duce Clar. Suringario praxis medicinae sic dictae internae admodum mihi arridebat: ab altera vero eximio tuo exemplo quotidie videbam nullam fere artem misero generi humano utiliorem habendam esse, quam eam quae manu curat. Quum autem V. Cl. Suringarium huc vocatum non amplius audirem facere non potui, quin toto pectore, doctrinis, quarum institutio a te in Schola Clinica Amstelaedamensi instauratur, incumberem. Artis obstetriciae studium imprimis gratum acceptumque mihi videbatur, neque hoc te, discipulorum commodis quantum fieri potest semper prospicientem, latere poterat; mihique potestatem fecisti curam parturientium et puerperarum, quae in Tocodochio Amstelaedamensi perfugium quaerunt, tecum per aliquot menses partiendi. Quum autem hoc tuo beneficio praesertim factum sit, ut hodie munus honorificentissimum suscipiens viribus meis non prorsus diffidam, numquam quae tibi debeam me obliturum esse spondere non dubito; eoque minus quum non modo egregium praeceptorem sed et amicum certum mihi te praestare non dedignatus sis. Eadem, qua coepisti, me amicitia complecti pergas, tibique sit persuasum imprimis me id acturum esse ut cura, institutione, amicitia tua non prorsus indignus evadam, enixe rogo.

Tandem ad vos me converto, juvenes praestantissimi, almae hujus Academiae alumni, ad vos imprimis quos discipulos meos vocare mihi licebit. Quantus nostrae artis sit ambitus audivistis, quaeque ab obstetricatore postulari possunt demonstrare conatus sum. Aspera sane est via

quam ingressi estis, multisque impedimentis obsessa. Ne tamen deterreamini, gnaviter manum operi admoveatis, totas juventutis vires, arti tam utili, tam beneficae, tam nobili consecretis. Quamquam quid vos ad studia incitem, tamquam stimulo indigeatis. Jam notus mihi est vester scientiae amor, nota summa exercitationis assiduitas. Quae quum ita sint duce tantum, non vero coactore vobis opus esse probe scio. Hunc me vobis polliceor: meum erit id agere ne industriae vestrae deesse videar: quidquid in me est ingenii, virium, experientiae id omne vestrum erit. Multa summo jure a me exspectatis, artis utilissimae institutionem a me postulatis. Spem autem vestram non fallere conabor. Quo tamen hunc finem felicius attingamus, vos fidem mihi habeatis necesse est. Neque vero hoc ita dictum existimari velim quasi a vobis postulem ut in verba magistri juretis: Procul sit istud *αὔτος ἔφα*, rerum testimoniis modo credatis. Si qua vobis minus verisimilia, certaque videbuntur libere mecum vestras dubitationes communicetis, diligenter naturam indagetis, propriisque observationibus doctrinae copiam augeatis. Ad fidem vero accedat amicitia, cujus cum in omni vitae statu tum in disciplinis litterisque fructus sunt uberrimi. Studia nos jungunt, mutua amicitia arctiore etiam vinculo nos obstringat: meam vobis offero, vestra ne mihi desit rogo. Sic unitis viribus in studia incumbentes fines nostrae artis prolatare nobis contingat, exque hac alma Musarum sede germani prodeant obstetricatores faxit D. O. M.

DIXI.

H. HALBERTSMA, Iust. Fil.,

ORATIO

DE

ALBINI ANATOMIAE TRACTANDAE METHODO, COMPARATA CUM EA, QUAM NOSTRA TEMPORA SIBI DEPOSCUNT.

PERILLUSTRES ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES! VIRI SPECTATISSIMI!

QUI CURATORUM COLLEGIO AB ACTIS ES, VIR NOBILISSIME!

MAGNIFICE RECTOR, CLARISSIMI DOCTRINARUM PROFESSORES, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

HUIUS CIVITATIS MAGISTRATUS, VIRI AMPLISSIMI! IUDICES INTEGERRIMI! QUIQUE UTRORUMQUE ACTA CURATIS, VIRI GRAVISSIMI!

ORACULORUM SACRORUM INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

LECTISSIMA CIVIUM ACADEMICORUM CORONA, COMMILITONES AMICISSIMI!

CUIUSCUNQUE LOCI ET ORDINIS AUDITORES HUMANISSIMI!

Nemini vestrum mirum videbitur, quod animo perturbatum me sentio gravissimi muneris mihi delati cogitatione. Quicunque enim reputaverit disciplinarum a me docendarum amplitudinem, Virorum Clarissimorum, qui ante me floruerunt, merita, iuvenili huic aetati haud leve incumbere officium fatebitur.

Quae officii obeundi consideratio ingravescit etiam, quum cogitamus, disciplinas, quae mihi mandatae sunt, Anatomiam et Physiologiam, fundamentum esse, quo tota Medicinae disciplina nitatur. De quarum utilitate, imo necessitate ita inter omnes, quidquid ceterum sentiant, eruditos constat, ut, nisi illis bene perceptis, Medicinae, Chirurgiae et Obstetriciae artis doctrina accuratior exsistere nequeat. Anatomiae et Physiologiae studium medicum non ornat, sed facit.

Scholam anatomicam, quae ab Albino [1]), nostratium anatomorum maximo, condita fuit, non solum sui temporis postulatis satisfecisse, sed etiam toti Europae facem praetulisse, nemo in dubium vocabit. Documento est ingens peregrinantium numerus, qui in hanc inclytam Academiam undique confluebant, ut ea suis ipsorum oculis emirarentur, quae nusquam alibi videre possent. Sed quantumvis magna huius scholae fuerint merita, flumini temporum perenni haud magis quam aliae par esse poterat. Quod non ita intelligi velim, ac si multa, quae methodus Albiniana invenit, non etiam nunc magni pretii habenda sint; quippe nova, quibus Albinus artem auxit, inventa tanti sunt, ut quisque a partium studio alienus in Leidam nostram, tamquam in Anatomiae et Physiologiae sacrarium etiam nunc intuiturus sit. Quod quo magis vobis persuasum habeatis, in memoriam vestram revoco Albini de musculis et ossibus dissertationem, quae utrum magis sit admiranda inventorum novitate, an tersa elegantique descriptione, haud facile quis dicat. Quocirca non sine caussa Albini opus vel nunc, saeculo lapso, antiquo suo honore viget et aeterno iuventutis flore gaudere videtur. Etiam hoc tempore opera descriptiva in lucem prodeunt, in quibus Albini tabulae ad maiorem minoremve modulum delineatae reperiuntur. Quin imo Albini nostri honos tantus est, ut Müllerus, ingens Anatomiae decus, alicubi hoc de summo viro testetur: „Si in musculorum Anatomia novi quid nobis in-„venisse videmur, relegamus modo ad Albinum, nec dubium est quin „iam ille invenerit."

Operae pretium mihi visum est, rationem, qua Albinus organismi humani arcana indagavit, accuratius vobiscum perpendere et methodum, qua vir egregius usus est, cum recentiori horum temporum methodo comparare. Dicam igitur *de Albini Anatomiae tractandae methodo, comparata cum ea quam nostra tempora sibi deposcumt*, eo imprimis consilio ut non in laude Albini acquiescamus, sed significemus, quomodo vitia inveterata emendari, supervacanea amoveri, et ea, quae desint, suppleri possint.

---

[1]) Bernardus Siegfried Albinus, Francofurti ad Viadrum die 24 Febr. 1697 natus est, professor Leidensis creatus 1721, mortuus 9 Sept. 1770. — Cf. E. Sandifort, Mus. Anat. p. xxii sqq.

Antequam vero ad hoc argumentum tractandum transeo, enixe vos rogo, ne arbitremini me opinionum antiquarum fautores exagitare in animum induxisse. Non homines, sed res peto. Nil ultra volo, quam antiquioris scholae methodum ex hodiernae Medicinae postulatis ponderari; sin patet eam huic quod vivimus saeculo non satisfacere, quid prohibet, quominus, antiqua ratione relicta, in novam ingrediamur viam, qua melius ad finem propositum perveniamus? Quin imo patria, quae almae huius Academiae honorem fovet et amplectitur, a nobis flagitat, ut, opinionibus praeiudicatis omissis, id dicamus, quod verum est. Nam ita demum fieri poterit, ut institutio nostra academica huius aetatis eruditioni multifariae respondeat.

Cuiusvis doctrinae finis accurate definiendus est, ut fructuum ubertate se commendet. Nisi hoc fit, tanquam nebulis involuti oberrabimus; totius summae oritur notio imperfecta, et, quod maxime dolendum, scientia ad vitae usum inepta evadit. Quod universe verum, id specialiter in Anatomia tenendum est. Ad triplicem enim usum haec disciplina accommodari potest, prout aut chirurgo aut medico aut philosopho utilitatem suam praestare debebit. Chirurgo imprimis curae erunt eae partes corporis humani, quae maxime vim externam patiuntur: deinde illae regiones, ubi reperiuntur magna sanguinis vasa et nervorum stirpes. Ea imprimis corporis loca rite ei cognoscenda erunt, ex quibus in conditionibus morbosis intestinum extrorsum elabi poterit. Locorum geographia probe perspecta, chirurgus non dubius haerebit, quo loco in herniis incarceratis culter sit immittendus. Partium quoque inter se invicem nexum assidue animo contemplabitur; quodsi enim periculosa et subito exorta sanguinis effusio locum habet, vita hominis pendebit a dexteritate, qua chirurgus *situm* vasis sanguinis respectu ceterorum organorum discernat. Anatomia, quae hoc docet, dicitur topographica vel etiam chirurgica. Haec corpus humanum in regiones dividit, spatium examinat organorum, quae in hac illave regione reperiuntur, eorumque inter se invicem situm observat. Quae omnia chirurgus cum memoriae mandaverit, cultro in humani corporis partem immisso, respondere poterit quaerenti, quid perforaverit.

Medicus, proprie ita dictus, qui praxi internae operam dat, Anatomiam potius ab alia parte intuebitur. Illi enim imprimis curae erunt cerebri structura, cor, pulmones, organa in abdomine sita; quae corporis partes

morborum *medico* explorandorum plerumque sedes sunt. Neque tamen hoc suffecerit, nisi et ille diligenter teneat, quomodo organa iuxta se invicem sita sint; quo neglecto, accurata inquisitio nulla institui potest. Haec demum Anatomiae addiscendae methodus nos docebit uti instrumentis, quorum utilitatem, imo necessitatem schola Vienno-Pragensis luculenter probavit. Intelligitis, me stethoscopium et plessimetrum significare, de quorum adminiculorum magnis commodis ita maxime constabit, si experientia docuerit, sine eorum auxilio neque pleuritidem a pneumonia, neque cordis vitia a vitiis pericardii distingui posse.

Quomodo tandem philosophus Anatomiam sibi cogitat? Cum eius non referat, quomodo organa, inter se comparata, sita sint, inquirit potius in partium originem ac notionem et indagat leges, quibus organi structura innixa est. Methodum recte syntheticam dixeris. Quae contemplandi ratio, cum rerum caussas explorando ingenii vires exerceat, sine dubio et praeceptori et discipulo erit iucundissima; eoque magis, quod philosopha observandi ratio memoriae, cuius magnus in Anatomia usus, succurrit.

Sed sive chirurgus sive medicus sive philosophus Anatomiae operam det, ea quae dicitur descriptiva semper praemittenda erit. Etenim antequam chirurgus addiscere poterit, quo situ inter se invicem organa posita sint, pro comperto habere debet, ea exsistere, quaqne sint forma et structura; tum, quod ad vasa et nervos attinet, ubi oriantur et quo tendant. Haec omnia Anatomia descriptiva docet. Medico quoque et philosopho hanc disciplinam fundamenti loco esse, non est quod vobis pluribus demonstrem.

Iam si quaerimus, fuerintne Anatomiae initia antea sic tradita, ut Anatomia descriptiva fundamenti instar stabilis praemitteretur, nonnihil dubitandum videtur. Sola Osteologia eo, quem volumus, modo tractabatur. Reliqua partim descriptive, partim topographice, partim pathologice docebantur. Ita e. g. in musculis exponendis statim addebatur descriptio vasorum nervorumque, hos musculos contingentium. Quod idcirco mirum videri debet, quoniam discipulus harum rerum notione nondum imbutus erat.

Facile mihi assentiemini, A. H., contendenti, ex methodo ista oriri debuisse notiones imperfectas et mancas, quoniam nulla altior doctrina acquiri potest, nisi elementis in succum et sanguinem versis. Ea quae fundamentis male iactis superstruuntur, caduca et fragilia sunt.

At antiqua docendi ratio una excusatione utitur eaque gravissima. Nempe cum antea fere nulla nisi maleficorum supplicio affectorum corpora anatomis praesto essent, eorum penuria tanta erat, ut Albinus per totum cursum Academicum nonnisi uno corpore adulti et uno infantis uti soleret. Quodsi hunc obiectorum maxime necessariorum defectum consideramus, maiore etiam Albini admiratione corripimur, quia vir summus vel sic Anatomiam locupletavit inventis, quae doctrinae copiam et accuratam investigandi sollertiam produnt.

Alterum, quod in antiquiore docendi methodo observandum videtur, hoc est, Anatomiam non traditam fuisse pro disciplinae ambitu. Non enim discipuli omnes vasorum et nervorum divisiones cognoscebant. Quodsi quis obiiciat, breve temporis spatium, inde a mense Septembri usque ad festum Pascha non sufficere ad Anatomiam tam accurate pertractandam, is mihi dicat, an, quod alibi fit, non hîc quoque fieri potuerit, postremo saltem huius scholae tempore. Quippe in Germania Anatomia descriptiva uno anno tota absolvitur, ita quidem, ut ossium doctrina explicetur aestate, dum reliquum anni spatium sufficit, quo praeceptor adiutus a prosectore et praeparatis utilioribus totius Anatomiae descriptivae conspectum exhibeat. Hîc vero antea aestatis tempore lectiones non habebantur, de prosectore ordinario ne sermo quidem erat et praeparatorum, quae ad Anatomiam rite explicandam requirebantur, numerus erat exiguus. Quod dixi de praeparatorum paucitate, merito vobis mirum videatur, qui Musei nostri anatomici divitias admirari eiusque celebritatem suspicere soleatis. Sed eo magis vestra refert, qui non inanem gloriolam, sed doctrinam solidam exspectetis, hanc de Museo nostro sententiam, argumentis suis nixam, audire. Lubens equidem concedo, in nostro Museo plurima esse magni pretii obiecta. Sic specimina Anatomiae comparatae, praesertim in altioribus animalium classibus, quantivis sunt aestimanda. Magni quoque habendae sunt collectiones in usum Anatomiae pathologicae a Ravio, Albino et van Doeveren conditae, dum collectio ossium, morbo affectorum, quae imprimis a Bonnio congregata sunt, inter ditissimas Europae censetur. Splendidissima autem haec Musei nostri ornamenta non impediunt, quominus deplorem defectum praeparatorum maxime necessariorum ad Anatomiam puram explicandam. Etenim si excipimus nervos linguae, praepara-

tionem imperfectam quinti paris nervorum, nomine Brugmansii memoratam, plexum brachialem et effigiem ceream praecipuorum nervorum capitis, hac in parte nihil invenimus, quod nos iuvare possit. Cerebra, quorum structura maximam partem indagari potest e praeparatis spiritu vini induratis, item desunt ad eorumque defectum supplendum inservire debent effigies nonnullae ab Heinemanno confectae. Aliquot pulchris cordis iniectionibus et prima vasorum divisione exceptis, idem iudicium ferendum est de praeparatis, quae venarum et arteriarum cursum demonstrare debent. Tandem de ligamentis nulla inveni exemplaria, nisi quae argumento esse possint, auctorem egregiam Weitbrechtii methodum non perspectam habuisse.

Hoc meum de Museo nostro, olim celeberrimo, iudicium, ne mihi vitio vertatis, A. H. Ingenue veritatem profiteri potius meum esse duxi, quam aliud clausum pectore, aliud lingua promptum habere. Non est huius saeculi, in ingenti maiorum gloria acquiescere, sed summa ope niti, ne tantorum proavorum indigna videamur proles. Quae Museo desint, indicavi. Industria assidua et sumtibus haud ita magnis antiqua institutionis gloria sic restitui poterit, ut Museum Academiae nostrae decori sit disciplinaeque postulatis respondeat.

Redeamus ad Anatomiam ipsam. Ea quindecim abhinc annis novam iniit viam, *microscopio* et *chemia*, quae hucusque neglecta fuerant, in auxilium vocatis. Antiquior methodus, quam non sine causa Albinianam dixerim, his instrumentis primariis non usa est, quibus scientiam amplificaret, neque id mirum, siquidem eo orta tempore, quo microscopica et chemica investigandi ratio nondum invaluerat, neque postea ad recentiora inventa se accommodavit. Olim enim microscopium aderat quidem, sed eius momentum nondum magni fiebat; habebatur potius ludus, quo homo dives se oblectaret, si nullam sic temporis iacturam faceret. Ne arbitremini, me hoc loco detrectare velle virorum de microscopio maxime meritorum laudes. Equidem, si quis alius, magni facio Malpighium, Leeuwenhoeckium, Swammerdammium, Hewsonium, alios, quorum nescio magisne admirer indagandi subtilitatem, an observandi patientiam. Sed nego, haec inventa, quorum pretium in dies magis fit luculentum, Anatomiae ipsi profuisse, quoniam cum Anatomiae studio non cohaerere putabantur. Inventa ipsa per se habebantur pulchra, sed ea in artis usum

convertere, hoc Anatomis curae non erat. Seriore demum tempore viri celeberrimi Ioannes Müllerus, Weberus et Henleus Anatomiam microscopicam constituerant tanquam partem totius disciplinae. Recte enim contendebant, aeque bene minima partium elementa, ac structuram rudiorem cognoscenda esse ei, qui humani corporis compositionem bene perspectam habere studeret. Persuasum sibi habebant, microscopii ope in intima arcana penetrandum esse, ut ex Anatomia fructus uberiores redundarent in vitae humanae theoriam et in ipsam adeo medicinam universam. Quod igitur Anatomiae microscopicae momentum suo pretio est aestimatum, haec huius aetatis laus est. Quodsi autem his annis magnus Medicorum, imprimis iuniorum, numerus in hanc Medicinae partem involavit, id non tantum tribuo rei novitati, sed praecipue inventorum ubertati. Investigationes microscopicae imprimis placebant iis, qui domi observandi amoenitatem horridae Anatomiae supellectili praeferebant. Sed Anatomiam proprie sic dictam ita saepe negligi, ipse testari possum. Reperiuntur, qui, voluminibus conscriptis de texturis subtilioribus, scalpellum prehendere metuant, nec libenter de facillimis Anatomiae descriptivae argumentis disserant. Non sum is, qui hanc explorandi rationem vituperem: sunt enim functiones corporis humani, ad quas explicandas nonnisi elementorum subtilissimorum cognitio requiratur; quod ut vobis pateat, argumento sint cellularum evolutio, texturae corneae vita, musculorum contractio. Sed dico, eos, qui disciplinam hac ratione tractant, non iure nuncupari Anatomos. Sunt ita dicti specialistae, quorum numerus in Gallia et Germania prodiit ingens. Duae imprimis caussae micrologiae studium promoverunt; immensa gloriae cupido, cui favebat inveniendi spes, erat una eaque gravissima. Cum autem Germanorum sit, alicuius peritiam ex paginarum, quas scripserit, numero iudicare, non raro accidit, ut inventa, quorum expositio non nisi duas paginas requireret, eruditionis inepta mole obruerentur. Felix, qui in hoc sterquilinio gemmam invenire poterit sine magna temporis iactura!

Altera micrologiae studiose investigatae caussa quaerenda est in imperfecta hucusque microscopiorum structura. Sunt enim termini, ultra quos observationes microscopii ope factae incertae sunt. Si tenuissimas texturae cuiusdam minutias indagare volumus, difficultates maximae viam obsepiunt.

Praeiudicata opinione imbuti pro veris videmus, quae spes nobis fingit. Quam saepe ita locus esse potuerit fraudi opticae, facile intelligetis. Anatomus quidam Gallus descripsit corpuscula sui generis in lacte reperta, quae postea, diligentiore disquisitione instituta, bullulas aërias fuisse apparebat. Quoniam alius aliud videt, simulac discernendi facultas tollitur, fons oritur controversiarum inexhaustus. Novo invento in lucem edito, respublica literaria duo in contraria scinditur, quorum pars inventori favent, alii se accingunt ad inventi veritatem oppugnandam. Ita graves huius temporis quaestiones amplam disputandi materiam praebent, in qua diiudicanda Anatomus sic optime mihi versari videtur, si ipse, microscopio adhibito, quam accuratissime videat, quid rei sit. Ipsum experiri et suis ipsius oculis intueri multo magis prodest, quam auctorum testimoniis confidere et ingentem, quae dicitur, literaturam absorbere. Si ex certantium discordia lux emergit, id imprimis in Anatomia obtinet. Multae eaeque gravissimae res, de quibus initio disputatum est, nunc habentur fundamenta firmissima, quibus iam disciplina nitatur.

Quodsi multa iam inventa sunt, plura tamen exploranda restant; sed microscopio diligenter adhibito in dies magis in interiores naturae recessus penetrabimus. Nemini, qui quidem Anatomiam totam complectatur, doctrina texturarum, microscopio acquirenda, inutilis videbitur; et quicumque semel sanguinis circulationem, nervorum musculorumque structuram et fecundationis elementa viderit, persuasum sibi habet, etiamsi his rebus non totum se addicat, artem tamen microscopicam partem Anatomiae esse gravissimam.

Dum microscopus formas dignoscit tenuissimas, non minoris facienda est Chemia, quae inquirit in formarum compositionem elementarem. Eam diximus scientiam auxiliarem Anatomiae, quam antiquior methodus neglexit. De Chemiae in Anatomia exploranda summa utilitate, facillime cuique persuadebitur reputanti, quam parum prosit musculi formae et particularum, quae dignosci possint, minimarum cognitio, nisi tandem sciamus, quaenam sint elementa chemica, visu non distinguenda, quae coexistere debeant ad formandum id, quod musculum vocamus. Profecto Chemia dici meretur scientia sororia, quae his recentissimis temporibus egregiam Anatomiae opem tulit. Quid sine ea nobis cognitum esset de sanguine et

de compositione eius partium? An sciremus membranam corneam esse cartilaginem? An sciremus, materiem in corpore nostro existere, quae perpetuo, quamvis immutata, in texturas plurimas redeat, cuius materiae Proteinae [1]) nomine dictae cognitionem debemus celeberrimo Muldero, quem nostratem esse gloriamur.

In Chemia animali, sicut in Anatomia microscopica, plurima exploranda restant. Et minus fortasse de illa quam de hac nobis compertum est, licet iam viri docti summa ope nitantur, ut ab hac etiam parte organismum humanum perspiciant. Scientia est in ipsis incunabulis; quamobrem Mulderus quoque Chemiam suam physiologicam modesto *speciminis* titulo insignivit et summo iure contendit, scientiam quodammodo suis numeris absolutam non nisi post aliquot saecula exspectari posse.

Demonstrare vobis conatus sum, A. H., qualis nunc opera Anatomiae navetur. Spero me vobis persuasisse, eam sine microscopii auxilio et sine chemica cognitione non promoveri, nec vel addisci posse. Sin recentiorem hanc methodum cum antiquiore comparamus, an adhuc dubitatis, cuinam vos addicturi sitis?

Antiquior schola solummodo id curabat, ut partes, quantum fieri posset, in conditione recenti demonstrarentur, et eatenus revera excelluit. Quae ab ultimo Albinianae methodi alumno [2]) demonstrata sunt, a paucis tam accurate elaborata vidi. Artem musculos ita oculis subiiciendi, ut etiam disciplinae imperiti supellectilis horrorem non sentirent, optime tenebat. Qua in re cum maxima laus huic scholae tribuenda sit, Albiniana methodus profecto non esset antiquata, si recentioris aetatis inventa in suum usum convertisset. Sed paullatim factum est, ut huius scholae Anatomia significationem, a verbo ἀνατέμνειν inditam, retinuerit, cum non nisi

[1]) Cum inter chemicos nondum constet an *Proteine* sit materies sui generis, libera ab omni connubio cum Sulphure encheiresi chemica praeparanda, hoc nomine tantum inventum memorare volui, quod incredibili modo scientiae physiologicae profuit.

[2]) Virum volo Clarissimum G. Sandifort, praeceptorum meum, qui ab anno 1801—1848 in Academia Lugd. Batava munere Professoris Anatomiae et Physiologiae functus est; de cuius viri meritis dicere minus necessarium mihi videbatur, quoniam collega amicissimus G. C. B. Suringar ea iam de industria exposuit edita scriptiuncula, cui titulus: *Memoria Gerardi Sandifort.*

cultro uteretur ad organismum cognoscendum. Recentior contra Anatomia magis convenit vocabulo, quo in vernacula lingua eam significamus. Hoc enim non constituit, qua ratione organismus in suas partes sit dividendus.

Eae autem doctrinae, quae hoc tempore cum Anatomiae studio arctissime coniunctae sunt, rem reddunt multo difficiliorem. Discipulus, cui Chemiae et microscopii cognitio deest, multa, quae in Anatomiae lectionibus tractabuntur, non intelliget, et si ex studio anatomico fructus percipere velit, his rebus addiscendis operam dabit. Sed non tantum discipulo, praeceptori quoque maximae oriuntur difficultates. Nam tum demum docendi munere pro disciplinae amplitudine rite fungetur, si harum doctrinarum partes eius curae mandantur, si instrumentis necessario requisitis instructus fuerit, et prosectoris auxilio adiuvetur. Quod ad disciplinae ambitum attinet, etiam Anatomiam pathologicam eo referendam esse arbitror. Quicumque persuasum sibi habet, eam fundamentum fere unicum esse diagnoseos, certis indiciis innixae, lectiones de hac gravissima disciplina desiderari mecum contendet, eo magis, quod schola Vienno-Pragensis luculenter ostendit, qua ratione illa in Medicina adhibenda sit.

Mihi ex more antiquo una cum disciplinis anatomicis etiam Physiologia docenda demandata est. Si cum huius muneris amplitudine, uni commissa, comparamus praeceptorum numerum in Academiis Germaniae easdem doctrinas docentium, intelligetis grave me onus subiisse. Non loquor de Academiis, quales sunt Viennae et Berolini; regnorum amplitudo, studiosorum numerus, ipsarum urbium ingens magnitudo comparationem cum nostra Academia non admittunt, sed iure suo patria nostra efflagitat institutionem Academicam, qualem invenimus Heidelbergae, Göttingae et Lipsiae. Non huius loci est, Professorum in singulis facultatibus numero recensendo, nostram docentium penuriam evincere. Si solummodo disciplinas mihi delatas intueor, vos certiores facere possum, Lipsiae quatuor professores constitutos esse, qui Physiologiae et Anatomiae operam dent; idem numerus est Göttingae, dum Heidelbergiae quinque docentium numero hae disciplinae mandatae sunt. Ad hoc si reputaveritis, in singulis Academiis prosectorem Professoribus auxilio esse, talem vero Lugduni-Batavorum non esse, dubitabitis, an haec officiorum moles non rite uni deferatur? An

iure ab uno homine postulemus, ut his tantis disciplinis eam, quae requiritur, operam det? An patria et haec inclyta Academia ab eo postulare poterit, ut, docendi munere iam obrutus, artem novis inventis augeat? Si bona institutio Academica magni fit ab omnibus, qui humanitatem colunt, non sine caussa multi spem foverunt, fore ut mutatio obtineret efficax. Quicumque autem patriae rem pecuniariam spectat, nae ille dicet, nullam institutionis emendationem obtinere posse, quamdiu vires distrahantur. *Concordia res parvae crescunt:* hoc in nulla re minus, quam in institutionibus condendis, apud nos valuit. Sed patriae nostrae utilitas singularum urbium commodis posthabita fuit. Ac, nisi tres, quae nunc sunt, Academiae in unam coaluerint, institutio Academica, quae hisce temporibus respondeat, institui non poterit.

Perveni ad comparationis partem, quae non adeo ipsam scientiam spectat, sed formam, qua induta auditoribus exhibetur. Hucusque non tantum Anatomia, sed omnes disciplinae medicae tractatae fuerunt forma, quae dicitur, classica. Lingua Latina, quae in magna institutionis Academicae parte dominatur, in nostris quoque disciplinis praevaluit, quippe quae optima haberetur, qua eruditi disciplinas explicarent. Si quaeritis, an lingua Latina vernaculae praeferenda sit Medico, cum in addiscendis multis iisque permagnis doctrinis, tum in ipsa Medicina exercenda, dubitamus. Ut institutio bona dici possit, requiritur praeceptoris in explicando perspicuitas, discipulorum in audiendo intelligentia. Latinae linguae usum in rebus exponendis perspicuitatem addere, negamus; quandoquidem disciplina, linguis recentioribus et cogitata et conscripta, mutiletur necesse est, si explicanda est ea lingua, quae huius disciplinae notiones nunquam in se recepit. Nova verba oriuntur cum ipsis notionibus, sed in lingua emortua vis nova vocabula formandi sublata est. Ne quis contendat, scientiam nostram antiquiore forma tradendam esse, quoniam eius origo ad antiquissima referatur tempora. Sicuti nunc eam habemus, scripta est linguis recentioribus; libri Latini sunt rari nantes in gurgite vasto et tanquam antiquioris aevi reliquiae leguntur ab iis, qui inviti hanc disciplinae formam sequi coguntur. Si quis porro censeat, cum plerique auctores antiquiores sermone usi sint Latino, propterea hanc linguam esse addiscendam, is reputet, auctorum classicorum, qui dicuntur, pretium nimis esse exagge-

ratum, quaeque ab iis scripta alicuius quidem momenti sint, ea iamdudum forma faciliore recentiorum operibus fuisse intexta.

Alterum, quod in linguae Latinae usu requiritur, hoc est, ut discipulus intelligat praeceptorem. Iam si Professor Ciceroniana utitur latinitate, dicendi formulae ita sunt exornatae et insolitae, ut multi discipuli in sententiarum pondere haerentes, rei ipsius contextum non assequantur. Exemplis possim probare, in examinibus quaestiones fuisse propositas, quas examinandus non intelligeret, quoniam oratio ornatior esset; quin sunt, qui postea ab examinatore Hollande quaesiverint, quid rogatum fuisset. At ponamus, praeceptorem Latine non bene scire, id quod in Medicis haud raro accidit; is igitur male explicabit ea lingua, cuius haud satis peritus sit. Itaque, quomodocunque res consideretur, melius, puto, erit, onere linguae emortuae abiecto, lingua vernacula uti.

Multi autem contendunt, colloquium, aegro praesente, Latine instituendum esse. Mihi experimentis persuasum est, linguam vernaculam non tantum posse adhiberi, sed et maiorem praebere utilitatem. Ut bene cernere, audire, percutere, metiri, sentire possimus, non opus est lingua Latina et pauca verba, quae pronuntiantur, etiam si Hollande dicantur, aeger propterea non intelligit, quoniam nullam inde conclusionem efficere potest. Neque opus est plura dicere, si non conducat aegro Medicorum iudicium audire. Quodsi in consultatione aliquid effari velimus, quod aegro nocere possit, in longe plurimis casibus linguae recentiores eandem possunt praebere utilitatem. Nam, cum homo doctus aegrotat, a lingua Latina abstinendum haud dubie est, quoniam is aeque bene ac Medicus intelliget, quid dicatur; quin imo interdum periculosum est collegam Latine alloqui, quippe dicta aut plane non aut male intelligentem, ac nihilominus personam induentem, ac si recte intellexerit.

Sed cum de linguae Latinae usu dicere inceperim, operae pretium est rem paullo altius repetere. Literarum humaniorum studium, quod in nostris gymnasiis dominatur, futuros Medicos male praeparat ad Medicinae studium. In gymnasiis imprimis sensus exercendi fuerant. Recte cernere et audire, hoc a Medico postulatur, ut aliquando implere possit spem, quam de eo patria fovet; in gymnasiis Medico imprimis eae res addiscendae sunt, quae hanc sensuum acritatem excolant eumque reddant hominem

practicum. Multi mihi assentientur, in aegri exploratione tum demum certi quid constare, cum indicia obiectiva non fuerint neglecta.

Ad hoc ea, quae in futuro Medico requiruntur, antequam ipsi Medicinae operam det, eius sunt magnitudinis, ut a puero inde in studiis propaedeuticis versari debeat. Ergo ex mea sententia in gymnasiis nostris Medico praeter Mathesin eae disciplinae addiscendae forent, quae partem efficiunt philosophiae naturalis, quarum nomine intelligo Physicam, Chemiam, Botanicam; eaeque doctrinae non carptim, sed latiore sensu docendae forent, ita ut earum studio latius temporis spatium tribueretur, quam literis humanioribus addiscendis. Quodsi quis contendat, animum puerorum his rebus discendis non idoneum esse, ei evidens documentum sit schola mercatoria Lipsiensis, ubi pueri duodecim et quatuordecim annos nati eam operam in his studiis ponunt, quae nostrorum studiosorum admirationem excitaret. Equidem persuasum mihi habeo, ipsam puerorum aetatem esse peridoneam, quae his studiis impendatur. Quippe oculi acrius vident, aures acutius audiunt, ingenii flexibilitas maior est et memoria tenacior. Tandem in his disciplinis percipiendis tantum est amoenitatis, ut stimulus, quo ad earum studium excitentur, supervacaneus futurus sit.

Iam si quaeritur, an e gymnasiis nostris iuvenes prodeant, ea sentiendi, audiendi cernendique subtilitate et disciplinarum maxime necessariarum lineamentis ita instructos, ut idonei sint habendi qui lectiones Academicas frequentent, vehementer equidem dubito. Nil didicerunt praeter literas humaniores et Mathesin; lingua Latina et Graeca debent esse fundamenti loco, quo scilicet Medica institutio deinde nitatur, nec priusquam in Academiam venerint, scientiis Physicis operam dare incipiunt. Spatio unius sive ad summum duorum annorum tantam harum rerum notitiam debent contrahere, ut ad ipsum Medicinae studium transire possint. Ut autem legi satisfiat, etiam hoc brevi tempore iterum lectionibus Graecis Latinisque interesse coguntur, quasi examen abiturientium nondum satis in literis postulaverit. Si res optime procedit, in disciplinarum propaedeuticarum studio eo usque progrediuntur, ut prima earum lineamenta, et ne haec quidem clara luce collustrata, animo eorum obversentur. Harum disciplinarum professores nobis declararunt, quam utile, imo quam necessarium Medicis futuris esset, diutius ipsorum lectionibus interesse. Ipse

saltem, eadem olim institutione usus, meo damno experiri debui, quantum futuro Medico desit ad studia Medica recte colenda.

Omnia quae in gymnasiis nostris addiscuntur, pertinent ad eruditionem Philologicam. Quodsi criticus sic fieret discipulus, tum certo suis ipsius oculis videre neque auctoritatibus fidem habere assuesceret. Haec, inquam, inquirendi methodus si ex literarum humaniorum studiis oriretur, fructibus suis in Medicina gloriari posset; sed eo res non perducitur, neque perduci potest, cum sic duplum aetatis iuvenilis requireretur.

Vitium igitur rationis hodiernae in eo consistit, quod prae forma res ipsa tum in gymnasiis tum in Academia ipsa neglecta fuit.

Sed disciplinarum Physicarum cognitionis defectu omisso, vel sic contendo, Philologicam rationem in gymnasio adoptatam, vim debuisse exercere perniciosam in iuvenem, qui aliquando observare debebit. Methodus enim, in gymnasiis recepta, plane diversa est ab illa, quam sequimur in disciplinis Physicis. Literarum humaniorum studium imaginationi alimenta praebet, qua Medicum carere oportet; fidem habere docet auctoritatibus, id quod in naturae contemplatione, quantum fieri potest, omittendum; postremo scientiam imprimis e *libris* haurire docet, quam rationem si quis in studiis Physicis sequitur, magna ex parte iam de eo actum est. Qua de re operae pretium est magnum quendam audire Botanicum [1]: „Eruditio" inquit „et cognitio e libris petita, quae revera ad aevi medii „claustra pertinet, tanquam dyscrasia, haereditate accepta, institutionem „nostram ἐνεργείᾳ practica privat et in disciplinis etiam Physicis, ubi „iamdudum abiicienda fuerat, fontem verae disquisitionis turbidum reddit. „Naturae indagator fieri potest librorum auxilio, non e libris. Ea e libris „suam cognitionem petendi consuetudo ipsam nobis veritatem praecludit „nosque a iuventute assuefacit non ipsos dicere, cogitare et agere, sed „animum nostrum implere notionibus alienis, quae specie eruditionis se „commendent" [2].

---

[1]) Cf. M. I. Schleiden, Grundzüge der wissenschaftlichen Botanik. Zweite Auflage. Vorwort, p. XII.

[2]) Hoc loco in memoriam revocare lubet praeclara verba Grotii nostri, quo novitatis studii accusationem a me defendam: „Quod si," inquit, „omnes eo simus animo, ut malimus „utilissima lingua, et, quod nos incitare debuit, nostra, res in commune profuturas tradere, „quam peregrinae eloquentiae fuco nescio quam eruditionis umbram captare, saeculum, quo

Ex iis, quae supra dicta sunt, aliquis non immerito coniicere possit, me totam quae literis humanioribus continetur formam omittendam esse iudicare. Non ita iudico, sed arbitror quam maxime necessaria non negligenda esse ob ea, quae minus sint necessaria. In institutione Medica minus temporis tribuatur literis humanioribus, plus contra disciplinis Physicis. Neque enim linguae antiquae idcirco addiscendae sunt, ut earum ope Medici cogitata sua exprimant, sed quoniam ipsas addiscere est ingenii exercitatio utilissima. Linguae antiquae grammatices ope subtilissime nos distinguere assuefaciunt et ita animo nostro vires addunt. Quodsi igitur merito perhibetur, linguarum antiquarum addiscendarum methodum et accurate institutam interpretationem, cogitandi vim summopere excitare; et quum praeterea constet, aliquid etiam dandum esse historicis studiis, ut animus ab ea etiam parte excolatur, literis humanioribus eatenus suus sit locus in institutione erudita universe. Praeterea, si quis disciplinarum terminologiam tenere velit, necessario eum oportet aliquatenus in his linguis versatum esse.

Quum autem literarum antiquarum usus non idem sit Medico ac v. c. Iurisconsulto et Theologo, in publico abiturientium examine iniuste eadem ab omnibus exspectantur, nulla studiorum, quibus destinati sint, habita

---

„doctius esse non potest, haberemus etiam sapientissimum. Omnes enim artes tunc maximos „progressus habuere, cum vulgari lingua et vernacula omnibus patuerunt. Hoc Graecis „placuit, hoc Romanis, quorum cum linguam imitamur, institutum contemnimus....... „Quin vero si quis reviviscat ex infima Atheniensium aut Romanorum plebe, et nos scri- „bentes videat, loquentes audiat ea lingua, cui vitam omnem expensam ferimus: rideat, „nec stultos modo, sed et Barbaros vocet. Quid igitur est, quod Graecos hac in parte non „sequimur? an veremur, ne publicae fiant artes, et his septis arcemus ab aditu vulgus? „At hoc certe communi bono invidentis est: cum sternenda potius sit via, et quidem Regia, „ut ingeniorum omnium collationes proficere possint in summam sapientiae. An nostrae „plebis crassius ingenium est, quam olim fuit aliarum gentium? Res ipsa contra docet. „Nam nec industria, nec studium illi deest, nec perspicacia. An lingua non aeque com- „moda videtur institutioni? imo verissimum est, hanc unam videri posse celebri sapientissi- „morum hominum concilio in hoc efficta atque formata, ut eius verbis artium praecepta „traderentur..... Gratulamur patriae, iam artes et praelegi et scribi coepisse eo sermone, „quem non in scholis, sed in cunis discimus: quod si procedet, sine dubio absolutissimam „disciplinarum omnium scientiam aut acquiremus aut recuperabimus." Parallelon Rerum publ. L. III. Cap. 25. (ed. Meerm. Vol. III, p. 69 sqq.).

ratione. Nonne, precor, iniustum est, iuvenem, Medicinae destinatum, ideo huic studio non idoneum iudicare, quod Graecae linguae leges minus plene habeat perspectas? An ego non summae iniustitiae accusarer, si iuvenem, Philologiae destinatum, ablegarem, quod non responderet mihi roganti, quomodo spiritum duceret aut qualia essent instrumenta, quibus cerneret et audiret quaque ratione ea constructa essent?

In examine iusto quisque examinandus est pro studiorum, cui se dicabit, diversitate. Medicus futurus imprimis de Mathesi et scientiis Physicis examinetur, sicuti Philologus suam linguarum antiquarum peritiam imprimis ostendere debebit.

In iis, quae ab initio inde dixi, Vobis demonstrare conatus sum rationem, qua Anatomia ex nostri saeculi postulatis colenda sit; indicavi instrumenta, quibus huic disciplinae opus sit, tum opinionem meam dixi de forma, qua tractanda sit deque institutione, quae futuro Medico et igitur Anatomo fundamento esse debeat. Aperte significavi, quid de his sentirem. In magna opinionum varietate multos habebo, sine dubio, adversarios. Sed tanto melius, siquidem ex ipsa certaminis contentione veritas, quam omnes quaerimus, emerget. Nam non is ego sum, qui meam rationem unice veram esse credam; contra si quid studiosius quam prudentius pronuntiaverim, quid malim, quam argumentis convictus opinionem meam moderari? Sed duae res imprimis me moverunt ad ingenue id dicendum, quod penitus animo persentirem: Amor patriae et Medicorum, quorum institutioni vitam meam dabo, utilitas. Patria nostra habeat institutionem Academicam, quae Albini memoria non sit indigna, et habeat Medicos, qui in memoriam revocent antiquam Boerhaviorum gloriam.

Hunc, quem adscendi, oratoris locum relinquere non possum, priusquam Vobis, Viri Spectatissimi, huius Academiae Curatores! multis nominibus gratum animi sensum explicavero. Sinceras vobis ago gratias, qui me Regi Augustissimo professorem proposueritis eo ipso tempore, quo Academicae institutioni valedicturus eram. Vos igitur me felicem invidendumque reddidistis, quod honorifico hoc docendi munere oblato, totum me addixistis iis studiis, quorum amore semper flagravi, sed in quibus Medicus, multifaria praxeos agitatione distractus, operam probabilem ponere non potest.

Quum autem Vos, Viri Spectatissimi, Anatomiae et Physiologiae docendae provinciam commiseritis ei, qui per quadriennium peregre recentiores Medicinae scholas frequentavit, non immerito mihi coniicere videor, Vos id spectare, ut Anatomia non in maiorum gloria delitescat, sed ut antiqua Albiniana methodus, recentiorum inventis aucta, novas acquirat vires. Sed quid loquor de coniectura, si rerum testimonia adsunt! Re ipsa iam nunc probavistis, Viri Spectatissimi, institutionem Academicam Vobis unice cordi esse. Nam pro sapientia Vestra ea scientiae adminicula, quae maxime desiderari viderentur, liberaliter mihi concessistis et, quantum in Vobis fuit, inclytam huius Academiae gloriam promovere studuistis. Quo disciplinarum amore si perpetuo ardebitis, ut nullus dubito, spem foveo, fore ut Anatomia nostra aliquando iis instructa sit instrumentis, quae huius temporis eruditio sibi deposcit. Ego, Viri Spectatissimi, summa ope nitar, ut vestro disciplinarum promovendarum studio non deesse videar. Omnes vires, quas Natura mihi dederit, in gloriam Academiae nostrae intendam, et spero me effecturum, ut neque Vos Vestrae de me susceptae opinionis poeniteat, neque ego indigna censear pars illius Academiae, in qua Anatomiam docuit Albinus.

Ad Vos me converto, Viri Clarissimi, quos iam me collegas vocare posse, honori duco. Oro Vos, ut me amicum accipiatis ea benevolentia et ea sinceritate, quae Batavorum propria est. Si forte in disciplinarum ratione non omnibus assentiar, tanto melior disputandi erit opportunitas, quae eo iucundior mihi accidet, quo magis sentio me ex prudenti Vestra disserendi ratione maximam utilitatem esse percepturum. Nam sicuti scintilla excitatur ex corporibus sibi invicem admotis, haud aliter veritas elicitur ex sententiarum ingenue dictarum varietate.

Imprimis autem Vestram benevolentiam imploro et amicitiam enixe flagito, quibus mecum idem incumbit iuventutis Medicae erudiendae munus. Disciplinae, quae a nobis docentur, tam arcto inter se vinculo coniunctae sunt, ut una ab altera avelli nequeat, nisi cum magno summae totius detrimento; et sicuti aedificium rite constare non poterit, nisi quod partium harmonia nitatur, haud aliter disciplinae Medicae uberiores fructus non ferent, nisi firmissima coniunctione constrictae teneantur. Quamobrem omnibus viribus me enisurum polliceor, ut una Vobiscum pulchram, quam petimus, metam

attingamus. Vicissim ego Vos oro, ut me amicum habeatis fidelem, Vestrae amicitiae, quantum in se sit, satisfacturum.

Duos in Vestro numero compellare mihi contingit, quibus ingentia beneficia me addictum tenent. Te volo, Cl. Pruys van der Hoeven, olim praeceptor carissime, et iam collega amicissime. Quamquam Tibi persuasum est, quanti semper Te et Tuam ingentem eruditionem fecerim, tamen hoc loco lubenter gratias ago sinceras pro egregia institutione, quam a Te accepi; pro auxilio et amicitiae documentis, quibus me adiuvisti et ornasti. Horum beneficiorum memoriam ita optime coluisse mihi videbor, si id omnibus viribus enisus fuero, ut tanto praeceptore non indignus videar discipulus.

Neque minus Te mea spectat oratio, Cl. Jane van der Hoeven, qui non solum mihi exstiteris in disciplinis propaedeuticis dux egregius, sed et in omni vitae ratione auspex mihi fueris certissimus. Si Academicum curriculum animo repeto, nullus fere dies praeteriit, quo non alicuius beneficii memoria me Tibi devinctum teneat. Si tantis beneficiis non satis respondere posse videor, ita me maxime gratum animi sensum significaturum esse arbitror, si in huius Academiae gloria promovenda indefessum Tuum ardorem, Tuam prudentem disceptandi rationem et incorruptam morum probitatem in dies magis imitari studeam.

Hoc pietatis officium, eheu! non licet mihi praestare praeceptoribus meis Broers et Uylenbroek. Quanta agendi sinceritas, quantus in disciplinis promovendis ardor, quanta in amicitia documentis probanda constantia! Sed nimis visa Leida felix, haec si propria dona fuissent. O utinam huic solemnitati adesse potuissent! Sed quandoquidem mihi contigere non potuit his praeceptoribus carissimis, maxime de me meritis, publice gratum animum testari, eo magis in reliqua mea vita eorum memoriam ita colam, ut tantorum virorum imagines non frustra animo meo obversentur, sed ingentem studiorum amorem in dies excitent.

Iuvenes praestantissimi! qui pulcherrimo Vos dicastis muneri, generis humani dolores leniendi et morbos curandi. O quam vellem, Vos egregia horum virorum institutione uti potuisse. Sed, si hoc Vobis non contingit, meum erit conari eorum exempla in vitam revocare. Quocirca peto a Vobis, Iuvenes praestantissimi, ut me non praeceptoris severi loco habeatis,

sed eum potius, qui tanquam commilito viam Vobis monstret. Nostrum enim est, Academiae huius inclytae gloriam quantum in nobis est sustinere; nostrum est, Anatomiam et Physiologiam ita colere, ut iis, quae disciplinae ratio postulat, satisfecisse censendi simus; postremo nostrum est, Albini et Boerhavii memoriam non dedecore afficere. Si maiorem disciplinarum complexum suspicitis, eo magis vestra refert, brevi, quod Vobis concessum est, temporis spatio rectissime uti. Non nisi patientia indefessa et ardore assiduo interiores disciplinarum loci cognosci possunt. Quamobrem etiam atque etiam rogatos Vos esse volo, ut studiorum amore significando mihi vires et animum addatis, quibus tantum onus cum aliqua boni eventus spe subire possim. Ita contrahemus amicitiam non aura populari, sed firmissimis scientiae fundamentis innixam; ita me felicem praedicabo, qui totam meam vitam dedere decreverim Vestrae institutioni, et ita nos, coniunctis viribus, gloriam promovebimus illius patriae, „quae omnes omnium caritates una complexa est."

DIXI.

I. DE WAL

ORATIO

DE

HISTORICA IURIS INSTITUTIONE IN PATRIA NOSTRA, IURIS-PRUDENTIAE ROMANAE FINIBUS HAUDQUAQUAM CIRCUMSCRIBENDA.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI, ILLUSTRISSIMI!

QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

RECTOR MAGNIFICE! CAETERIQUE ARTIUM AC DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

QUI IURI DICUNDO ET CIVITATI REGUNDAE PRAEESTIS, VIRI PRUDENTISSIMI, SPECTATISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI, PERITISSIMI!

ACADEMIAE NOSTRAE CIVES, IUVENES OPTIMI, LECTISSIMI!

CUIUSCUMQUE DENIQUE LOCI ET ORDINIS HIC ADESTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Quo saepius et diligentius apud animum meum de historici Iuris studii proposito atque utilitate meditatus sum, eo maior mentem subiit admiratio, quid esset cur haec nobilissima disciplinae nostrae pars in Academica nostratium institutione Romanae Iurisprudentiae finibus plerumque soleat circumscribi. Quasi vero apud illum unice populum per varias temporum opportunitates et perpetua veluti progressione ius sit excultum ac perpolitum! Quasi vero recentiorum Europae gentium instituta, illorum imprimis, quae ad Germanicam stirpem sunt referenda, subito ac repente ex mero legumlatorum arbitrio provocata sint ac procreata! Quasi vero nullum adesset ius, antequam nomotheta egregium susciperet officium, illius imaginem, quoad posset, lege referre!

Quodsi vero ipsam intueamur viam ac rationem, qua Iurisprudentiae studium a recentioribus huius disciplinae doctoribus exculta est, duas satis perspicue discerni posse arbitror artis periodos. In utraque autem humanum ingenium conspicimus, non statim praesentis aetatis vinculis solutum, initio totum in interpretatione iuris, quod vigere existimatur; — deinde vero illius iuris doctrinam in artem qnandam redigere tentans; — donec tandem ipsi persuasum fit, germanam cuiusque instituti efficaciam propriamque ipsi naturam rite perspici ac diiudicari non posse, nisi historiae luce indagetur atque illustretur.

Itaque medio, quod dicimus, aevo glossatores nihil aliud agebant aut moliebantur, quam Iuris Civilis praecepta uberrimis explicare doctrinae commentariis subtilesque dirimere controversias, unam adtendentes exegeticam interpretandi rationem: deinde saeculo decimo quarto Academiis maxime Francicis dogmatica in usu esse coepit Iuris tractandi methodus, at inanibus saepe scholasticorum praeceptis ac disceptationibus depravata: tandem vero Alciatus, Bu'aeus, Zasius aliique regiam illam munire conati sunt viam, qua strenue progrediendum esse docuit summus ille Cuiacius, qui, historici iuris studii instaurator dici meretur, discipulosque illa initiare coepit Iurisprudentiam interpretandi ratione, qua ex ipsius populi Romani ingenio et historia unumquodque placitum illustrarent. Quorum exempla ita mox secuti sunt optimi quique in patria nostra Iuris interpretes, ut omnibus paene Iuris locis ex remotissima antiquitate, cuius quidem vestigia satis certa impressa supersint, lucem affudisse videantur.

Recentiori vero aetate, cum ex multorum in plerisque Europae regionibus doctorum consensu communis fere invaluisset opinio, diversos admodum Iuris fontes in tantam excrevisse copiam, ut omnia vitae civilis negotia incerta lege regerentur, — cum ex philosophorum scholis prodita omnium paene animos invaserant infausta quaepiam de vera libertate tuenda ac regunda civitate commenta, nec minus plerisque avita instituta abolenda viderentur, — conditi sunt a plurimis ardenter expetiti scripti legum codices, cunctis fere eo magis probati, quo melius, his sancitis ac promulgatis, praeteritorum temporum memoriam omnem exstinctum iri arbitrarentur. Iterumque, ni fallor, Iurisprudentiae studiosis idem ad perlustrandum patuit campus, cuius spatia emensi erant superiorum saeculorum Iureconsulti.

Cumque in externa Europae conditione quasi novus exortus esset rerum ordo, nostrae disciplinae cultoribus idem fere, quod significavi, repetendum erat studiorum curriculum. Mox iterum novorum Codicum doctissimi prodierunt interpretes, at plerique Iuris exegesin unice curantes: ad recentioris iuris praecepta componenda, ordinanda, omnesque ad casus, qui in vita civili incidunt, applicanda, nihil ipsis defuit eorum, quae aut ingenium aut iudicii acumen suppeditare possit: ex antiquitatis vero ruderibus lucem legibus novis affundere ita dedignati sunt, ut nihil fere ex veteris aevi dumetis se proficere posse arbitrati esse videantur. Historicae tandem, quae hac nostra aetate exorta est, Iuris scholae, praeclaram illam tribuendam esse novimus laudem, quod veram iurium originem perpendere instituerit, illaque ex suis primordiis demonstrare ita docuerit, ut omnem Iuris cursum uno mentis obtutu contemplari queamus.

Non is sum, AA., qui hodierno die vobis exponere statuerim, quae mihi videantur merita, quae vitia illorum virorum, qui huic historicae Iuris scholae nomina dederunt. Quodsi eorum nonnulli novorum codicum conficiendorum operam nimio impugnaverint ardore, ulterius forte, quam par est, sunt progressi, quandoquidem vererentur, ne ii, quibus arduum istud mandaretur negotium, superiorum aetatum iurisque antiqui parum essent gnari nec satis exploravissent conditionem areae, in qua novum iuris aedificium esset exstruendum. Sin vero Iuris Naturalis studium adeo spernere ausi sint, ut illud ad vana philosophorum somnia relegarent, divinam praeterviderunt hominis facultatem, qua vera a falsis, recta a pravis, iustum ab iniusto, aequum ab iniquo probe secernere pollet, et perpetua illa neglexisse videntur disciplinae nostrae fundamenta, quibus omnis nititur Iuris constituti auctoritas. Verum ubi, ex rerumpublicarum, consuetudinum, morum legumque historia, antiquam iuris formam atque ingenium aperire, et diversa iurium fata per omnes historiae aetates cognoscere nos docuerunt, praestantissimum praebuerunt constantis sollertiae exemplum, iis quoque Iureconsultis, qui suos cives scriptis legum codicibus regi ac gubernari gaudeant.

Neque ego historiae Iuris tradendae provinciam suscepturus ab huius diei opportunitate neque a mea dicentis persona alienum esse arbitror, historici Iuris studii nostris commodis adaptandi laudes brevi oratione per-

sequi. Vos igitur, AA. humanissimi, communi favore ac benevolentia me prosequamini, dicentem *de historica Iuris institutione in Patria nostra, Iurisprudentiae Romanae finibus haudquaquam circumscribenda.*

Praeclare dixit Cicero, naturam iuris nobis explicandam esse, eamque repetendam ab hominis natura. Num autem existimemus, philosophum nobilissimo hoc praecepto illud tantum indicasse, singularem nobis spectandum esse hominem, nullo prorsus communionis vinculo cum aliis coniunctum, atque in hoc terrarum orbe a sapiente Creatore ita positum, ut solus sibi sufficere atque omnia secum portare videatur? Nonne potius hominis natura tum demum recte perspici posse dicenda est, si rationes, causas atque opportunitates adtendamus, qua illud, quod politicum animal vocavit Aristoteles, perpetua quadam coniunctione copulatum videmus cum aliis eiusdem generis animantibus, quae idem sentiunt, idem cogitant, iisdem ducuntur virtutibus ac vitiis, eandemque transigunt vitam, qua ad summam alantur, ducantur, ac promoveantur boni, veri iustique cognitionem? Quod si quis neget, istum respiciat necesse est insulanum, quem ab aliis seiunctum vivere coëgit dira quaedam necessitas; qualem ita nobis pinxere fabularum scriptores, ut negatae illi vitae civilis desiderium ubique appareat. Nos vero hominis naturam ita comparatam esse novimus, ut societatem ac communionem a teneris unguiculis ad extremum usque vitae spiritum perpetuo appetat et requirat. Ex hac enim communione non tantum perpetua sobole genus humanum propagari novit, hanc demum colens atque in suos usus convertens et ad veram humanitatem adspirare et sic ad summam contendere potest felicitatem. Neutiquam vero eorum tantum indiget auxilio, amore, fide, qui cum illo coniuncti vitam degunt in terrestri hac statione: parum enim ad suas facultates excolendas proficeret, nisi plurima illis sui generis consortibus accepta referret, qui superiori vixerunt aetate, quibus cum aliis successit, ut aliis ipse viam sternere possit. Itaque omnia, quae nunc sunt, cum iis cohaerent, quae ante fuerunt: et quae ipsi a proavis accepimus quasi hereditatem constituunt, auctam cumulatamque a nobis posteritati tradendam.

Egregium igitur historici officium est indagare, qua ratione inter homines, in diversos societatum coetus discretos, quos gentes appellamus, singulae excultae sint ac propagatae humanae naturae dotes quae ad multi-

plicia illa communionis praesidia, optime adhibenda conducere debeant, religio, lingua, artes, iura. Haec cuiusque populi naturam atque indolem perspicue ostendere videntur. Nec enim omnibus eadem prodesse possint humanitatis explicandae adminicula: alios alia docuerunt cunctarum paene rerum necessitudines, quemadmodum aliis alia vitae praesidia Divina tribuit Providentia: terrae angulus, ubi vivat populus — coeli temperies, qua utatur — commercia, quae cum aliis gentibus iunxerit — singula suum conferunt ad eius ingenium exercendum iurisque ipsi proprii cursum dirigendum.

Itaque mira quaevis somniarunt philosophi ac Iureconsulti nonnulli, qui perfectum quoddam ac consummatum sibi proposuerunt Iuris systema, quod semper et ubique aeque valere possit, atque humanae naturae hominumque negotiis prorsus consentaneum esset, ut Iuri excolendo nullus paene superesset locus. Quorum sapientiam superavit profecto unus ille, qui sapientiae famam adeptus tuitusque est, Solon, qui interrogatus, an optimas Atheniensibus scripsisset leges, optimas, inquit, quas ferre potuerunt. Quam esset hoc verum unus omnium optime sensit et perspexit Sextus Caecilius Iureconsultus Romanus, qui ad Favorinum philosophum, de duodecim tabularum iure haud pauca quaesitantem, „non ideo," dixit, „contemnas legum istarum antiquitates, quod plerisque ipsis iam populus Romanus uti desiverit. Non enim profecto ignoras legum opportunitates et medelas, pro temporum moribus et pro rerum publicarum generibus ac pro utilitatum praesentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum est, fervoribus mutari ac flecti neque uno statu consistere, quin, ut facies coeli et maris, ita rerum atque fortunae tempestatibus varientur."

Quemadmodum autem leges, ut salutarem civibus ad negotia regenda normam praestare possint, ad populi mores atque indolem accommodatae esse debent, ita nihil umquam aliud esse possunt quam scripta conditio, ad quam populus ipso quo latae sunt tempore, per continuam fatorum vicissitudinem ac rerum gestarum seriem pervenisse existimandus est. Internum vitae civilis statum spirant, viriumque tum moralium cum politicarum vigorem referunt, quae ulteriori semper indigebunt exercitio atque explicatione. Nec facile quis ad hanc interiorem gentis suae indolem bene cognoscendam paratus erit sui temporis observator, nisi omnem eius historiam

ab antiquissima inde memoria penitus cognitam habeat, causasque perscrutatus sit, quae populi indolem formasse, mores mutasse, opiniones flexisse aliquando videantur. Quare singularis huius quod vivimus aevi laus est, quod optimus quisque Iureconsultus civitatum recentiorum historiam cum iurium progressu explorando copulavit semper ac coniunxit. Celebrabuntur a posteris Eichhornii et Zoepflii nomina, ob egregios in hoc genere laborum fructus, qui Germanici Iuris historiam ita tractarunt, ut omnibus aliis gentibus facem praetulisse dicendi sint: celebrabitur item Warnkoenigii acumen et industria, qui, postquam Flandrici iuris origines ac fata praeclaro aperuerat libro, in Francicae quoque gentis institutis illustrandis eandem nuper operam posuit: laudabitur quoque Wildae ac Steinii praeclara opera, qui Iuris Criminalis apud Germanos ac Francos progressus egregie sunt persecuti nec persequi desistunt: nostrae quoque Academiae gratulandum esse arbitror, quod e Thorbeckii schola haud pauci prodierunt generosi iuvenes, qui recentioris Iuris Neerlandici historiam ex varia populi nostri conditione ac mutata rerum facie cognoscere ac diiudicare didicerunt.

Nec tamen pauca sunt, AA., quae huic historico iuris studio vitio verterint alii. In veteribus, aiunt, semper occupati reliquiis, vos vetustatis tantam habetis curam, tantoque superioris aetatis abripimini amore, ut meliora, quia recentiora sunt, contemnatis et spernatis; itaque institutorum huic aevo minus aptorum conservatores estis habendi, atque ab hac vestra sollicitudine nomen vos ferre gloriae ducitis. Quasi vero historice Ius excolere nihil aliud esset, quam curiosa quaedam Antiquitatis consideratio, quae in Iuris fatis explorandis nihil aliud spectet praeter aridam istam atque ieiunam remotissimae aetatis pervestigationem, eruditis istis eo gratioris, quo magis nebulis involuta sit atque obtecta: quasi germanus historici Iuris studiosus nil aliud moliretur, quam fautor ille veterum, quem suaviter ridet Horatius, aut illi labentis Iurisprudentiae Romanae Iureconsulti, qui, uti refert Ammianus Marcellinus, „ut altius viderentur iura callere, Auruncorum, Sicanorumque leges, iam diu ignotas, et cum Euandri matre abhinc saeculis obrutas multis loquebantur." Neque iniusta profecto fuit Savinii, inter Iuris custodes et cultores hac nostra aetate facile principis, querimonia, qua exponenda suo de Romano Iure hodierno operi

praefatus est, de inepta ista atque inani nonnullorum opinione, ac si historici Iuris fautores in praeteriti temporis speculo perfectam veluti iuris imaginem conspicere sibi videantur, ad quam praesentia et futura exigenda sint, cum contra hoc revera spectant, ut recte discernatur, quid cuique tribuendum sit aetati, populo, instituto, et qua ratione haec omnia inter se cohaereant: quibus neglectis externam rerum faciem videmus, at internam earum naturam neutiquam percipimus.

Perpetuum autem rerum humanarum cursum spectans, ac probe sciens, ius non hominum esse sed temporum; hominis vero esse omnes intendere vires ad societatis dotes et commoda amplificanda; homines quidem perire, at ipsam humanitatem, ad quam homo effingitur, permanere; — historici Iuris studii sincerus cultor haudquaquam pertinax erit mirator eorum, quae mutari ac flecti aetatis suae conditio flagitare videatur: nec despiciet umquam, quae novum rerum statum peperisse, vel humani ingenii ad summa quaeque nitentis sollertia invenisse, docuisse aut monstrasse cognoverit: boni denique civis esse existimabit, civium saluti consulere, bonique principis, subditorum libertatem in iuribus exercendis amplificare atque exserere. Nec tamen in explicandis iuribus atque officiis prudenti opus esse cautela ignorabit; ne nova quaeque, externis grata atque accepta, continuo ita laudemus ac plausu excipiamus, ut abiiciendum atque illico invertendum videatur, quicquid nobis est proprium nostrisque rationibus accommodatum: neque ista, quibus adstrepit vulgi insania, in nostram statim civitatem adsciscere cupiet.

Quae cum ita sint, AA., rectissime suo iam tempore monuisse dicendus est vetus ille inter nostrates Iureconsultus, Philippus a Leydis, multum expedire reipublicae, viros habere literatos, qui leges noverint et iura maiorum. Quid vero sanctius, quid dignius Iuris doctori incumbere dici possit officium, quam ad illorum iurium atque institutorum, quae in patrio solo vigent, originem ac fontes reverti, eorumque vicissitudines ac fata ad hunc usque diem explorare? Respiciet ergo ad quamnam historiae aetatem unumquodque referri debeat: quid in ipso nostrae genti proprium sit ac nativum, quid cum aliis commune habuerint aut origine sua peregrinum et foris advectum receperint nostrates: quaenam sive similitudinis sive discriminis habendae sint causae: quid tandem temporum cursus in

singulorum institutorum rationibus mutaverit flexeritque. Quibus demum accurate perspectis, genuinam ac sinceram Iuris patrii imaginem sibi informare poterit Iureconsultus, neque, his neglectis, totum illius ambitum cognoscere singulasque partes apte disponere atque ordinare ei licebit.

In his tamen omnibus strenuo atque indefesso labore perscrutandis et exquirendis, quam parum praestiterint nostrates, meum non est statuere. Quamvis hoc sane mirum dici debeat, qua fati necessitate acciderit, ut Neerlandi, qui in omni paene disciplinarum genere per plura saecula principatum fere tenuerunt, Iuris sui origines et cursum tam parum curaverint, ut hunc campum non paullisper requietum, sed incultum omnino relictum haud immerito dixeris. Quod variis tribuendum videtur causis, quas hic exponere nil adtinet: hoc tantum moneam, ab unoquoque fere Iureconsulto avitae gloriae vindice, qui in illis studiis haud prorsus dormitandum esse docuerit, easdem iteratas esse negligentiae querelas. Mementote, quaeso, Laurentii Petri Spiegelii, qui superiori saeculo primus in nostri Iuris originibus recensendis eruendisque probabilem navavit operam, atque aliis viam monstravit, parum eheu! deinde tritam. Memoria recolite Henricum Iohannem Arntzenium, patrem filiumque, utrumque in hisce studiis apprime versatum. Recordamini Petrum Bondamum, splendidissimum Academiae Traiectinae lumen, qui tum Iurisprudentiam Belgicam ad exemplum Iuris Civilis Romani maxime excolendam esse subtilissima docuit oratione, tum perspicue haud minus quam candide querimoniam exposuit de subsidiis ad solidam nostri Iuris cognitionem necessariis, vulgo tamen negligi solitis. „Vel unum mihi" ita ille, „ex ICtis nostratibus, qui Ius patrium scriptis suis illustrarunt ceditote, qui in singulis materiis progressum historicum doceat, qui ex remotissima antiquitate investiget, quomodo maiores nostri hoc illudve observare soliti fuerint, qui causam et rationes inquirat, cur medio tempore Comites id mutaverint: qui porro ostendere satagat, quid causae fuerit Reformatoribus, ut idem Iuris caput ad Iuris Romani decempedam exigendum eique inde laciniam adsuendam, vel aliam ipsi formam imponendam censuerint: qui tandem reliquias Iuris patrii genuinas probe secernat a laciniis illis, quae ei ex Iure peregrino adiectae sunt!"

Verum enim vero aliquem hac de re ambigentem mihi videor et haec

reponentem audire: superiori quidem aetate historicum illud Iuris patrii studium utilissimum fuisse, imo pernecessarium, quandoquidem tunc antiquae illae valuerint atque in foro vim exercuerint consuetudines ac privilegia, eorum tamen nunc sane omnem intercidisse usum apud nostrates, qui codicibus gaudeant recenter confectis atque ita comparatis, ut multiplici ista antiquitatis farragine facile et lubenter carere possimus. Quasi vero omnis Iuris patrii ambitus hisce contineretur Codicum articulis, necquid legumlatores nostri prudentissimi e maiorum penu essent mutuati! Tali equidem Iuris studioso in mentem revocandum censeo leguleii istius Romani exemplum, qui, rogatus ut enarraret, quid esset proletarius; primum, se iuris, non rei grammaticae peritum esse, respondit: deinde vero, cum vocabulum e decemvirali lege petitum affirmasset alter, „ego" inquit, „dicere atque interpretari hoc deberem, si Ius Faunorum atque Aboriginum didicissem. Sed enim, quum proletarii et assidui et sanates et vades evanuerint, omnisque illa consopita sit duodecim tabularum antiquitas, studium scientiamque ego praestare debeo iuris et legum vocumque earum, quibus utimur." Cui rabulae impudentiae egregie opposuit Gellius Iulii Paulli, praestantissimi ICti doctrinam, antiquitatis cognitione refertam.

Nec quis autem serio contendat, omnem Iuris nostri disciplinam, paucorum quorundam Codicum complexu comprehendi. Amplissimam illam animadvertat, quaeso, legum ac statutorum, cum recentiorum, tum inprimis veterum copiam, quae in tantam iam excrevere molem, ut prudentissimus quisque Iureconsultus quasi Ariadnes filio indigeat, nisi in hoc Iuris scripti labyrintho coeci instar oberrare velit. De his vero quis perpolitum atque intelligens habebit iudicium, nisi universum iuris cursum tum in patria nostra, tum in Francia, accurato investigaverit studio? nisi probe perscrutatus sit, quaenam iuris capita cum vario, quod diversa aetate in variis regionibus viguit, civitatis moderamine ita cohaereant, ut hoc mutato sponte sua omnem vim ac potestatem exuisse putandae sint? nisi recte discernat, quibusnam iuris scripti fontibus integra servata sit auctoritas, quibusnam vero recentiora vitae civilis instituta seu diserte seu tacite pro parte derogasse censenda sint? Quid multiplicia referam testamentorum ac contractuum exempla, quae sub antiqui Iuris regimine confecta ac constituta, etiamnum effectum sortiantur necesse est, quorumque

dubia saepe sententia Iureconsultorum eget lumine? Atque, uti, Cicerone teste, ad consilium de republica dandum caput est nosse rempublicam, qua ratione, quaeso, in talibus instrumentis recte explicandis probabiliter versaturus est causidicus, officialis, iudex, nisi antiqui Iuris patrii accuratam sibi comparaverit notitiam?

Verum ipsos nostros respiciamus legum Codices. Et nemo quidem nescit, in iis diversa iuris placita non ad legumlatorum arbitrium ac lubitum esse expressa: firmiori enim fundamento Iuris patrii aedificium superstruendum esse, inter praestantissimos viros constitit, qui in Neerlandicis legum Codicibus elaborandis nobilissimam posuerunt operam; attenderunt quippe perpetuum iustitiae cursum Iurisque amplificatores quam conditores esse maluerunt. Nec tamen multum sapere nobis videamini, quod neminem nostrum iam lateat, illos in nonnullis Iuris capitibus praeclaram tuitos esse doctrinam, quae Romani Iuris splendore fulget: in aliis eadem illa sanxisse placita, quae ex Iuris Francici thesauris ad nostras domesticas rationes accommodata depromere, haud inutile visum fuit: in aliis porro e veteris Iuris patrii principiis sua mutuanda duxisse statuta: alia denique nova addidisse, quae rerum nostraeque vitae civilis conditio postulare viderentur.

Nimirum cum e tanta fontium diversitate nostri iuris placita profluxisse constet, quis singula illius capita interpretari recte tentabit, nisi perpetuo uniuscuiusque praecepti originem, naturam, causas historica ratione perpendet? Nisi, cum superioris legis sententiam ad verbum fere in nostrum codicem migrasse videat, exquirere tentet, qua ratione illa cum aliis cohaereat statutis, quae ex eodem fonte initium repetiverint, nec tamen ab hodierni Iuris scripti auctoribus in nostram legem sint translata ac recepta? In differentiis quippe diiudicandis haud minus indigemus historiae luce, quam in interpretatione articulorum, qui antiquioris iuris sapientiam corroborarunt.

Quodsi igitur insignem Iuris nostri partem iis debeamus codicibus, qui per triginta fere annos nostrorum civium temperarunt res domesticas, nemo certe perfecti consummatique ICti laudem assecuturus est, qui multiplices illos neglexerit fontes, e quibus Francici Iuris placita hausta esse cognovimus. In quibus assiduo labore eruendis perscrutandisque si ad hodiernam

usque aetatem vix multum profecerint nostrates, excusationem forte haud levem habuerunt in ipsa quae apud Franco-Gallos diu viguit Iurisprudentiae tractandae ratione. Quamvis enim egregiam Iuris artem, eruditionis copiam, iudicii subtilitatem, qua optimi quique in hoc populo iustitiae antistites ingentem sibi, nec immerito, compararunt doctrinae famam, summa animi veneratione persequamur, illud tamen negari nequit, clarissimos Francicarum legum interpretes non illa valuisse historica cognitione, qua singula dignoscere possimus iuris elementa. Quem in Iure Francico illustrando defectum sarciendum esse hac nostra demum aetate animadvertit egregius iuvenis, Henricus Klimrathius, cuius tristissimum obitum iam per tredecim annorum spatium lugent omnes, qui Iuris amplificandi atque excolendi studio uspiam terrarum ornati sunt. Tricesimum vix impleverat aetatis annum: scripta vero praeclari viri quisquis perlegit, consummatam paene omnibusque numeris absolutam miratur doctrinae ubertatem, incomparabilem in fontibus indagandis atque expromendis industriam, singularem in scientiae subsidiis undique collectis apte digerendis atque ordinandis sagacitatem. Nec quis facile dixerit, quid illius valuerit exemplum ad virorum ex eadem gente praestantissimorum ardorem excitandum et incendendum: qui per integrum decennium nuper elapsum, Pardessusio, Giraldo, Laboulayo agmen ducentibus, nec sumtibus nec labori pepercerunt, ut ex abditissimis archivorum latebris optimas quasque Iuris Francici antiqui reliquias conquirere, earumque in hodiernarum legum placita efficaciam diiudicare possent. Itaque hodie non tantum criticis nobis uti licet Assisiorum Hierosolymitanorum, Olimorumque editionibus, sed diversarum quoque revocata est consuetudinum memoria, quae in variis Franciae regionibus aliquando in usu fuerunt, e quibusque multa in Codicem Napoleonticum migrarunt placita. Hae autem ipsae gentium Germanicarum indolem mirifice spirant, et in singulis saepe capitibus speculorum Suevici, Saxonici, aliorum, ingenium referre videntur. Iam vero non diutius nos latebunt praestantissimae illae seculi decimi tertii reliquiae, quae Petro Fontanensi, Roberto Normanno et Clementi Turonensi debentur, quorum opera insigne declarant Iuris Romani et Canonici studium: iam accuratam Beugnotio acceptam ferimus Bellomanorii editionem, qui primus consuetudines Bellovacenses ex ipsis populi moribus rebusque

iudicatis ita exposuit, ut universi Iuris Francici origines egregie declaret eius opus: iam Remensium, Ambianensium, Insulanorum, aliarumque civitatium incolarum antiquas consuetudines typis mandatas esse propterea quam maxime gaudemus, quod earum nunc demum institui possit comparatio cum singularibus illarum urbium iuribus, quae olim varios nostrae patriae tractus rexisse accepimus.

Aliena haec nosse atque in nostros usus convertere si haud dedignemur, quanto in maiori pretio habeamus nobilissima scientiae praesidia, quae ad historicum Iuris patrii studium recte instituendum ipsa nobis praebent Antiquitatis nostrae monumenta. At quotusquisque iam adtendit breves illos legum provincialium libros urbiumque statuta, quae maiorum veluti imaginem in tabula pictam ferunt? quae uti vere domestica ac patria, ita nativa nobis ac propria dici merentur, ut novis codicibus abrogata, neutiquam vero sublata videantur.

At dixerit aliquis, perpauca tantum antiqui Iuris Neerlandici placita in illos, qui hodie nos regunt, Codices esse recepta; neque horum argumenta tanti ponderis haberi, ut accuratam vetustatis patriae cognitionem postulent. Quibus quum per integrum iam decennium usi simus, quid e parentum iure repetitum sit ac servatum, ita lippis ac tonsoribus notum est, ut multis illud exponere putidum sit. Nec minus iubet hora silentio praeterire, quae in insignioribus capitibus de pactis nuptialibus, de matrimonii solutione, de universa inter coniuges honorum communione aliisque permultis locis antiqui Iuris patrii studium et in nomotheta declarant et in legum interprete requirunt. Unum hoc monuisse sufficiat in plurimis nostri Iuris recentissimi partibus propriam singulorum tractuum consuetudinem disertis verbis esse sancitam. In memoriam revocate vobis quae statuta sunt de intergerinis praediorum contiguorum parietibus — de itineris, actus, viae spatio — de decimis seu pretio seu frugibus praestandis — de usufructuariorum iuribus circa seminaria atque arbusta — de singulis universe regulis, quibus ususfructus pro variis locis varius est. Animadvertite praestantissima illa legis praecepta, quae iubent, contractus non tantum obligare ad illa quae diserte ex iis perscripta leguntur, sed ad alia cuncta, quae pro illarum natura usu postulantur; — quidquid denique in contractuum verbis anceps videatur aut ambiguum, explicandum esse ex

iis, quae sancivit consuetudo in singulis tractibus ac locis, ubi contrahentes se obligarunt. Cogitate prae caeteris singularem efficacitatem, quam usui recepto concessam legimus in locationis conductionis, inprimis operarum, materie; vel notum illud adtendite ius in agro Groningano praediis inhaerens; nec quis facile inficias ibit, quantum in usu quoque forensi et iuribus ad vitae civilis negotia adplicandis valeat antiqui Iuris patrii consideratio.

At in his diutius morari haud iuvat, cum antiqua illa non ideo observanda putem, quod patria sint et domestica, sed quoniam fontibus Iuris nostri hodierni adnumerari debeant, hoc vero ex suis tantum originibus cognosci atque exponi queat. Nec tamen minus dolemus, laudibus nostratium deesse quae in iure nostro indagando et illustrando exteris insignem peperere doctrinae famam. Nec tantum a nobili Germano Frisicorum iurium collectionem locupletissimo vocabulario ornatam accepimus: verum et de legis Frisionum placitis dogmatice exponendis nuperrime ita meruit Turcicus quidam homo, ut nobis, quotquot vetustatis monumenta negleximus, ruborem afferat.

Parata vero plurima iam prostant historici iurium studii subsidia: veterem nostratium linguam per singula idiomata ita nunc explicari atque illustrari gaudemus, ut nihil magis; historia nostri populi atque exterarum gentium ad genuinam exigitur diplomatum fidem. Assidua horum subsidiorum cognitio, praeter accuratam Iuris Romani scientiam, qua nullus umquam impune carebit ICtus, optima erit historici Iurisprudentiae recentioris studii administra. Agite, iuvenes optimi, ad bona quaeque propensi, communi exercitio et indefesso labore illam sequamur disciplinae nostrae excolendae rationem, quae non magis ab utilitate quam a suavitate commendata est. Omnem vero prorsus vitandam esse micrologiam probe intelligamus, cuius specie delectati haud pauci, umbram pro Iunone amplexi sunt, atque in aëre piscari videntur. Ita in dies magis nobis elucescet, quae sit vis veritasque Gregoriani effati, ad summa quaeque non saltibus sed gradibus esse nitendum: nec negligemus optimi Regis nostri, quam ante hos paucos dies pronuntiavit sententiam, in Iure nostro amplificando principia esse servanda, quibus ulterius excolendis nulla repugnax obstet Lex!

Ne vero audientium voluntate ac patientia abuti videar, ad Vos me convertere mihi liceat, Academiae L. B. Curatores illustrissimi, quorum suffragio acceptam fero eximiam hanc Iuris docendi provinciam, quam hodierno die laetus capesso, cuiusque fideliter regundae iam solemniter votum facio. Ius civile docere semper pulcrum fuisse, sua iam aetate declaravit Tullius, nec secus de praestantissimo illo munere hodie pronuntiandum. Beatum quidni me ipse praedicem? Rate per decem prope annorum spatium circumacta, iam in portu navigo. Singularem hanc felicitatem vestrae me debere benevolentiae uti persentio, ita illam grati animi testificatioue consequi prorsus nequeo. Neque is sum, qui iam in meo me pulvere currere autumem: benignae vero vestrae de me studiisque meis existimationi, saepius mihi luculenter probatae, satisfacere nullus possum: summa vero animi intentione enitar, ut, quidquid ingenio aut doctrinae desit, industria aliquando compensem. In Iurisprudentiae literarumque humaniorum studio iam vitae tabernacula collocare iuvat: Academiae civium commodis quantum possim prospicere dulcissimum erit ac sanctissimum officium. Et Vobis, ut per longam annorum seriem consiliorum vestrorum rationes ad Academiae L. B. salutem accommodare liceat, a Summo Numine ex animi sententia precor.

Vos autem, disciplinarum Professores, viri clarissimi, quos iam licet Collegarum nomine salutare, benevo!e advenam excipiatis peto. Singulis fere equidem testatus sum, quanti vestram faciam benevolentiam, qui arduae nec minus gratae viae mihi non comites tantum sitis, sed et duces. Adesse huic splendido coetui laetor viros gravissimos, qui iuri dicundo iustitiaeque tuendae in nostra Leidensi civitate praesunt. Eorum aliquando unus fui. Ad alia muneris publici officia designatus Traiectum abii: et commoranti autem et abeunti egregie apparuit, quanti habendum sit bonorum virorum consortium ad muneris bene gerendi facultatem explendam. Leidam reversus me in vestri ordinis societatem cooptari, maxime gaudeo; nec minus, ut illorum virorum familiaritatem, iam de novo restaurandam, summâ cum voluptate recordor, ita vestram amicitiam modeste flagito.

Quodsi vero hodierno die omnibus quasi incedam laetitiis, gratias imprimis Summo agere iuvat cunctorum honorum Largitori, quod non in defuncti Antecessoris locum sim suffectus, sed viro succedam viventi ac

vigenti, imo tam integra atque incorrupta gaudenti valetudine, ut illum septuaginta annos confecisse mehercle negaret, quisquis properantem adspiciat aut sermocinantem audiat. Praesenti viro celeberrimo gratulari non licet: illum vero equidem exemplum imitaturum esse auguror Romani illius; qui numquam se minus otiosum praedicabat, quam cum esset in otio. Dulcissima fruatur senectute, diuque eum incolumem servet Deus, in bonarum artium, Academiae nostrae, uxoris carissimae liberorumque emolumentum; suaque recondita sapientia per multos annos opituletur successori eius observantissimo.

In maxima autem felicitatis parte illud sane ponendum arbitror, quod iuridico iam adscriptus sim ordini, cuius vos socios compellare gestio, van Assen, Cock, Thorbecke. Laudes vestras praedicare, meum non est: cum pares nisi a paribus laudentur facile, et praesentibus blandiri humile sit. Nec tamen a votis me abstinere patiamini: collegam iuvenem doctrinae vestrae ubertate fulciatis, comitatis honore ornetis, enixe rogo. Te praesertim laeta mente compellare liceat, vir aestumatissime, quem mihi iungit cognatio, multum vero magis dulcissima amicitiae consuetudo, qua me gloriari sciunt omnes, quotquot adsunt familiares atque propinqui. Iurisprudentiae amoenum campum perlustravimus saepissime grata mihi fructuosaque confabulatione; te centies percontaturus adii, doctiorque domum reversus sum. Dicamne quaenam mihi sit futuri temporis exspectatio? Supervacuis parcere lubet verbis: tu vero mihi favere perge, ut ego tuam amicitiam colere ad rogum usque haud desinam.

Utinam vero huius diei solemnitati adesse licuisset illi viro, cui praeter Deum omnia me debere pius agnosco; quem per duodeviginti annos eandem hanc iuris cathedram ornasse testantur quicumque supersunt collegae, discipuli, cives. Cuius memoriam me hac opportunitate recolere, nemo sane vestrum, AA. aegre feret. Decimus quintus hisce diebus peractus est annus, a quo carissimum illud neque umquam satis lugendum caput, orbi literato, Universitati Groninganae, liberis repentina eripuit mors. Adolescens tunc temporis Academicum moestus intravi curriculum, quem laetissima ita fefellit spes, ut optimo patri diligens fidelisque forem discipulus. Solatium autem praebuere, quotquot virum dilexerunt, propinqui, amici, collegae. In quorum numero te fuisse, Cl. v. Oordt, non sine

animi commotione memini. Fugaces vides profecto labi annos: qui patre olim meo gavisus es collega coniunctissimo, iam filium eodem nomine compellas. Hunc tua praeteriti temporis testis amicitia ornare ne desistas! Tu vero, pater optime, si quae mortuis cum vivis est communio, benigno ore respice filium, qui praeclarum tuum muneris fortiter gesti exemplum semper sequi conabitur!

Ad vos tandem mea deflectit oratio, iuvenes optimi, carissimi, qui in celeberrima hac Musarum sede studiis operam navatis. Praeceptorem adspicitis, qui vobis studiorum comes ac socius, quam magister esse mavult. Iuris disciplinae incumbamus strenue, neque dubito fore quin brevi nos amicitiae iungat vinculum. Omnia enim in doctrina bene tradenda a mutuo docentis ac discentium amore proficisci, mihi sane persuasum est. Vobis equidem hanc fiduciam diligentiae habeo, qua mihi opus est, ut bono animo difficillimum suscipere queam munus: vos autem talem de me habeatis quaeso existimationem, quod nec tempori nec labori umquam sim parciturus, quoties de vestris studiis ornandis ac promovendis agetur. Neque ita in lectionibus frequentandis subsistatis: Ciceronis mementote de Crasso testimonium, quem affirmat et ingenio valuisse et studio et habuisse quasdam etiam domesticas disciplinas. Studiorum itaque non spectatores, sed et consortes esse velitis, illorumque mox insignem utilitatem in publicae vitae lucem proferatis. Vitae enim, non scholae discamus; sed hoc semper ob oculos habeamus, neminem ad vitam recte constituendam discere, qui genuinam studiorum rationem neglexerit. Sic qui hodie patriae estis spes, eiusdem aliquando ut ornamenta sitis, ex animo precor: precibus vero adnuat D. O. M.

Corrigat B. L. pag. 303, lin. 20 et 21, *illorum — referenda.*
illarum — referendae.

SERIES LECTIONUM

HABENDARUM POST FERIAS AESTIVAS A. MDCCCXLVIII.

FACULTAS PHIL. THEOR. ET LIT. HUMANIORUM.

A. RUTGERS NAHUMI Vaticinia et *Psalmos* selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis . . . . horâ IX.
et die Mercurii . . . . I.
Prim. SAMUELIS Libr. cursoria lectione tractare perget, d. Mart. I.
et die Jovis . . . . XII.
Antiquitates Israëlitarum explicabit, d. Lun., Mart. et Merc. XII.
Si qui sint, qui linguae Sanskritae elementa sibi explicari cupiant, eorum studia lubentissime adjuvabit.
Grammaticam Sanskritam docebit et Anthologiam Sanskritam a Cl. LASSENO editam, explicabit, die Lunae . . . . I—III.
et die Veneris . . . . XI.
Hitopadesam explicabit, die Veneris . . . . I—III.
Mahabharatam interpretabitur, die Jovis . . . . IX—XI.

M. SIEGENBEEK propter aetatem septuagenariam rude donatus, quantum per vires licebit, studiosae juventuti prodesse conabitur.

J. BAKE interpretabitur CICERONIS libros *de Oratore*, ratione habita edit. *Ellendtii*, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . IX.
Explicabit EURIPIDIS *Herculem Furentem*, et AESCHINIS orat. *Contra Cthiphontem*, iisdem diebus . . . . X.
Democratiae Atticae causam et formam illustrabit, diebus Lunae et Mercurii . . . . I.
Scholas Paedagogicas moderabuntur J. BAKE et C. G. COBET, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . II.

P. HOFMAN PEERLKAMP, restituta, ut sperat, valetudine, quas Scholas habiturus sit, post ferias dicet.

J. M. SCHRANT, Praecepta styli Neêrlandi seu Eloquentiae, nec non Oratoriae artis externae, tradet diebus Jovis, Veneris . . II.
et die Saturni . . . . X.

Historiam Patriae enarrabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii horâ II.
Antiquitates Germanicas interpretabitur, die Saturni . . . . XI—I.
Eloquentiae historiam criticam, cum veteris tum recentioris aevi, enarrabit, diebus et horis auditoribus commodis.

T. G. J. JUYNBOLL Sermonis Hebraei elementa tradet, tum Grammaticâ explicandâ, tum analyticis exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis, Mercurii . . . . VIII.
et die Jovis . . . . I.
Literarum Arabicarum, Chaldaicarum et Syriacarum initia docebit (duce Cl. ROORDA, WINERO, UHLEMANNO), diebus Jovis, Veneris et Saturni . . . . VIII.
Cum provectioribus Librum leget Arabicum *de expugnatione Memphidis et Alexandriae*, ab HAMAKERO editum, d. Mart. II.
Et HAMĀSAE Carmina cum TIBRĪZII Commentario, die Veneris XI—I.
Coranum, additâ lectione Commentarii Baidhawiani, die Jovis V—VII.
Chrestomathiam Syriacam KIRSCHII a Cl. BERNSTEINIO iterum editam, die Mercurii . . . . II.

J. H. STUFFKEN *Logicam* tradet, die Martis . . . . II.
die Jovis . . . . IX.
die Veneris . . . . XI.
Metaphysicam docebit, diebus Martis et Jovis . . . . X.
Historiam philosophiae explicabit, diebus Mercurii et Veneris II.
Paedagogicam exponet diebus et horis auditoribus commodis.

C. G. COBET, Prof. Extraord., Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Elementa Artis Metricae docebit, diebus Jovis et Veneris . I.
Initia Palaeographiae Graecae provectioribus explicabit, diebus Lunae et Mercurii . . . . I—III.
Disputandi exercitia publica moderabitur, die Jovis . . . . XI.

FACULTAS MEDICA.

M. J. MACQUELYN quantum rerum suarum ratio patietur, juventutis Academicae commodis inservire paratus est.

C. Pruys van der Hoeven Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . horâ I.
Medicinam practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie . . . . XI.
Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Jovis . . . . I.
G. C. B. Suringar Therapiam generalem docebit, d. Mart. et Jov. XII.
et die Saturni . . . . IX.
Pharmacognosin et naturalem remediorum Historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . XII.
Therapeuticum remediorum usum indicabit, d. Merc. et Ven. X.
Doctrinam morborum singularium tradet, d. Lun., Mart. et Jov. X.
Praxin medicam, ad lectulos aegrotantium, moderabitur, diebus singulis . . . . IX.
F. W. Krieger Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . VIII.
Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit, diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni . . . XII.
Collegio Casuali, diebus Martis et Veneris . . . . XII—III.
Operationes Chirurgicas, tum etiam Vincturarum et Fasciarum doctrinam demonstrabit, tempore opportuno, singulis diebus Saturni . . . . X—XII.
Doctrinam de morbis oculorum exponet, horis dein indicandis.
Medicinam Forensem, die Lunae et Jovis . . . . I.
A. E. Simon Thomas, Prof. Extraord., Theoriam Artis Obstetriciae exponet, diebus Martis, Jovis et Saturni . . . . VIII.
Praxin Obstetriciam tum, quoties necesse erit, moderabitur, tum de industria docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris I.
H. Halbertsma, Just. Fil., Prof. Extraord., Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . . . X.
Physiologiam observationibus microscopicis illustratam, iisdem diebus . . . . IX.
Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore . . I—III.
C. Pruys van der Hoeven et G. C. B. Suringar disputandi exercitiis praeërunt, die Jovis . . . . III.

FACULTAS JURIDICA.

H. G. Tydeman in ipsis feriis Emeritatum nactus cessabit a praelectionibus; non tamen cessabit in studiis, eorumque fructu studiosis lubentur communicando.

C. J. van Assen interpretabitur libros Digestorum duce Westenbergio, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . horâ IX.
Institutiones Juris Civilis Romani, d. Lun., Mart. et Merc. VIII.
Jus Civile hodiernum, diebus Lunae, Martis et Mercurii . II.
die Jovis . . . . X.
Ordinem judiciorum et rem judiciariam privatam cum exercitationibus forensibus, die Jovis . . . . IX.
et die Veneris . . . . IX et X.
Disput. exercitia moderabitur dieb. et hor. deinde constituendis.

H. Cock tradet Ordinem Judiciorum Crim., d. Lun., Mart. et Merc. VIII.
Jus Publicum et Gentium, diebus Lunae, Martis et Mercurii IX.
Jus Criminale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . X.
et die Jovis . . . . XI.
Jus Naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . . XI.

J. R. Thorbecke explicabit Statisticam patriae, d.Lun., Mart. et Merc. I.
Historiam Europae diplomaticam a regno Ludovici XIV usque ad Congressum Viennensem, iisdem diebus . . . . XII.
Oeconomiam politicam, iisdem diebus . . . . XI.
Jus Mercatorium, die Jovis . . . . XII.
et die Veneris . . . . XI et XII.
Scholas de Encyclopaedia et Methodologia Juris et de Historia Juris Romani quis habiturus sit et quibus horis, suo tempore indicabitur.

FACULTAS THEOLOGICA.

W. A. van Hengel Pauli Epistolam ad Romanos interpretabitur, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . VIII.
Hermeneuticam librorum Novi Testamenti tradet, d.Mart.etJov. VIII.
Theologiam Pastoralem docebit, diebus Lunae et Martis . . IX.

Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris horâ V sqq.
Oratoriae Sacrae exercitationibus praeërit, die Jovis . . . . I.

N. C. KIST Historiam Ecclesiasticam docebit inprimis mediam, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Christianae morum Disciplinae partem exponet historicam et theoreticam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . . XI.
Doctrinae et Dogmatum Christianorum Historiam tradet, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.
Historiae Ecclesiasticae Veteris monumenta exponet, die Martis XI.
Exercitia disputandi moderabitur, die Saturni . . . . II.
Orationibus Sacris praeërit, die Martis . . . . II.

J. F. VAN OORDT, J. G. FIL., Theologiam Christianam theoreticam tractabit, diebus Mercurii, Jovis et Veneris . . . . . . IX.
Euangelium Johannis interpretabitur, dieb. Lunae et Mercurii X.
Institutionem Antistitis et Oratoris S. exponet, d. Mart. et Jov. X.
Encyclopaediam theologicam tradet, die Mercurii . . . . . . I.
et Veneris . . . . X.

J. H. SCHOLTEN Theologiae Naturalis sive philosophiae de rebus divinis partem historicam exponet, diebus Lunae et Martis . . I.
Disquisitionem de Euangelii quarti origine et pretio, respectu in primis critices BAURIANAE instituet, dieb. Mart. et Jov. XI.
Colloquiis vacabit de theologiâ naturali, die Jovis, atque de Euangelio Johannis, die Veneris . . . . I.
Cum provectioribus leget epistolam PAULI ad Galatas, die Saturni, horis vespertinis . . . . VII—X.
Orationibus Sacris praeërit, die Mercurii . . . . II.
Publice disputandi exercitationibus praeërunt alternis hebdomadibus, die Saturni horâ I, alternatim J. F. VAN OORDT, J. G. FIL. et J. H. SCHOLTEN.

FACULTAS DISCIPLIN. MATHEM. ET PHYSIC.

C. G. C. REINWARDT Civium academicorum studia, quantum aetas et vires sinent, juvare paratus est.

J. DE GELDER Civium academicorum studia adjuvare paratus est, quantum per aetatem provectam licebit.

J. VAN DER HOEVEN Zoologiam docebit, d. Lun., Mart. et Merc. horâ XI.
Physiologiae quaedam capita, anatome comparata illustrata exponet, diebus Lunae et Veneris . . . . II.
Entomologiam vernaculo sermone publice docebit, die Martis II.
Mineralogiam docebit, diebus Martis et Jovis . . . . I.

A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . . IX.
Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit iisdem diebus XI.
Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii . . . . XII.
Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Jovis . . . . XII.
Experimenta instituendi artem docebit, et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.
Cum studiosis provectioribus de Physiologia chymica colloquetur, die Veneris horâ vespertinâ . . . . V—VIII.

G. J. VERDAM Elementa Geometriae planae et Trigonometriam planam tradet, die Jovis . . . . X.
et die Veneris . . . . IX et X.
Stereometriam et Trigonometriam sphaericam, hujusque usum, docebit, die Mercurii . . . . VIII.
et die Jovis . . . . IX.
Lectiones de *Calculo differentiali et integrali* et de *Mechanicâ analyticâ* habebit, diebus et horis commodis.
Scholas paedagogicas explicabit, die Lunae . . . . XI.

F. KAISER Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.
Astronomiam practicam, iisdem diebus . . . . X.
Arithmeticam universalem sive Algebram tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . II.
Artis observandi exercitiis quotidie praeërit.
Theoriam motus corporum coelestium, secundum Cl. GAUSS tradet, diebus et horis Auditoribus commodis.

Provectioribus discipulis disquisitiones Cl. HANSEN aliorumque, de perturbationibus, quas motus corporum coelestium patiuntur, aptis horis, commentabitur.

Astronomiam quam popularem vocant tradet, diebus Lunae et Mercurii, horâ vespertinâ . . . . horâ V.

Astronomiae primas notitias mathematicas tradet, iisdem diebus, horâ vespertinâ . . . . VI.

Singulos suos auditores, ad coelum, tubi optici ope, perlustrandum, aptis temporibus evocabit.

Si qui sint, qui Chronographiae et Calendariographiae operam dare cupiant, in auditorum commodum horas constituet.

G. H. DE VRIESE Phytographiae fundamenta tradet autumnali tempore matutino, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . VII.

Plantarum indigenarum et medica virtute praeditarum historiam illustrabit verno et aestivo tempore, dieb. horisq. iisdem.

Physiologiam plantarum exponet, d. Lun., Mart., Jov. et Ven. VIII.

Selectas demonstrabit familias naturales, iisdem diebus . . . I.

Excursionibus botanicis praeërit die Saturni, apta tempestate.

P. L. RIJKE, Prof. Extr., Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XII.

Physicam Mathematicam tradet, d. Lunae, Mercurii et Veneris VIII.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extr. ornatus, Numismaticam generalem tradet, diebus Lunae et Jovis . . . . I.

W. FLEMING, Litt. Anglicarum Lector, explicabit SHAKESPEARII Tragoediam, quae *Othello* vocatur, Poetaeque SCOTT carmen cui titulus: *Lady of the Lake*, d. Mart. et Ven. horâ post meridiem V.

Litterarum Anglicarum minus peritis privatis institutionibus aderit, diebus et horis, quae illis convenient.

C. A. X. G. F. SICHERER, Litt. Germ. Lector, GOETHII "Faustum" ejusdemque carmina quaedam lyrica selecta interpretabitur, diebus et horis, que auditoribus convenient.

Si qui sint, qui linguae Germanicae minus periti, Grammaticam doceri cupiant, iis quoque lubentissime vacabit.

NUMERUS ADOLESCENTIUM

QUI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

STUDIIS OPERAM NAVARUNT IPSO DIE 31 DECEMBRIS MDCCCXLVIII.

E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM.	E FACULTATE MEDICA.	E FACULTATE JURIDICA.	E FACULTATE THEOLOGICA.	E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	CUNCTUS NUMERUS.
37	88	213	87	13	438

In hunc numerum excepti sunt 111, quorum

in Facultate		Phil. Theor. et Litt. Hum. . . .	8
〃	〃	Medica	29
〃	〃	Juridica	44
〃	〃	Theologica	27
〃	〃	Disc. Math. et Phys.	3
			111

qui nomina in albo professi sunt, eo tantum consilio ut hic examinarentur, ceterum in diversis Athenaeis versantur.

SERIES

CANDIDATORUM QUI GRADUM DOCTORATUS ADEPTI SUNT

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

A DIE IX FEBRUARII MDCCCXLVIII AD DIEM VIII FEBRUARII MDCCCXLIX.

ANNO MDCCCXLVIII.

d. 11 Febr. HENRICUS VAN DAALEN, M. D., def. Thes. A. O. D.
d. 18 Febr. PAULUS HENRICUS GERAERDS THESING, def. Thes. J. U. D.
d. 23 Febr. HENRICUS NICOLAUS FREERIKS, M.D., ex Vleuten, def. Th. A. O. D.
d. 29 Febr. MICHAEL GUILIELMUS SCHELTEMA, Amstelod., def. Th. J. U. D. *cum laude*.
d. 9 Mart. JOANNES MATTHIAS RICHELLE, Udensis, M. D., def. Th. A. O. D.
PAULUS HENRICUS BERKHOUT, Leidensis, def. Diss. *de legibus annalibus*, J. U. D. *cum laude*.
d. 10 Mart. GEORGIUS ROYER, Zwollanus, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
GERHARDUS VAN DER SLUIS, Zwollanus, def. Thes. J. U. D.
d. 27 Mart. CORNELIUS ANTONIUS DE VASSY, Medioburg., def. Th. J. U. D.
d. 28 Mart. JANUS VAN DER FEEN, Medioburg, def. Th. J. U. D. *cum laude*.
FREDERICUS DE HAAN, Lemmerensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
d. 30 Mart. NICOLAUS MUNTENDAM, Medioburg., def. Th. J. U. D. *cum laude*.
DIDERICUS JOANNES MUNTENDAM, Amstelod., def. Diss. *de Sanguinis detractione*, M. D. *magna cum laude*.
STEPHANUS MUNTENDAM, ex Noordyk, def. Diss. *de Atelectasi pulmonum*, M. D. *magna cum laude*.
d. 31 Mart. ADRIANUS JACOBUS NIEUWENHUIS, Dav., def. Th. J. U. D. *cum laude*.
d. 4 April. NICOLAUS GUILIELMUS BERLAGE, Amst., def. Th. J. U. D. *cum laude*.
d. 6 April. GUILIELMUS FOCKENS MEYER, Gron., def. Th. J. U. D. *cum laude*.
d. 11 April. ANTONIUS PAULUS PHILIPPUS KIST, M. D., def. Thes. A. O. D.
d. 13 April. ALONSO ANTONIO DE FONSECA, Plymouth, def. Thes. J. U. D.
d. 17 April. CLAAS NOORDUYN, Noviomag., M. D., def. Thes. Chir. D.

d. 4 Maji. EMANUEL BENJAMIN ASSCHER, publice def. Diss. *de Plumbo ejusque praeparatis*, M. D. *cum laude*.
ARIS KORTER, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
d. 10 Maji. JANUS VAN GALEN, Tiberiacensis, M. D., def. Thes. A. O. D.
d. 13 Maji. CHRISTIANUS JOANNES DIEMONT, ex Bleskensgraaf, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
d. 19 Maji. ISAACUS HENRICUS VAN EYS, Amstelod., def. Diss. *de Vindicta privata*, J. U. D. *cum laude*.
d. 26 Maji. HENRICUS DIDERICUS GOLBACH, Ostendens., M.D., def. Th. A. O. D.
d. 2 Junii. JOHANNES LEONARDUS MELCHERS, Haganus, def. Thes. J. U. D. *magna cum laude*.
d. 6 Junii. JANUS JACOBUS FREDERICUS HENRICUS THEODORUS MERKUS DOORNIK, Indo-Bat., def. Diss. cont. *tres casus clinicos*, M. D. *magna c. laude*.
HERMANNUS VAN CAPELLE, Amstelod., publice def. Diss. cont. *nonnullas historias morborum*, M. D. *magna cum laude*.
d. 7 Junii. CHRISTIANUS MICHAEL ANTONIUS HAFKENSCHEID, Amstelod., def. Diss. *de Asphyxia*, M. D. *cum laude*.
d. 9 Junii. FREDERICUS DE KEVERBERG, ex Kessel, def. Th. J. U. D. *cum laude*.
d. 10 Junii. PETRUS JANUS WILHELMUS TEDING VAN BERKHOUT, Olstanus, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
JANUS JACOBUS WILLET, Amstelod., def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
d. 14 Junii. THEODORUS GUILIELMUS PASSTOORS, ex Groot Zundert, def. Diss. *de Venae Sectione*, M. D.
GUILIELMUS BERNARDUS WESTERMANN, Indo-Bat., def. Th. J. U. D. *c. laude*.
d. 15 Junii. ISIDORUS LEONIDES VAN PRAAG, Leidensis, publice def. Diss. exh. *Conspect. morbor. in clinice Cl. v. d. Hoeven observ.*, M. D. *magna c. laude*.
d. 19 Junii. CAROLUS CORNELIS, Ruraemondanus, def. Diss. *de Obligationibus in solidum*, J. U. D. *cum laude*.
DIONYSIUS JOSEPHUS MARTINUS PHILIPPUS MULDER, ex prom. Bonae Spei, publice def. Diss. *de clausula adj. emtioni venditioni, q. d. pactum de petro vendendo*, J. U. D. *cum laude*.
JOANNES ADRIANUS GERARDUS ROBYN, ex Texel, publice def. Diss. *de Nephritide*, M. D. *cum laude*.
JOANNES MATTHIAS SCHRANT, Haganus, M. D., def. Thes. Chir. D.

d. 20 Junii. Israel Mulder, Sam. F., Amstelod., publice def. Diss. *de placitis juris hod. circa rescriptum moratorium*, J. U. D. *cum laude.*

d. 21 Junii. Guilielmus Fredericus van Doorn, Medioburg., def. Diss. cont. *Observationes quasdam de cura civitatis erga pauperes*, J. U. D. *cum laude.*

d. 22 Junii. Petrus Heybrock, Amstelod., publice def. Diss. *de Pneumonia*, M. D. *cum laude.*

Janus Paulus Gildemeester, Amstelod., publice def. Diss. *de Spondylarthrocace*, M. D. *magna cum laude.*

d. 23 Junii. Nicolaus Abrahamus Seret, Heusdensis, publice def. Diss. *de usu sulphatis chinines externo*, M. D.

Nicolaus Henricus de Lange, Alcmariensis, def. Th. J. U. D. *cum laude.*

d. 27 Junii. Gerardus Joannes de Haas, Roterod., def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

Ludovicus Antonius Aloysius van Wensen, Leidensis, def. Diss. *de recusatione judicis*, J. U. D. *cum laude.*

Janus Adrianus van Ketwich Verschuur, Zwollanus, M. D., def. Thes. A. O. D.

Ludovicus Joannes Delbaere, Gandavensis, M. D., def. Th. A. O. D.

d. 28 Junii. Ludovicus Eustachius van der Maesen de Sombreff, Mosa-Traj., def. Thes. J. U. D.

Franciscus Joannes Guilielmus Lemzon Pynaker, Alphensis, def. Thes. J. U. D.

d. 29 Junii. Georgius Janus Antonius Faber, Hornanus, def. Thes. J. U. D. *magna cum laude.*

Maximilianus Neustaetter, Monachiensis, publice def. Diss. *de jure internationali*, J. U. D. *cum laude.*

Petrus Smits, Delphensis, def. Diss. *de ratione, quae est inter catamenia et morbos feminarum*, M. D. *magna cum laude.*

d. 30 Junii. Johannes Zeeman, ex Numansdorp, M. D., def. Thes. Chir. D.

Janus Matthias Smits, Neomagensis, def. Diss. *de definitionibus in L. II. C. C. N. obviis*, J. U. D. *magna cum laude.*

Bernardus DidericusÓsscher, Amstelod., publice def. Diss. *de cura politica, cui subjiciuntur damnati, poenam passi*, J. U. D. *cum laude.*

JACOBUS VAN SLINGELANDT, Haganus, def. Thes. J. U. D.
PETRUS VAN WAAS, Alcmar., def. Diss. *de Cephaelide Ipecacuanha*, M. D. *cum laude*.

d. 1 Julii. JOANNES PHILIPPUS ALBERTUS SILVERGIETER HOOGSTAD, Lochemensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
CORNELIUS RIPERTUS HENRICUS VAN LELYVELD, Leodiensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.
CORNELIUS JANUS LONCQ, JUNIOR, M. D., publice def. *Quaestionibus*, J. U. D. *cum laude*.
JERONIMUS ELIZA VAN DEN BROEK, Middelharn., def. Thes. J. U. D *cum laude*.
MARTINUS ANNE WYNAENDS, Delfensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude*.

d. 18 Sept. ARNOLDUS SANDERUS LEONARDUS GUILIELMUS GERARDUS ABELEVEN, ex Ubberge, def. Diss. *de Cholelithis*, M. D. *cum laude*.
FREDERICUS PETRUS HENRICUS COELE, Harlem., M. D., def. Th. A. O. D.

d. 19 Sept. SALOMO ELIAZER ROSEN, Amstelod., publice def. Diss. *de Dysenteria*, M. D. *cum laude*.
ERNESTUS FREDERICUS HOYACK, Amstelod., publice def. Diss. *de Chorioiditide*, M. D. *magna cum laude*.
EDUARDUS HENRICUS GERARDUS THYSSEN, Amstelod., publice def. Diss. *de Enchondromate*, M. D. *magna cum laude*.

d. 29 Sept. FRANCISCUS AUGUSTUS TOUSSAINT FRITZE, ex ins. Banka, def. Diss. *de cura prophylact. phtiseos pulmonalis*, M. D.

d. 5 Oct. CORNELIUS EKAMA, Leidensis, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 10 Oct. GERARDUS VROLIK, Amstelod., publice def. Diss. *de hyperostosi cranii*, M. D. *magna cum laude*.

d. 11 Oct. FREDERICUS JANUS ISAACUS SMIDT, Delfensis, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 17 Oct. GULIELMUS HUGO 's JACOB, Haganus, publice def. Diss. *de historia juris gratiae in Hollandia*, J. U. D. *cum laude*.
DAVID BERTRANDUS RYKE, Bruxellensis, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 25 Oct. GUILIELMUS GERARDUS VAN DE POLL, Haganus, publice def. Diss. cont. *hist. legum de regimine Communium ann.* 1798—1806, J. U. D. *cum laude*.

d. 28 Oct. FREDERICUS PHILIPPUS JACOBUS FLEUR, Indo-Bat., def. Thes. J. U. D.

d. 31 Oct. GOVERDUS HENRICUS EVERARDUS LUDEKING, Midliensis, def. Diss. *de Petro Foresto, Alcmariensi*, M. D. *cum laude.*

d. 2 Nov. ADRIANUS LEONARDUS SANDERUS VAN DER BOON MESCH, ex Hummelo, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 3 Nov. ALEXANDER GUILIELMUS VAN DER HOOP, Montibus Hannoviensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

AUGUSTUS PETRUS ANTONIUS SCHMIDT, Delfensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

JOHANNES ZEEMAN, ex Numansdorp, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 4 Nov. JOHANNES FREDERICUS VAN HULSTEYN, Noviomag., M. D., def. Th. A. O. D.

d. 8 Nov. HENRICUS VERBEEK, Amstelod., def. Diss. *de emphysemate pulmonum*, M. D. *cum laude.*

d. 16 Nov. JOHANNES VAN DER ELST, Dordracenus, def. Diss. *de aphthis neonatorum*, M. D. *cum laude.*

d. 24 Nov. JANUS JACOBUS BEAUJON, ex ins. Curacao, def. Diss. *de possessione (saisina) executoris testamentarii*, J. U. D. *cum laude.*

d. 7 Dec. HENRICUS BAPTISTA WEENINK, Amstelod., def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 8 Dec. GERHARDUS NICOLAUS DE STOPPELAAR, Medioburg., def. Diss. *de civitate Medioburgensi ejusque procurandae ratione variis temporibus*, J. U. D. *cum laude.*

d. 13 Dec. ADRIANUS PETRUS WESSELMAN VAN HELMOND, Helmondanus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 18 Dec. MARTINUS CHRISTIANUS SIMONS, Leovardiensis, def. Diss. *de Trachomate*, M. D. *cum laude.*

ISIDORUS LEONIDES VAN PRAAG, Leidensis, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 19 Dec. GREGORIUS BARNABAS JOHANNES HUBERTUS VERMEULEN, ex Boxtel, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 22 Dec. JOANNES PETRUS DRONKERS, Sassa-Gandensis, def. Thes. J. U. D.

GUILIELMUS JOANNES STOLWYK, Goudanus, M. D., def. Thes. A. O. D.

Anno MDCCCXLIX.

d. 18 Jan. Gulielmus Michael Helmich, Zwollanus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 26 Jan. Henricus Gustavus Quarles van Ufford, Haganus, def. Th. J. U. D. *cum laude.*

d. 29 Jan. Antonius David Fuhri, Roterod., def. Diss. *de potuum spirituosorum effectibus nocivis in corpus humanum*, M. D. *cum laude.*

d. 1 Febr. Petrus Fuhri, Roterod., M. D., def. Thes. A. O. D.

ACADEMIA

RHENO-TRAJECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A DIE XXVI MARTII A. MDCCCXL

USQUE AD DIEM XXV MARTII A. MDCCCXLVIII,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

DOCUERUNT.

PROFESSORES IN FACULTATE THEOLOGICA.

HERMANNUS BOUMAN.

HERMANNUS JOANNES ROYAARDS.

HENRICUS EGBERTUS VINKE.

IN FACULTATE JURIDICA.

HERMANNUS ARNTZENIUS, propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus, obiit A°. 1842.

JANUS RICHARDUS DE BRUEYS, obiit A°. 1848.

ADRIANUS CATHARINUS HOLTIUS.

JANUS ACKERSDYCK.

JOHANNES MICHAELIS FRANCISCUS BIRNBAUM, qui A°. 1840 in Universitatem Ludovicianam, quae Giessae est, vocatus, honorifice dimissus, Academiam hanc reliquit.

GEORGIUS GUILIELMUS VREEDE, inde ab A°. 1841.

BARTHOLDUS JACOBUS LINTELO DE GEER, Professor extraordinarius inde ab A°. 1847.

IN FACULTATE MEDICA.

NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY, inde ab A°. 1840 propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus, obiit A°. 1844.

BERNARDUS FRANCISCUS SUERMAN.

JANUS ISAACUS WOLTERBEEK, honorifice rude donatus.

JACOBUS LUDOVICUS CONRADUS SCHRÖDER VAN DER KOLK.

GOZEWINUS JANUS LONCQ, CORN. JAN. FIL., inde ab A°. 1840.

JOHANNES ANDREAS MULDER, inde ab A°. 1846, Prof. extraord., obiit 1847.

FRANCISCUS CORNELIUS DONDERS, Professor extraordin. inde ab A°. 1847.

AEMILIUS JANUS GUILIELMUS VON BAUMHAUER, Professor extraordinarius inde ab anno 1848.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

ANTONIUS VAN GOUDOEVER.

LUDOVICUS GERARDUS VISSCHER.

JACOBUS CORNELIUS SWYGHUISEN GROENEWOUD.

SIMON KARSTEN, inde ab A°. 1840.

CORNELIUS GUILIELMUS OPZOOMER, Professor extraord. inde ab A°. 1846.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY, inde ab A°. 1840 propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus, obiit A°. 1844.

JOANNES FRIDERICUS LUDOVICUS SCHRÖDER, inde ab A°. 1844 propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus, obiit A°. 1845.

JANUS KOPS, propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus.

THEODORUS GERARDUS VAN LIDTH DE JEUDE.

PETRUS JOANNES ISAACUS DE FREMERY, Professor extraordinarius.

RICHARDUS VAN REES.

CORNELIUS ADRIANUS BERGSMA.

GERARDUS JOHANNES MULDER, inde ab A°. 1840.

PETRUS HARTING, Prof. extraord. inde ab A°. 1843, Prof. ordin. inde ab A°. 1846.

GUILIELMUS WENCKEBACH, Professor extraordinarius inde ab A°. 1845, Professor ordinarius inde ab A°. 1846, obiit A°. 1847.

CHRISTOPHORUS HENRICUS DIDERICUS BUYS BALLOT, Professor extraordin. inde ab A°. 1847.

LECTORES.

SAMUEL NYHOFF, Linguae Graecae, obiit A°. 1847.

GERARDUS DORN SEIFFEN, Literarum Humaniorum.

JUSTUS HENRICUS KOCH, Linguae Germanicae, obiit A°. 1846.

GEORGIUS CAROLUS VERENET, Literarum Gallicarum, usque ad A^um^. 1846, quo in Civitatem Bernensem vocatus est.

JOHANNES ANDREAS MULDER, Chirurg. et Artis Obstetric. ab A°. 1841—1846.

ADOLPHUS STEPHANUS RUEB, Astronomiae, inde ab A°. 1843.

JENS JENSEN DODT VAN FLENSBURG, Linguae Germanicae, inde ab A°. 1841, obiit A°. 1847.

JAMES VENNING, Literarum Anglicarum, inde ab A°. 1841.

CHRISTOPHORUS HENRICUS DIDERICUS BUYS BALLOT, Math. et Phil. Natur., inde ab A°. 1845 usque ad A^um^. 1847.

JULIUS HENRICUS HISGEN, Literarum Germanicarum, inde ab A°. 1847.

ACTA ET GESTA IN SENATU.

A°. 1840.

Die 26 m. Martii, Academiae Natali, Rector Magnificus HENRICUS EGBERTUS VINKE, munus solenni ritu deposuit habita oratione *de Religionis Christianae in conformandis hominum animis iisque consolandis vi atque efficacitate*. (Ed. in Annalibus.)

Eodem die Vir Clar. ANTONIUS VAN GOUDOEVER, qui jam statim post HEUSDII mortem Curatorum rogatu Bibliothecae Academicae curam susceperat, eidem administrandae decreto Regio praefectus est.

Die 7 m. Maji. SIMON KARSTEN, Vir Doctiss. decreto Regio d. d. 4 m. Januarii Professor ordinarius in Facultate Phil. Theor. et Litt. Hum. creatus, praestito solenni jurejurando, munus ipsi delatum auspicatus est, habita oratione *de Litteris humanioribus cum philosophia copulandis*. Ed. Amstelod. sumtibus Mülleri.

Die 24 m. Junii. Vir Clar. JOHANNES MICHAELIS FRANCISCUS BIRNBAUM, Jurisprudentiae Prof. Ord. quum in Universitatem Ludovicianam, quae Giessae est, vocatus esset, decreto Regio honorifice dimissus, coram Senatu Academico munere se abdicavit et Academiam hanc reliquit, quam tam eruditione sua, quam humanitate sibi devinxerat.

Die 26 m. Julii. Vir lectissimus T. B. ADER decreto Regio Bibliothecae Academicae Custos, et Vir Doctissimus I. J. DODT, ejusdem Bibliothecae Amanuensis creati sunt.

43

Die 7 m. Septembris. Rector, comitantibus Assessoribus et Actuario, Regem Augustissimum, GUILIELMUM II, salutatum adiit, ut Regios honores nuper acceptos Ipsi Universitatis nomine gratularetur. Ad quam gratulationem Princeps benigne respondit, affirmans nihil optatius sibi esse quam ut Academiae splendori et litterarum artiumque commodis, quantum posset, inserviret.

Die 12 m. Septembris. Vir Clar. PETRUS JOANNES ISAACUS DE FREMERY decreto Regio d. 15 m. Julii Professor Extraordinarius Facultati Math. et Phil. Nat. adscriptus, locum ipsi designatum in Senatu occupavit.

Die 15 ejusdem mensis Viri Clar. GERARDUS JOHANNES MULDER et GOZEWINUS JANUS LONCQ, C. J. FIL., eodem decreto Professores Ordinarii, alter in Facultate Math. et Phil. Nat., alter in Ordine Medicorum creati, in Senatus Amplissimi conventu solenne jusjurandum dederunt. Quo ritu peracto Vir Clar. MULDER eodem die munus auspicatus est dicta oratione *de indole Chemiae qualis nostra aetate colitur.*

Die 23 ejusdem mensis Vir Clar. G. J. LONCQ, C. J. FIL., solenni item ritu munus inchoavit habita oratione *de historico fontium medicorum studio cum Clinicis exercitationibus juncto, optima medicae artis addiscendae via.*

A°. 1841.

Die 26 m. Martii. Academiae Rector Vir Clar. JANUS ACKERSDYCK munus solenni modo deposuit habita oratione *de Adamo Smithio.* Quum autem natalis dies ageretur conditae Academiae CCV^us^, ejusdemque instauratae XXV^us^, dies ille, multis nominibus laetus et memorabilis, festo gaudio celebratus est. Augebatur laetitia eo quod hoc ipso tempore contigisset Clarissimis hujus Academiae Professoribus, J. R. DE BRUEYS, A. VAN GOUDOEVER, J. F. L. SCHROEDER et B. F. SUERMAN XXV^um^ celebrare annum, a quo Academicam docendi provinciam suscepissent. Quam fortunam ipsis tam Collegae quam discipuli ex animi sententia congratulati sunt et vota fecerunt, ut diu eos salvos et incolumes Academiae servet Deus.

Die 29 m. Martii. Vir Consultissimus Georgius Guilielmus Vreede, decreto Regio d. d. 3 m. Februarii Jurisprudentiae Professor Ordinarius creatus, quum d. 26 m. Martii solenne jusjurandum praestitisset docendi munus suscepit habita oratione *de Antonio Matthaeo, primo juris criminalis in Acad. Ultrajectina doctore.*

Die 1 m. Aprilis diem obiit Vir Nobilissimus Rudolphus Guilielmus Jacobus van Pabst tot Bingerden, Collegio Curatorum Academiae Rheno-Trajectinae adscriptus, cujus commodis tuendis per multos annos deditus fuit.

In Viri desideratissimi locum deinde suffectus est Vir Nobilissimus J. K. Baro van Golstein.

Die 6 m. Aprilis. Quum graves excitatae essent sollicitudines de periculis Academicae institutioni imminentibus, Senatus, re explorata decrevit Libellum ad Regem Augustissimum scribere, quo tam publicae institutionis salus quam Academiarum incolumitas Ipsius curae tuenda commendaretur. Libellus in Senatus Academici conventu recitatus et probatus deinceps ad Regem missus est.

Die 18 m. Maji. Quum Rex Guilielmus II civitatem Rheno-Trajectinam solenni ritu viseret, Senatus Amplissimus, praeeunte Viro Nobilissimo Barone van der Capellen, Academiae Curatorum praeside, Regem adiit salutatum: cui salutationi Augustissimus Princeps benigne respondit et simul sollicitudinem nuper commotam exemit, affirmando, rumores de una Academiarum tollenda nuper sparsos pro vanis commentis esse habendos.

A°. 1842.

Die 17 m. Martii. Quum hoc die celebraretur Academiae Natalis, Rector Magnificus Jacobus Cornelius Swyghuisen Groenewoud magistratum deposuit habita solenni more oratione *de Korano.* Ed. Traj. ad Rhen. apud Bosch et Fil. 1842.

Die 24 m. Maji. Rescripto Ministri Regis Vir doctissimus JENS JENSEN DODT, et Vir cultissimus JAMES VENNING renunciati sunt, prior Germanicarum, alter Anglicarum Litterarum Lectores.

Die 7 m. Septembris. Ordo Medicorum cum Senatu communicat, se, lectis nuper editis Relationibus delectorum Virorum, quibus de re medica consultandi negotium a rege mandatum erat, in his nonnulla animadvertisse, quae medicarum artium institutioni noxia et plane improbanda judicaret, cum alia tum ea quae ad proprias medicinae Scholas condendas et medicorum examina per delectorum virorum collegia habenda spectarent. Quare Ordo Senatui proponit, ut hac de re deliberet et judicium suum cum Ministro Rerum Internarum per litteras communicet.

Senatus, cognitis rationibus, a Medicorum Ordine expositis, re deliberata, unanimi consensu judicavit, talia consilia, si rata forent, tam doctrinarum commodo quam Academiarum saluti obfutura: quare de Ordinis medicorum sententia, libellum hac de re ad Ministrum scribi jubet. Qui libellus in Senatu d. 17 m. Octobris recitatus et comprobatus, deinde ad Ministrum Rerum Internarum datus est.

Die 15 m. Novembris diem supremum obiit Vir Clar. HERMANNUS ARNTZENIUS, J. U. Dr. et Prof. emeritus, LXXVIII fere annos natus, quum per plurimos annos Academiam hanc tam animi candore quam doctrinae eruditione ornasset.

A°. 1843.

Die 22 m. Martii. Quum allatus esset nuntius, funus Viri Nobilissimi ANTONII REINHARDI FALCK in hanc urbem deduci ut sepulturae mandaretur, Senatus, memor excellentium illius Viri virtutum et meritorum in bonarum artium cultum et Academicam institutionem, exsequias ejus solenni pompa prosequi statuit, quo moerorem suum et pium tanti Viri desiderium palam testificaretur.

Die 24 m. Martii. Quum Academiae Natalis celebratio in hunc diem esset constituta, Rector Magnificus Gozewinus Janus Loncq, C. J. Fil., munus solenni ritu deposuit habita oratione *de mentis animique ad medicinam προπαιδεια, artis et scientiae causa, publicam institutionem curantibus vehementer commendanda.* Ed.

Die 28 m. Martii communicatum est cum Senatu decretum Regis d. d. 15 m. Februarii, quo Annales Academici et stipendia et certamina litteraria abrogata sunt. Cujus decreti nuntius Senatum magno affecit dolore, ratum quippe, id discentium studiis aeque atque Academiarum decori detrimento fore. Quam ob rem convocato Senatu in d. 19 m. Aprilis habita deliberatione, placuit Libellum mitti ad Ministrum Rerum Internarum, quo Senatus Academici judicium hac de re modeste significaretur et Rex oraretur, ut rationes, quae decreto illi obstare viderentur, benigne perpenderet. Collegae, quibus id negotium mandatum est, litteras super hac re scriptas in Senatum tulerunt, quae comprobatae et ad Ministrum datae sunt d. 21 m. Aprilis.

Die 16 m. Junii. Decreto Regio Vir doctissimus Adolphus Stephanus Rueb Astronomiae Lector est creatus.

Die 28 ejusdem mensis Vir Nobilissimus, Johannes Henricus Baro van Lynden a Lunenburg, felicem tam ipsi quam Academiae celebravit diem, quo completa erant quinque lustra, per quae Curatorum collegio adscriptus, Academiae commodis consuluerat. Quo die Professores pietatem suam erga venerandum senem cum gratulationibus declararunt, tum etiam existimationis suae monumentum pateram argenteam caelatam ei obtulerunt. His benivolentiae testimoniis Vir Nobilissimus liberaliter et splendide respondit, et simul favorem suum Academiae testatus est pretioso munere Bibliothecae donando.

Die 8 m. Decembris Vir Clar. Petrus Harting, antehac in Athenaeo Franquerano Professor Ordinarius decreto Regio d. 25 m. Junii hujus Academiae Facultati Math. et Phil. Nat. adscriptus, Professor Extraordinarius, data fidei asseveratione in Senatum receptus est.

A°. 1844.

Die 1 m. Martii. Ad Senatum relatum est, complures e diversis Ordinibus Professores, quum persuasum sibi haberent, certamina Litteraria non parum valere ad studiorum aemulationem alendam, optare ut certamina illa, nuper Regio decreto abrogata, in posterum Senatus Academici auspiciis et sumtibus restituerentur. Qua de re rogatis Senatorum sententiis visum est, id Senatus quidem nomine fieri minus consentaneum esse, ceterum singulis vel Professoribus vel Ordinibus liberum relinqui, quaestionibus et praemiis proprio sumtu propositis Cives Academicos ad certamina litteraria invitare.

Die 26 m. Martii, Academiae Natali, Rector Magnificus CORNELIUS ADRIANUS BERGSMA munus deposuit habita solenni oratione *de Oeconomiae ruralis studio in nostra patria nimis neglecto.*

Die 13 m. Octobris. Quum Laboratorium Chemicum nec amplum satis nec commodum esset, Amplissimus Curatorum rogatu Senatus urbis huic usui destinavit et Academiae concessit aedificium publicum, dictum *Leeuwenburgs Gasthuis*, quod aedificium deinde Curatores Academicis sumtibus Chemicorum in usum instruendum ornandumque curarunt.

Die 15 m. Novembris diem obiit Vir Clar. NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY, Med. et Phil. Nat. Prof. emeritus, annos natus LXXV, lugente Academia, cujus commodis per XXX paene annos indefesso labore inservierat.

A°. 1845.

Die 21 m. Januarii Vir doctissimus GUILIELMUS WENCKEBACH, prius in Academia militari Bredana Physices et Chemiae Lector, nuper decreto Regio d. d. 18 m. Octobris anni superioris Facultati Math. et Phil. Nat. Professor Extraordinarius adscriptus, praestito solenni jurejurando munus auspicatus est oratione habita *de Matheseos in Academiis tradendae consilio et methodo.* Ed.

Die 20 m. Martii diem obiit Vir Clar. Johannes Fredericus Ludovicus Schröder, Math. et Phil. Nat. Prof. annum LXXI^um agens, et triste sui desiderium reliquit Academiae cui per XXX annos fuerat ornamento.

Die 3 m. Aprilis. Quum in hunc diem dilata esset Natalis Academici celebratio, Rector Magnificus Hermannus Bouman magistratum deposuit habita solenni oratione *qua instituta Academica, quae XVII° seculo fuerunt in patria, cum iis, quae nunc ibidem sunt, breviter comparantur, et memoria celebratur Friderici Sigism. Alexander, Nicolai Cornelii de Fremery, Joannis Friderici Ludovici Schröder*, Ed. Traj. ad Rhen. apud J. G. van Terveen et filium, 1845. *Accedit annotatio litteraria.*

A°. 1846.

Die 26 m. Martii, Academiae Natali, Rector Magnificus Georgius Guilielmus Vreede munus solenni more deposuit habita oratione *de Juris publici in patria nostra studio theoretico.* Ed.

Die 26 m. Martii Viri Clarissimi Petrus Harting et Guilielmus Wenckebach, in Facultate Math. et Phil. Nat. Professores Extraordinarii decreto Regio d. d. 21 m. Januarii Ordinarii facti, in Senatu Amplissimo, alter fide religiosa data, alter praestito solenni jurejurando, delatum sibi munus susceperunt.

Eodem die Schröderi, Viri desideratissimi imago picta a vidua defuncti Senatui Academico donata est; quod munus gratissimo animo acceptum et in Senaculo affixum est.

Die 4 m. Junii Vir doctissimus Johannes Andreas Mulder, jam pridem decreto d. d. 23 m. Februarii 1841 Chirurgiae et Artis Obstetriciae Lector creatus et nunc decreto Regio d. 14 m. Februarii Professor Extraordinarius Ordini Medicorum adscriptus, dato jurejurando munus inchoavit habita oratione *de conjungendis diversis artis medicae partibus, ratione habita studii, praxeos, institutionis.* Ed.

Die 9 m. Junii Vir Consultissimus CORNELIUS GUILIELMUS OPZOOMER, decreto Regio d. 21 m. Januarii Professor Extraordinarius in Facultate Phil. theor. et Litt. hum. creatus, postquam solenne jusjurandum praestitit, munus auspicatus est oratione habita vernaculo sermone *de philosophia hominem secum conciliante.* (*De Wijsbegeerte den mensch met zichzelven verzoenende.*) Ed. Lugduni Batavorum apud Gebhard.

A°. 1847.

Die 2 m. Januarii diem supremum obiit Vir Clar. GUIL. WENCKEBACH, Math. et Phil. Nat. Prof. Ord. juvenis ereptus Academiae, quae ex salubri ejus doctrina uberrimos fructus se percepturam confidebat.

Die 25 m. Martii celebratus est Academiae Natalis, quo die Rector Magnificus SIMON KARSTEN munus deposuit habita solenni Oratione *de cautione adhibenda in Veri indagatione.* Ed. Traj. ad Rhen. apud Kemink et fil. 1847. Inest commemoratio V. Cl. WENCKEBACHII.

Die 4 m. Maji diem obiit Vir Clar. JOHANNES ANDREAS MULDER, Med. Obst. et Chirurg. Prof. Extr. Academiae huic, quam liberali cura sibi devinxerat, immatura morte ereptus.

d. 29 Maji. PETRUS LUDOVICUS DE MUYNK BREVET, Yzendyko-Zelandus, Med. et Art. Obst. Doct., privatim def. *Quaest. argum. Chirurgici.*

d. 1 Julii. AEMILIUS JANUS GUILIELMUS VON BAUMHAUER, Bruxellensis, Phil. Theor. Mag. Litt. Hum et Med. Doct., privatim def. *Quaest. argumenti Obstetricii.*

d. 2 Julii. GUILIELMUS JOANNES KUYPERS, Amstelodamensis, privatim def. Spec. exhib. *casum strangulationis intestinorum internae.*

d. 3 Julii. JOANNES CAROLUS PLOEM, e pago Gulpen, Limburg., priv. def. Spec. *de signis quae praebet percussio in tuberculosi pulmonum incipiente.*

d. 6 Nov. GUILIELMUS CORN. VAN DE WERK, e pago Erp, Med. Doct., def. privatim *Quaest. argumenti Obstetricii.*

d. 25 Nov. JANUS DANIEL CORNELIUS TITSINGH, Med. Doct., Rheno-Traj., privatim def. *Quaest. argumenti Obstetricii.*

FRANCISCUS SEBASTIANUS BEEKMAN, Ruramundanus, Med. et Art. Obst. Doct., privatim def. *Quaest. argumenti Chirurgici.*

d. 28 Nov. GUILIELMUS NICOLAUS KOOPMAN, ex urbe Montfoort, Med. Doct, privatim def. *Quaest. argumenti Obstetricii.*

1847.

d. 15 Mart. CLEMENS LENS, Rheno-Trajectinus, privatim def. Diss. Med. Obstetr. *de pelvi rachitica eiusque effectu in partu, cum observationibus.*

d. 19 Martii. AEMILIUS JANUS GUILIELMUS VON BAUMHAUER, Bruxellensis, Phil. Theor. Mag. Litt. Hum., Med. et Art. Obstetriciae Doct., priv. def. *Quaest. argumenti Chirurgici.*

d. 24 Martii. ARIUS ADRIANI, Horna-Westfrisius, def. Diss. Anatom. *de subtiliori pulmonum structura.*

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

1846.

d. 2 Julii. MARGARETUS CORNELIUS VERLOREN, Rheno-Trajectinus, def. privatim Disp. *qua tractatur caput Theoriae Chemiae de corporum chemicorum organicorum constitutione.*

1847.

d. 22 Martii. JANUS HENRICUS STEINIGEWEG, e pago Nootdorp, priv. def. Diss. *de Fluidorum facultate conducendi fluxum electricum.*

IN FACULTATE LITERARIA.

1846.

d. 13 Junii. ISAACUS DORN SEIFFEN, Rheno-Trajectinus, privatim def. Diss. *de Sex. Pompejo Magno Cn. Magni F.*

A°. 1847.

Rectore M. BERNARDO FRANCISCO SIJERMAN.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

d. 5 Maji. Henricus Christianus Millies, V. D. Minister apud Lutheranorum Euangelicorum coetum in urbe Trajectina, nuperrime nominatus Theol. Prof. in Seminario illorum, quod Amstelodami est, honoris caussa Theol. Doct.

IN FACULTATE JURIDICA.

d. 3 Maji. Joannes Huydecoper van Maarsseveen, def. privatim Spec. sist. *quaedam de historia et theoria mandati in regiminis forma repraesentativa.*

d. 15 Maji. Cornelius Jacobus Arnoldus den Tex, Amstelodamensis, publice def. Diss. *de causis criminum.*

d. 23 Junii. Bernardus Engelbertus Roelvink, Bredevordia-Gelrus, def. privatim Spec. contin. *Quaestiones ex jure hereditario desumtas.*

d. 24 Junii. Cornelius Georgius Hoogeveen, Rheno-Trajectinus, privat. def. Thesibus Juridicis inauguralibus.

d. 26 Junii. Simon Joannes Antonius van Walcheren, Schiedamensis, def. privatim Spec. contin. *Quaestiones Juris Civilis et Criminalis.*
Ludovicus Carolus Desiderius van Dyk, Harlemensis, def. privat. Spec. Polit.-Jurid. contin. *Historiam inquisitionis in delicta a Praefectis et officialibus in India cum Orientali tum Occidentali commissa.*
Jacobus Marius Adrianus Martini van Geffen, Sylvaducensis, privatim def. Thesibus Juridicis inauguralibus.

d. 1 Julii. Fredericus Ludovicus Rambonnet, Zutphaniensis, def. priv. Spec. *de iis quae recentiori aetate circa decimarum abrogationem acta sunt.*
Henricus Antonius van Rappard, Zutphaniensis, def. privatim Disq. *de excusatione testimonium dicendi in judiciis, eorum qui propter munus, professionem vel legitimam necessitudinem arcanorum sunt depositarii.*

d. 2 Julii. PETRUS JANUS GERLACHUS VERBEEK, e pago Loon op Zand, def. privatim Disq. Hist.-Jur. *de Fide in causis criminalibus testibus, qui dicuntur, famosis, habenda.*
OSCAR VAN DEN BERG, e Padang in insula Sumatra, Indo-Batavus, def. privatim Thesibus Jurid.
d. 30 Oct. JOHANNES PETRUS VAILLANT, Amstelodamensis, def. privatim Spec. *de Cassatione qualis Senatui supremo competit.*
JANUS RINK, Tiela-Gelrus, privatim def. Thesibus Jurid.
d. 1 Nov. GUILIELMUS CHRISTIANUS ALBARDA, ex pago Marrem-Frisius, def. privatim Thesibus Jurid.
d. 11 Dec. ERN. FREDERICUS JACOBUS WEERTS, Arnhemiensis, def. privatim propositionibus Juridicis.

1848.

d. 2 Febr. AUGUSTUS ADRIANUS ALEXANDER BESIER, Samaranga-Indus, privatim def. Spec. *de Juris Placeti historia in Belgio.*
d. 15 Martii. HERMANNUS BOSSCHA, Haganus, def. publ. Spec. Hist.-Polit. *de Institutionis procuratione ex antiquissimo jure publico in patria nostra.*

IN FACULTATE MEDICA.

1847.

d. 8 Maji. LUDOVICUS CHRISTIANUS VAN GOUDOEVER, Rheno-Trajectinus, Med. Doct., privatim def. *Quaest. Obstetriciis.*
d. 22 Junii. CAROLUS LEONARDUS JOANNES BACKER, Med. Doct., Rheno-Trajectinus, privatim def. *Quaest. argumenti Obstetricii.*
d. 30 Junii. CORNELIUS VAN ES VAN DEN ANDEL, ex pago Ameide, priv. def. Diss. Med. *de Endocarditide acuta.*
d. 3 Julii. JOHANNES HISSINK JANSSEN, Med. milit. secundi Ord, medicinam in Schola med. militari, quae Trajecti ad Rhenum est, docens, honoris caussa Med. Doctor.
d. 19 Oct. ABRAHAMUS AREND DORN SEIFFEN, Rheno-Trajectinus, Med. Doct., privatim def. *Quaest. argumenti Obstetricii.*
d. 23 Oct. JANUS BRUNE, Tiela-Gelrus, privatim def. Diss. *de Diarrhoea.*
d. 21 Dec. GUILIELMUS HENRICUS KAPTEYN, e pago Bodegraven, def. privatim Diss. *de Ictero calculoso.*

d. 22 Dec. Janus Prins Visser, e pago Sliedrecht, def. priv. Diss. exhib. *Casus selectos morborum medullae spinalis in Nosocom. Academ. observatos.*
Marinus Imans, Goudanus, def. privatim Spec. Med.-Chir. *de Paracenthese Thoracis.*

1848.

d. 14 Jan. Franciscus Sebastianus Hermus, Med. Doct., privatim def. *Quaest. argumenti Chirurgici.*

d. 4 Febr. Thomas Templeman van der Hoeven, Med. Doct., privatim def. *Thesibus argumenti Obstetricii.*

d. 19 Febr. Julius Jacobus Juda, Surinamensis, def. priv. Diss. exhib. *Tres casus morborum cordis organicorum in Nosocomio Academ. observatos.*

d. 29 Febr. Gerardus Joannes Boodt, Roterodamensis, privatim def. Spec. *de Pyelitide et Pyelo-Nephritide.*

d. 18 Martii. Adrianus van der Kloes, Amstelodamensis, privatim def. Spec. *de partu arte praematuro.*

d. 24 Martii. Guilielmus Johannes Fredericus Nuyens, ex pago Avenhorn, privatim def. Diss. *de Gastritide Chronica.*

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

1847.

d. Maji. Johannes Gerardus Henricus Swellengrebel, Rheno-Traj., privatim def. Diss. Mathem. *de quibusdam curvarum affinitatibus.*

d. 30 Junii. Petrus Fredericus Henricus Fromberg, Amstelodamensis, privatim def. Spec. Physiol.-Chem. *de Connexione inter plantarum vitam et partes constituentes.*

IN FACULTATE LITERARIA.

d. 13 Aug. Petrus Oosterbaan, Rheno-Trajectinus, def. privatim Spec. *M. Acci Plauti Mostellaria, editionis Bipontin. novissime recognitae et emendatae Aⁱ.* 1788, *cum Codice Manuscripto Leidensi collata.*

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

ANNO MDCCCXLVIII—MDCCCXLIX

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOS. NATURALIS.

J. KOPS *(Emeritus)*.
TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE.
R. VAN REES.
C. A. BERGSMA.
P. J. I. DE FREMERY *(Extraordinarius)*.
G. J. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUYS BALLOT *(Extraordin.)*.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

H. BOUMAN.
H. J. ROYAARDS.
H. E. VINKE.

IN FACULTATE JURIDICA.

A. C. HOLTIUS.
J. ACKERSDYCK.
G. W. VREEDE.
B. J. LINTELO DE GEER *(Extraordin.)*.
J. VAN HALL.

IN FACULTATE PHILOS. THEOR. ET LITT. HUM.

A. VAN GOUDOEVER.
J. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD.
L. G. VISSCHER.
S. KARSTEN.
C. W. OPZOOMER *(Extraordinarius)*.

IN FACULTATE MEDICA.

B. F. SUERMAN.
J. J. WOLTERBEEK *(Emeritus)*.
J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.
G. J. LONCQ, CORN. JAN. F.
F. C. DONDERS *(Extraordinarius)*.
E. J. W. VON BAUMHAUER *(Extraord.)*.

LECTORES.

Antiquarum Litt. G. DORN SEIFFEN.
Linguae Germanicae J. H. HISGEN.
Linguae Anglicae J. VENNING.
Astronomiae A. S. RUEB.

PETRI JOHANNIS ISAACI DE FREMERY

ORATIO

DE

JANO KOPSIO

EJUSQUE IN PATRIAM MERITIS,

HABITA PUBLICE

DIE XXIV MENSIS MAJI ANNI 1849,

CUM FESTUM ACADEMIAE ANNIVERSARIUM CELEBRARET.

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!

VARIARUM DISCIPLINARUM PROFESSORES! COLLEGAE UT PLURIMUM CONJUNCTISSIMI!

LECTOR PERITISSIME!

QUI IN REGNO BELGICO VEL CIVITATE TRAJECTINA, VEL REBUS ADMINISTRANDIS, VEL JUSTITIA TUENDA, VEL QUAVIS AUCTORITATE ESTIS CONSPICUI, VIRI AMPLISSIMI, GRAVISSIMI, HONORATISSIMI!

ARTIUM DOCTRINARUMQUE DOCTORES, VIRI DOCTISSIMI, CONSULTISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES, VIRI MAXIME VENERANDI!

STUDIOSAE JUVENTUTIS CORONA! HUJUS ACADEMIAE CIVES, COMMILITONES EXOPTATISSIMI!

VOS OMNES DENIQUE, QUI AD HANC SOLENNITATEM CONFLUXERITIS, CIVES, HOSPITES, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Est insolita certe dies qua hoc anno anniversarium Academiae festum celebrandi mihi incumbit officium. Ad illud celebrandum omnia jam erant parata, quum de repente ad nos tristissimus pervenit nuntius de aegrotante graviter dilectissimo Rege GUILIELMO II. Paulo post etiam gravius Academia totusque populus luxit, quum dilectissimi principis mors nobis nuntiaretur. Quis unquam universum populum singulosque cives magis vidit lugentes? Quis non graviter commovebatur, animo reputans, quae et quanta patria defuncto debuerit, qui plus semel libertatem ejus et incolumitatem armis defendisset et suo sanguine esset tutatus, qui ab uno quoque diligebatur, cui patriae salute nil fuit carius.

In tali luctu festum diem celebrare dedecori fuisset, nec vero animi ad solennia celebranda parati. In aliud igitur tempus deferri debuit Academiae natalis celebratio, quamquam designato ab augustissimo Rege Rectori munus a me erat tradendum traditumque fuit.

Jam illa mihi officii superest pars qua ex Academica lege declarem, quae huic Universitati, me rectore, aut prospera aut adversa acciderunt. Praeter haec vero quae lex praescribit, vult insuper consuetudo ut qui magistratum Academicum sunt depposituri verba faciant de argumento aliquo, disciplinae, quam in lectionibus tractare soleant, consentaneo.

Nullus vestrum dubitet, A. A. quin in animo habeam hac hora me et legi et consuetudini accommodare, sed simul persuasum sibi habeat, me diu anxium haesisse, quodnam argumentum dignum censeri posset de quo in hoc clarissimorum virorum conventu verba facere auderem.

Varia jam in censum venere argumenta, quorum singula suis premi difficultatibus videbantur; tamen ex illis aliquod eligendum mihi fuisset nisi et temporis opportunitas et grati animi sensus et in defunctum pietas jussisset non de re, sed de persona dicere.

Ineunte enim hoc anno conjunctissimus vobis omnibus collega mihique carissimus KOPSIUS nobis est ereptus, qui post longam senectutem et post utilissimos labores honorifico fruebatur otio.

Qui KOPSIUM cognoverunt, uno animo consentient, multum illi patriam debere, qui indefessis laboribus conatus est rem rusticam amplificare, et certis fundamentis, e physicis petitis disciplinis, superstruere. Praeterea inter felicissimos botanices cultores in patria jure censetur ejusque nomen cum ab indigenis tum a peregrinis praedicatur. Quapropter nec ab hoc loco neque a mea persona, qui per triginta fere annos firmis benivolentiae vinculis cum eo jungebar, alienum duxi, si hacce hora dicerem *de Jano Kopsio ejusque in patriam meritis.*

Antequam autem de eximio viro verba faciam, hoc sciatis velim, A. A. pleraque quae de eo sum dicturus, esse deprompta ex autobiographia, quam nobis reliquit, quaeque ideo majoris mihi videtur pretii, quia hac omnia continentur, quae ipsius publica munera spectant, additis rationibus quae ipsius laboribus ansam dederunt. Quare de iis quae KOPSIO contigerint aut quae perfecerit ipse, jam talem habemus auctorem cui magis

credere licet quam ei, qui ex minus certis fontibus haurire coactus ejus vitam scribere tentasset.

Natus est Kopsius die sexto mensis Martii, anni millesimi septingentesimi sexagesimi quinti, Amstelodami, ubi pater Jacobus degebat mercaturae operam navans. Mater erat Hillegonda Schotvanger, filia doctissimi Jani Schotvanger, in Teleobaptistarum coetu Amstelodamensi, qui *Noachi ab arca* nomen habebat, antistitis. Ab avo Jani nomen Kopsio datum. Ex octo liberis ipsius parentibus natis, ille fuit quintus et cum sorore Maria post aliquot annos solus superstes. — In prima jam pueritia matrem amisit, quare pater secundas iniit nuptias, anno millesimo septingentesimo septuagesimo secundo, cum Elisabetha Audrouin, Francicae origenis muliere. Illud vero matrimonium jam post undecim menses dura diremit mors, cum brevi post Kopsii pater morbo correptus e vita discessit. Ita novem annos natus patre matreque erat orbatus.

Ne tamen praematuram parentum mortem Kopsio nocuisse dicamus. Noverca egregia videtur fuisse femina, quae Janum proprii instar filii (quos non habebat) dilexit, omnemque curam in educatione Jani et Mariae posuit. Affines illius Harlemi degebant, quare, Amstelodamo relicto, in hanc se contulit urbem, ut ibi facilius liberorum educationi operam dare posset.

Amstelodami institutio Kopsii talis fuit, qualis eo tempore esse solebat. In schola Francica dicta variarum artium elementa, neque accurate addidicit.

Annus vero millesimus septingentesimus septuagesimus sextus Kopsio memorabilis fuit. Cum aliis enim adolescentibus commercium habens, inter hos prae caeteris amicitiam coluit cum Adriano Loosjes Petri Filio, qui unus in paucis ante hos quadraginta annos contulit ad colendas inter nostrates litteras patrias. Quamvis ille Kopsium aetate quatuor annorum superabat, tamen inter illos exstitit intimum commercium, quod utilissimos tulit fructus. Nimirum cum Adriano alii erant adolescentes et juvenes discendi amantissimi, qui patrias praesertim litteras colebant, reliquas, in his etiam classicas, non negligebant: imo recitandis et agendis principum tragicorum et comicorum nostratium fabulis delectabantur. Quae institutio eam bene dicendi facultatem juveni dedit, qua excelluit in posterum semper Kopsius.

Itaque tam ardenter ad tractandas litteras ducebatur, ut sibi proponeret se totum his dare, quamvis hoc propositum minime tutorum votis nec opinioni respondebat, qui rem mercatoriam illi plus emolumenti allaturam esse censebant. At ille omnem lucri spem scientiae acquirendae desiderio postponebat, nec desiit precari, donec illi concessum esset Gymnasium Harlemense adire.

Gymnasium illud prae caeteris, qualia eo tempore erant, non excellebat. Vix enim in superioribus classibus ad antiquorum scriptorum mentem percipiendam juvenum animi applicabantur; quare illa institutio non ita Kopsio placuit, ut se litteris Latinis ac Graecis simili ardore ac patriis litteris daret. Graecae linguae vix ulla opera dabatur.

Hoc jam tempore juvenis naturae cognoscendae studio, botanices praesertim, se teneri sentiebat, cujus rei peculiaris causa fuit. Celeberrimus nimirum botanices Professor David Gorterus, anno millesimo septingentesimo septuagesimo quinto vel sexto, per aliquot tempus Harlemi degebat, ibique lectiones botanices nonnullis coepit habere juvenibus. Quamvis Kopsii tenera aetas non sinebat, ut ipse hac institutione uteretur, tamen ex iis, quae hac de re ab amicissimo Loosjes accepit, tanto botanices ardore flagrabat, ut ipse jam plantas colligere, siccare et determinare inciperet. Ab eo tempore naturae studium semper carissimum ei permansit.

Quantopere se his studiis devinctum sentiret, patet ex oratiuncula quam pronuntiavit, cum a Gymnasio anno MDCCLXXXI discederet, *de Contemplatione naturae*, cujus ipse auctor fuit.

Relicto Gymnasio totum se naturae studiis dare desiderasset, si aliqua fuisset exspectatio, ut hac ratione suis prospicere posset commodis. Quod tamen vix fieri posse videbatur, cum Kopsio, ut uni e Teleobaptistarum coetu, nulla occasio concederetur publicum obtinendi munus, ut quae solis coetus Reformatorum sectatoribus paterent. Itaque ad studium Theologiae se contulit.

Ad haec studia colenda iis qui antistitum munere fungi apud Teleobaptistas optarent, unica patebat via, Seminarium adire, quod Amstelodami erat.

Seminarii hujus institutio tum nec numero doctorum nec fama gaudebat. Unus erat et diversarum disciplinarum theologicarum et earum quae propae-

deuticae dicuntur Professor H. OOSTERBAAN, qui praeter lectiones theologicas etiam mathesin, physicen et logicen docebat. Nec tamen hunc unum Teleobaptistarum studiosi adibant. Recipiebantur etiam in scholas, quae ab Athenaei Professoribus, viris clarissimis, habebantur. De litteris Orientalibus WALRAVENUM, de Graecis et Latinis celeberrimum WYTTENBACHIUM, de antiquitatibus Romanis TOLLIUM, exponentes audivit, quibus postea etiam SWINDENUS accessit, cujus eximias physices lectiones absoluto fere studiorum curriculo per annum audivit.

In studiis philosophiae imprimis ipse sibi fuit dux iisque magna industria se applicavit, quum praesertim LEIBNITZII *Theodiceam* et LOCKII celebratum opus *de humana cognitione* saepius ita legerit, ut illorum virorum praeceptis totus esset imbutus. Prae caeteris tamen scriptores nostri aevi nostraeque patriae KOPSIO arridebant, neque negandum, eum his plus impendisse operae quam reliquis disciplinis, uno excepto naturae studio.

Nec ipsa studia theologica magnopere KOPSIO placebant. Continebatur enim tota OOSTERBANII doctrina lectionibus, quas de systemate theologico et de Christiana morum disciplina ita tradere solebat, ut totum illud doctrinae corpus intra trium annorum spatium, *dictando* absolveret, nec explicationibus daretur locus, nec cum auditoribus de auditis tractatisque haberentur colloquia. Quid mirum igitur, A. A. talem docendi rationem ingenioso juveni, antiquis et nostris praesertim litteris imbuto, maxime displicuisse? Judicabat rite eadem et forte melius et certo facilius e variis libris addisci posse; quare variorum principum Theologorum scripta legere et ex iis quae utilia duceret notare coepit. Prae ceteris in tractandis DOEDERLEINI Institutionibus theologiae Christianae, WERENFELDTII opusculis theologicis, JERUSALEMMI operibus, NIEMEYERI Characterismo, HESSII Vitae Jesu et Regno Dei, GELLERTI Lectionibus moralibus versabatur. Ex iis excerpere et colligere assueverat quae majoris haberet momenti.

Nec tamen eo tantum tempore illa, memorabilia et utilia notandi consuetudo primum ei exstitit. Jam vix adolescens quatuordecim annorum id se adsuefecerat, ut in libro *adversariorum* omnia illa exscriberet, quae vel legisset vel audivisset adeo. Inde insignis illa commentariorum copia, e quibus postea in componendis edendisque scriptis tantum utilitatis expertus est. Hanc varii generis adversaria conficiendi consuetu-

dinem servavit, donec debilitata oculorum acies, ultimis vitae annis, ab illa desistere jussit.

Querebatur ipse de imperfecta institutione theologica, quam in Seminario Teleobaptistarum acceperat: nam exegesis vix tangebatur, cum, et historia ecclesiastica et doctrina de munere et officio antistitum et institutio catechetica penitus negligerentur.

Postquam OOSTERBANIUS Harlingam petivisset, celeberrimus GERARDUS HESSELING (anno 1786) illi successor est datus, cujus lectionibus per unum, quem eum audivit, annum multum se debuisse affirmavit KOPSIUS, qui eo tempore studiis brevi erat finem impositurus.

Ex iis, quae de tota institutionis ratione dicta sunt, evidenter apparet, KOPSIUM bene informari in scholis non potuisse, sed ipsum sibi praecipuum fuisse doctrinae ducem et auctorem. In his tamen plurima debuit JANO BROUWER, qui, absolutis Franequerae studiis litterariis, Seminarium Amstelodamense petiit arctissimisque amicitiae vinculis et quotidiana familiaritate cum eo fuit junctus. Ingenuus ille et acutissimus juvenis, litterarum amore ardens et theologiam et recentiores tractabat litteras, quibus copiosa ejus et selecta bibliotheca optime inserviebat. Nec in litterario orbe ignotus est BROUWER, postea apud Teleobaptistas Leovardienses antistes, qui in certaminibus litterariis pluribus palmam tulit, praesertim in illa Theologica et Litteraria societate quae a *Teylero* nomen habet.

Peractis hoc modo studiis Academicis, ut ad sacrum munus perveniret, scriptionem componere tenebatur. Tractavit argumentum, quo demonstrare conatus est, in rebus theologicis tolerantiam non ducere ad indifferentiam. Quae scriptio Seminarii Curatoribus, ex membris coetuum Amstelaedamensium depromptis, non magnopere placuit. Hi enim vix ferebant, juvenem sententiam profiteri suis opinionibus non consentaneam, nec mitiore ingenio erant Teleobaptistae Amstelodamenses quam Harlemenses.

Scriptio illa pars erat majoris operis, quod KOPSIUS susceperat. Nimirum anno MDCCLXXXV societas Teyleriana quaestionem proposuerat de perversa in rebus sacris indifferentia, deque modis quibus huic obsisti posset. Huic respondet KOPSIUS, conatus demonstrare, praescriptas qualescunque ab ecclesia formulas praecipuas indifferentiae in rebus sacris caussas esse

habendas, easque simul impedire, quominus vera rerum divinarum cognitio justo aestimetur pretio.

Ita placuit haec scriptio iis, qui de ea judicium tulerunt, ut aureo fuerit ornata praemio: quod eo magis admiramur, cum plures ad hoc certamen exhibitae sint commentationes, e quibus tres etiam praemium argenteum tulere.

Est hoc nobis indicium quali ardore KOPSIUS et quam felici cum successu se studiis dedisset, cum et plurima ipse perscrutari et variis disciplinis se dare et laudatum hoc opus scribere potuerit. Eo ipso enim tempore et cuncta HOOFTII et plurima BRANDTII opera perlegit, et ex poëtis nostris CATSIUM imprimis, dein HUYGENUM et CAMPHUSIUM accuratius tractavit.

Postquam mense Aprili anni MDCCLXXXVII, inter Teleobaptistarum candidatos fuerat receptus, paulo post ad sacrum munus vocatus est, et in Germaniae urbem *Crefeld* et in coetum *Lugduno-Batavum*. Palmam tulit antiquum *Lugdunum:* malebat enim patriae civium commodis inservire, quam in peregrina regione hospitibus prodesse.

Munus auspicatus est mense Februario sequentis anni.

Dum KOPSIUS Amstelodami degebat, majorem vim habere dissensiones illae inter cives coepere, quorum pars internam reipublicae formam mutandam penitus censebat, alii conservandam vel saltem leviter temperandam putabant. Ille a priorum partibus una cum omnibus fere amicis stetit, et toto animo eas amplexus est opiniones, quae Encyclopaedistarum scriptis maxime divulgata, post Americanam rerum conversionem magis magisque invaluere. Quod imprimis KOPSIUM in publicarum rerum conditione offendebat, fuit ecclesiae dominantis vis, quae ita cum rebus publicis cohaereret ut solis hujus ecclesiae sectatoribus aditus ad publica pateret munera.

Harlemi uxorem duxit CATHARINAM DAAMS; cum ea Lugdunum petivit ibique omni ardore difficili muneri sufficere conatus est.

Vidimus A. A. KOPSIUM plus sibi quam aliis debuisse, quum juvenilis institutio admodum imperfecta fuisset. Jam in antiquam musarum sedem delatus, commercium cum praeclaris viris aluit, inter quos H. A. SCHULTENSIUM, S. F. J. RAVIUM, J. VALCKENAERIUM, BRUGMANSIUM, P. NIEUWLANDUM, PALMIUM

nominasse sufficiat. Illorum familiaritate usus assiduisque studiis addictus ita se formavit, ut quae institutioni deessent facile suo sibi labore comparaverit.

Quamvis munere suo contentus, id tamen ei praecipue in votis erat, ut inter Teleobaptistas Harlemenses ad sacrum vocaretur munus. Nimirum coetus ille Harlemensis princeps haberi solet. Harlemi dulcissimam vitae partem peregerat. Ibi amici, cognati, uxoris parentes, carissimaque degebat soror. Harlemi vicini loci botanices cultoribus innumeram plantarum varietatem offerebant, neque haec studia negligebat. Quid mirum vota ipsius Harlemum tetendisse? Ut gratus Harlemensi coetui esset, multum impendebat otii, memoriae mandandis et recitandis orationibus sacris, quamvis non prompta valeret memoriae facultate.

Ecce, anno MDCCXCII, occasio nasci videbatur, quae votis ejus responderet. Moritur Venerandus DE HAAN, illius coetus antistes. Declarant coetus praefecti ut loco unius antistitis duo HANIO sint successuri; alterum horum KOPSIUM respicere dicuntur. Attamen fefellit spes: KOPSII loco GEUNSIUS, Leydensis ejus collega, vocatur.

Ingratissimum hoc illi fuit, qui summam vitae felicitatem in illo posuerat munere; sed consilia agitat homo, summum numen ea dirigit ita, ut hominis vera semper promoveatur felicitas. Gratissimo postea animo fatebatur, ipsum illud, quod eo tempore infaustum ei videbatur, futurae felicitatis fundamentum fuisse.

Vehementer hac re commotus, studiis litterariis et theologicis animum non satis a frustrata spe avocari sentiebat: quare aliis studiis remittere animum studet denuoque majori ardore botanicem colere incipit. Dulce naturae spectaculum, saluber aër, agri florentibus satis tecti, collectio variarum plantarum, cura his impendenda, animum a tristibus cogitationibus avocabant et optimum ei erant solatium.

Nec solatio tantum ei inserviebat botanices studium; ad provehendam et emendandam apud nostrates rem rusticam illud adhibere jam in animo habebat, quod eo facilius effici posse censuit, cum imminentem in patria rerum conversionem plurimas sublaturam esse caussas arbitraretur, quae provehendae huic rei adhuc obstabant. Agrorum culturam amplificandam et ad majorem perfectionem esse ducendam, et prae caeteris culturam in-

cultarum terrarum et divisionem illorum agrorum qui pluribus sunt communes hic in censum venire jam anno MDCCXCIII agnovit.

Jam ad illa accedimus tempora, quibus pateret, quid Kopsius in promovenda agricultura ad patriae commodum valeret, cum latior agendi ei aperiretur campus.

Peracta erat anni MDCCXCV conversio. Reipublicae quae dicebatur unitas promulgata, civium aequalitas politica lege sancita, ecclesia vinculis et nexu, quo cum republica jungebatur, soluta. Omnium civium ad implenda munera publica jus agnitum. Verbo: omnia ea locum habuere quae vehementer plurimi desiderabant patriae cives. An votis responderint, non hujus loci est declarare; nec tamen incertum, patriae prosperitatem non esse auctam.

Ad perficiendam illam conversionem pro virili contulit Kopsius, qui civium Leydensium suffragiis in hujus urbis Senatu occupavit sedem, imo illi praefuit atque omnibus viribus novum rerum ordinem adjuvit. Nec diu tamen his honoribus functus est; post sex menses denuo eligendus Senator, civium suffragia non tulit, et ad pristinas totus rediit occupationes.

Paulo post ea proferre coepit in commodum agriculturae, quae jam diu animo agitabat. Huc imprimis spectabat, ut cultura per totam patriam institueretur locorum asperorum, quae tesqua vocantur. Cum tamen admodum magna esset provinciarum vis, nec satis stabilita reipublicae unitas, primum illas incultas terras in oculis habuit, quae Hollandiae littora a maris impetu defendunt, quas Dunorum nomine cognovimus.

Itaque scripto libello, quo necessitatem utilitatemque culturae dunorum demonstraret, Ordines Provinciae Hollandiae adiit, consulens rem expertorum virorum submittere judicio; atque quo melius rei utilitatem ante oculos poneret, descriptionem edidit villae in dunis prope vicum *Castricum*.

Utili huic proposito suffragati sunt viri honestissimi J. van Heukelom, Petrus Hermanus Klaarenbeek et van Langen.

Sed uti in rebus novis et incognitis fit, plurimi se ei opposuerunt, propositum abjiciendum, quasi vanam spem alens, arbitrantes. Contra defendebant alii effeceruntque, ut anno MDCCXCVI ab Ordinibus Provinciae Hollandiae designaretur collegium virorum qui totam dunorum conditionem examinarent, quidque ad illorum conditionem emendandam in communem

publicamque utilitatem faciendum esset, declararent. KOPSIO graphiarii vices mandabantur. Methodus, quam in examinanda quaestione sequi oporteret, a KOPSIO est monstrata, qui omnem dunorum ambitum a Texelii littoribus usque ad Hollandiae meridionalis fines percurrit, et omnia lustrabat, perscrutabatur, denique perfectam sibi dunorum cognitionem comparavit.

Ex his memorabilis illa exstitit de dunorum statu et cultura scriptio, quae annis MDCCXCVIII et sequente duobus voluminibus in lucem prodiit, quaeque ansam dedit ut incultae sterilesque terrae, pro parte saltem, in egregios conversae sint agros, auctae prosperitatis hujus Hollandiae partis fontes.

Hucusque externa KOPSII conditio non fuit mutata. Anno MDCCXCVIII officium publicum Ministerii oeconomiae nationalis nomine est institutum, cui eximius praefectus est GOLDBERGIUS, qui ipse sequenti anno KOPSIUM rebus rusticis praefectum nominabat. Cogebatur igitur et antistitis munus in coetu *Leidensi* relinquere et mox *Hagae Comitis* degere. Ab eo inde tempore totum in rebus ruralibus occupatum eum videmus.

Prima ejus cura fuit, ut quantum fieri posset accuratam sibi agriculturae, qualis in variis patriae regionibus esset et excerceretur, compararet notitiam. Hoc consilio quaestiones eo spectantes viris agriculturae operam dantibus, et claris Societatibus, quae illam aut unice aut conjunctim cum aliis disciplinis colebant, missae sunt. Fuere hae quaestiones numero ducentae quinquaginta et duae, ita dispositae, ut primum de agrorum natura et conditione universe, dein de aggeribus, cerealibus aut aliis plantis, tertio, de earum cultura et illam excercendi modo, porro de pascuis, de pecoribus, de lacte et caseo, de nemoribus et arboribus, de conditione rusticorum, tandem, de incultis terris earumque usu esset agendum.

Postquam haec sibi comparaverat documenta, eo progressus est ut cum GOLDBERGIO, qui et alias publicae industriae partes examinaret, iter faceret per magnam patriae partem, inspiceretque omnia quae ad rem rusticam pertinerent, ut accepta ad quaestiones responsa cum suis observationibus comparare posset.

Iter hoc, quod per totam fere patriam extendebatur, Hollandiae meridionalis et Zeelandiae nonnullis partibus exceptis, quinque mensium tempore absolutum est. Quae observabantur, a KOPSIO sunt notata.

His cognitis, jam percipiebat vir summus, si quid esset pro promovenda agricultura faciendum, continuo opus esse ut viri ejus periti, in singulis

patriae regionibus, ejus curae toti se darent. Hinc natum est consilium in singulis Provinciis agriculturae collegia instituendi, ita composita, ut aut cultiores inter rusticos aut oppidani ruri degentes ibique suas habentes possessiones, horum collegiorum essent socii, adscripto illis graphiario, homine in rebus agrariis et disciplinis cum his conjunctis versatissimo, qui ita majorem operis partem in se susciperet et cum agriculturae praefecto commercium haberet.

Collegiis his mandabatur, ut ad illum quotannis referrent de toto agriculturae statu, de segetibus, de rebus agendis, de meteorologica atmospherae conditione; verbo, de omnibus iis, quae rem rusticam spectarent. Propositum quoque est, ut collegia illa legatos eligerent, qui Hagam Comitis quotannis convenirent, ut quid in commodum agriculturae faciendum esset viderent. Inter illos Kopsius, ut agriculturae praefectus, graphiarii agebat partes.

Res, quae primum multiplicibus premi videbatur difficultatibus, postea successit. Quippe consilium, jam anno MDCCCII institutum, non ante annum MDCCCV sub Pensionario Schimmelpenninckio, suadente et adjuvante imprimis acutissimo Henrico van Straalen, rebus internis praefecto, optatos habuit effectus.

Quantum fructus collegia illa agriculturae attulerint, satis notum est. Hoc unum animadvertendum, illud institutum inter ea esse quibus hodieque patria gloriatur.

Si vobis omnia narrare vellem, A. A. quae Kopsius in usum agriculturae fecerit, longus forem: itaque memorare sufficiet, illum fuisse auctorem, ut lex ad emendandam equorum progeniem, imperfecta illa nec scopo respondens, mutata sit; ut materies, qua hic illic utuntur rustici ad fructificandos agros, quae a nostratibus negligebatur et ad exteros avehebatur, in patria manserit et ad augendum agriculturae commodum sit adhibita; item operam dedisse, ut ad majorem utilitatem adhiberetur tributum rusticis praescriptum pro arcenda lue bovina, e quo in posterum schola exstitit Veterinaria dicta, pluraque alia.

Inter praecipuas tamen res, quae Kopsio curae cordique erant, ponendum est studium terras incultas in fertiles convertendi agros.

Sub regimine Ludovici Napoleontis regis Hollandiae, dum Capellius,

rebus internis erat praefectus, qui omnibus vocibus promovendam esse agriculturam censebat, primae propositae sunt leges, quae rem illam regerent. Mox secutis infelicibus temporibus sub Francorum dominatione, in oblivione jacuerunt. Post restitutam vero patriam, denuo novo ardore rem aggressus est KOPSIUS, quamvis rerum internarum praefectus ROËLLIUS his non faveret et oblivioni fere traderet. Tandem anno MDCCCXXIII judicio triumvirorum, VAN DER BORCH V. VERWOLDE, VAN ASCH VAN WYCK et KOPS, res submittebatur, qui de ejusmodi legum utilitate ad regem GUILIELMUM I retulerunt. Tamen ad hunc usque diem non siverunt tempora ut utilissimae illae leges perferrentur tota patria, quamvis in nonnullis partibus, saltem in Transisalana Provincia sunt perlatae usuique plane respondent.

Antequam tamen iis, quae de KOPSII agriculturae praefecti meritis dicenda habeo finem sum impositurus, duo addenda sunt, quae et luculenter docent, quomodo omni animi vi publicum studeret promovere commodum, et quali perseverantia ea prosequeretur quae bona, utilia, necessaria agnovisset.

Primum in censum venit egregium opus, quod titulo Horrei rerum rusticarum ab A°. MDCCCII—XIV edidit, quod sex comprehenditur voluminibus. Scribendi hujus operis duplex fuit opportunitas; KOPSIUS nimirum inceperat apud Ministerium rerum internarum colligere praecipua agriculturam spectantia diaria, quae in variis Europae partibus vulgarentur, ut videret, quid patriae agriculturae accommodari posset. His non contentus et animadvertens, omnia illa parum afferre utilitatis, nisi publice paterent quae illis continerentur, statim sibi proposuit ejusmodi diarium edere. Manum operi admovet, nec contentus dare, quae ab externis acceperat, novum penitus et patrium opus suscepit et peregit ita, ut omnium approbatione gauderet.

Quatuor a se invicem distinctis partibus hoc opus continetur. In prima parte memorantur omnia, quae reipublicae rectores in agriculturae commodum facere utile existimarent, acta publica, leges. In altera locus iis conceditur, quae ad cognitionem et historiam agriculturae pertinent. In tertia acta Societatum in patria, quatenus agriculturam spectent; in quarta tandem reperiuntur, quae in peregrinis regionibus, inventa, mutata, probata, in patriam introduci posse viderentur. Coronam operi imponunt librorum rela-

tiones. Praeter illa, quae ad acta publica pertinent, quorum maxima item pars Kopsium auctorem habet, reliqua ab ipso sunt scripta.

Qui rem accurate cognoverint, uno consentiunt animo, hoc opus plurimum contulisse, ut majori quam antea pretio agricultura apud nostrates haberetur et excitaretur studium fructuosissimae illius artis, quam nostris temporibus magis magisque extolli videmus.

Arcte cum illo opere cohaeret alterum, quod non minus indefessum Kopsii laborem testatur. Vidimus, collegiis agriculturae in singulis provinciis mandatum esse ut ad praefectum mitterent libellos, quibus omnia indicarentur, quae ad agriculturae conditionem quotannis pertinerent. Ex his omnibus solebat Kopsius commentarium conficere, quo totus agriculturae status in patria per hunc annum declararetur. Ab A°. MDCCCVI—XXVIII in hoc opere perseveravit, et si quo alio, certe hoc labore patriae commodis inservivit, quum vix aliquod opus reperiatur, quod majoris momenti ad agriculturae historiam statisticam in patria cognoscendam censeri possit.

Tandem quoque hic memorandum, quid fecerit Kopsius pro exstruendo Museo instrumentorum rusticorum.

Agricultura ut rite exerceatur, bonis indiget instrumentis, locorum, agrorum, terrarum etiam conditioni accommodatis. Diversa haec sunt in diversis patriae partibus, diversis item exteri utuntur. Omnia illa instrumenta colligere et publice exponere, praesertim ea quibus patrii utuntur agricolae, utilissimum sine dubio est negotium, quo quis videre possit, quibus instrumentis et ipse uti queat.

Haec fuit Kopsii ratio, cum anno MDCCCVIII proponeret museum instrumentorum ruralium condere et in civitate Rheno-Trajectina collocare, quippe propter situm in media patria ad id accommodatissima.

Ita etiam Ludovicus, eo tempore Hollandiae rex, judicavit et tale museum condi jussit, quae res tamen non ita cito perfici potuit, cum instrumenta in variis patriae locis confici et undique colligi deberent, quod aliquantum postulabat temporis. Interea exortae difficultates impediverunt quo minus hoc museum Trajecti collocaretur. Tandem Amstelodami anno MDCCCXI publicis usibus apertum est. Kopsius, huic praefectus, nec labori nec curae pepercit, ut collectio illa augeretur et communi omnium utilitati inserviret: quare aditus unicuique quotidie patebat hodieque patet, ubi licet

instrumenta depingere, metiri, imo datur facile occasio talia hic conficiendi. Repetitis conatibus tentavit KOPSIUS museum illud Trajectum transmittere, sed modo civitatis Amstelodamensis Rectores huic proposito se opposuere, modo alia exsurgebant impedimenta. Indefesso tamen ardore idem ad propositum redibat KOPSIUS, donec tandem res secundum votum ei successit, nobisque contigit museum, hujus urbis insigne ornamentum, ad hunc diem hic adspicere.

Quantum utilitatis inde fluxerit et adhuc percipiatur, declarant praeter alia innumeri hospites qui illud quotannis visitant, magnus instrumentorum numerus quod depingitur aut conficitur, ita ut omnes persuasum sibi habeant, id plurimum ad amplificandam agriculturam valuisse et etiam nunc valere.

Ab anno MDCCXCIX usque ad finem anni MDCCCXII KOPSIUS agriculturae praefectus fuit, ultimisque temporibus Amstelodami vixit.

Mutata rerum conditio sub Francorum dominatione fecit, ut munus illud abrogaretur. Attamen laboribus suis id effecit KOPSIUS, ut quae in commodum agriculturae ordinaverat, pro parte immutata manserint, inter haec collegia agriculturae. Ipse collegii quod in Provincia, tum maris meridionalis dicta, ex Hollandiae Septentrionalis et Trajectinae provinciae conjunctione nata, constitutum est, fuit graphiarius. Servatum etiam est Museum instrumentorum rusticorum.

Instaurata patria, ad pristinos rediit labores, donec anno MDCCCXV honorifice munere agriculturae Praefecti est abdicatus, cum illud ipsum abrogaretur, et Professoris in Academia Rheno-Trajectina dignitate ornatus.

Restaurata et amplificata cum reliquis Universitatibus Academia Rheno-Trajectina, KOPSIUS fuit designatus, qui primus in patria Academicas de Oeconomia rurali haberet lectiones, simulque botanicen doceret. Hoc munus auspicatus est, habita die XIII Februarii, anni MDCCCXVI oratione *de utilitate in Academiis tradendae Oeconomiae ruralis:* in qua oratione demonstratur, quem fructum variarum disciplinarum studiosi ex oeconomiae ruralis studio percipere, et si perceperint; in patriae emolumentum adhibere possint.

Videmus itaque KOPSIUM publice doctoris oeconomiae ruralis munere ornatum. Quaeret forte quis, quomodo ille qui per magnum vitae spatium publicis gerendis rebus operam dederat, nunc provectiore aetate docendi

munere fungeretur? Huic respondeo, KOPSIUM et semper versatum fuisse in iis rebus, quae cum disciplinis arte erant conjunctae, et tam per proprias investigationes quam per institutionis suae viam, magis quam alios se assuevisse, ut de variis rebus cogitaret et ipse sibi formaret suam propriamque sententiam: quare et in docendo non jurare in magistrorum verba solebat, sed lucide et clare ea exponebat, quae accommodata erant ad oeconomiam ruralem apud nostrates cognoscendam et amplificandam.

OOSTERBANII deterritus exemplo, cujus methodus illi taedio fuerat, in nova illa disciplina tradenda praecipua fundamenta breviter dictare solebat, eaque postea fusius exponere et de dubiis disputare locis. Illa agendi methodus multum placuit et primis saltem annis plurimi studiosi jurisprudentiae, medicinae aliique, qui institutiones de oeconomia rurali audire non tenebantur, his intererant; imo nonnulli de eo argumento dissertationes scripserunt. Testis sit laudata illa GER. VAN LEEUWEN dissertatio oeconomico-politico-juridica *de effectu juris dominii agrorum in populorum et patriam agriculturam*, ad quam scribendam KOPSIUS ei auctor et adjutor exstitit.

Quod in docendis oeconomiae ruralis fundamentis desiderabat KOPSIUS hoc erat, ut ea penitus niterentur principiis, quae ex disciplinarum physicarum legibus essent deprompta. Agriculturam ad physicas existimabat pertinere disciplinas.

Primas agriculturae necessitudines ponebat in cognitione et analysi diversarum terrarum, quoad conditionem et numerum materiarum ex quibus sunt compositae, ut inde noscatur, quaenam plantae optime in iis crescant, ut his accommodari possint varia laetaminum genera. Vult porro ut perfecte cognoscantur plantae, non illae tantum quae utiles et necessariae habentur, sed et noxiae; ut botanices fundamentis sit imbutus, qui via et ratione agriculturam tractet. Postulat ut physicas sibi comparaverit notiones, mechanicas praesertim, quibus de instrumentis ruralibus judicium ferre licet; insuper et illas quae ad meteorologiam spectant. Utilissimum ducit, ut Zoologiae et Anatomiae comparatae non sit ignarus, quibus nempe imbutus et pecorum saluti operam dare et noxia cognoscere animalia ac profligare possit.

Haec omnia discipulis explicare et ad patriam agriculturam adhibere solebat. Agnoscatis tamen, illa omnia non ad hodiernam disciplinarum

rationem exigenda esse. Chemiae praecipue in lectionibus desiderabatur interior cognitio. In mentem revocemus, omnes quae agriculturae inserviunt disciplinas plurimos et maximos fecisse progressus tales quales vix eo tempore suspiciebantur. Sed oeconomiam ruralem ita tradidit, qualis ejus tum erat status, principes in hac viros, THAERIUM aliosque secutus.

Agriculturam tamen patriam imprimis respexit cujus emendandae conditioni omnes animi vires impendebat. Huc ejus tendebant scripta. Hoc docet oratio, quam habuit in prima classe Instituti regii artium doctrinarumque, quum diceret: *De solo patrio prae aliis Europae regionibus agriculturae aptissimo.*

Inde cunjunctione Belgii cum nostris provinciis vehementer gaudebat, quippe facile concedens, Belgarum agros colendi rationem nostrae plerumque praestare, indeque amplificatum iri nostras res rusticas sibi persuasum habens. Quaenam hac de re ipsius esset sententia, declaravit cum Academiae gerundae munus deponeret, oratione ex hoc ipso loco habita, *De emolumentis, quae ex Batavorum et Belgarum conjunctione in unum regnum agriculturae per totam patriam accesserint.*

Nonne vobis videtur, A. A. nobis monstrasse KOPSIUS, quomodo oeconomia ruralis in usum Academicum et in patriae commodum tractare oporteat, et egregium hujus disciplinae doctorem se praestitisse?

Sed in solis tractandis rebus rusticis non versabatur ejus munus; Botanicen item docere tenebatur, et quid in hac valuerit attendendum.

Vidimus KOPSIUM, jam a prima adolescentia, maxime fuisse delectatum colligendis siccandisque plantis non solum, sed iis secundum certas botanices regulas ordinandis. Ita jam XIV annos natus, annotationibus scriptis Floram Harlemensem, imperfectissimum opus, adumbravit.

Cognitionem botanices per omnem studiorum cursum coluit. Ita continuo in GORTERI Flora septem provinciarum locos notavit, in quibus plantae crescant, quas colligebat. Post annum MDCCXCII eidem studio magis magisque se dedit, idque in rebus adversis illi fuit solatium. Praesertim eam botanices colebat partem, quae patrias spectat plantas; quare ejus hac in re opera magis et citius fuere cognita et inter patriae botanicos celebrari coepta est. Nec mirum hoc ansam dedisse ut Flora Batava, cujus operis merita ubivis agnoscuntur, a KOPSIO ederetur.

Desiderabant nimirum nonnulli, ut plantarum patriarum delineationes et descriptiones in lucem ederentur. Propositum est ut hae delineationes peterentur e variis operibus botanicis, imprimis e CURTISII Flora Londinensi; suadentibus MATHIA GEUNSIO et MARTINO MARUMIO, KOPSIUM adiere, qui plantarum descriptiones et usum iconibus adjungeret. KOPSIUS, diu hortantibus praeclaris illis viris, rem suscepit, neque tamen ita ut ab editoribus fuerat propositum. Opus revera patrium edendum esse censuit, icones non exprimendas ab aliis duxit, sed primum plantas esse colligendas, dein a perito harum rerum artifice esse depingendas, tandem descriptiones adjungendas. Rite perspexit, adscitas et expressas ab aliis icones veram et genuinam plantarum formam, qualis apud nos observatur, referre non posse. Itaque si habituri essemus Floram vere Batavam, totum opus hic necessario perficiendum judicavit. Ab editoribus probata fuit illa sententia, quo factum est, ut Flora Batava revera patria sit dicenda. Plurimi et ingeniosissimi artifices ad delineandas plantas contulerunt, inter quos primo loco nominandus est celeberrimus florum pictor G. J. I. VAN OSCH, qui ad ducentas plantas, operi inservientes, delineavit.

Totius operis scopus fuit, et plantas indigenas cognoscere et earum sedem determinare et usum denique indicare. Ad primum attingendum propositum pertinet plantarum dispositio accurataque definitio secundum LINNAEI systema, adjecto cujuscunque plantae loco, quem in ordine naturali a LINNAEO proposito occupat. Quamvis enim KOPSIUS systemata botanica, naturalia, quae dicuntur, magni faceret, et in his ordinandis LINNAEI, JUSSIEUII, DECANDOLLII sagacitatem admiraretur, tamen judicabat, systema artificiale, quale LINNAEI est, majori botanicis esse usui in determinandis ordinandisque plantis praesertim incognitis, quarum locus hujus systematis ope facile inveniatur, quod difficilius multo in systematibus naturalibus obtinet.

Quae ad edendam Floram Batavam pertinerent, usque ad annum MDCCCXXV solus peregit, et ita quartam fere operis partem absolvit.

Eo tempore prodierat clarissimi HALLII, discipuli carissimi, laudatum opus, Flora Belgii Septentrionalis. Hoc libro continetur omnium patriae plantarum huc usque cognitarum accuratissima descriptio, secundum genera et species dispositarum: quare KOPSIUS facilius jam esse censuit edere

plantarum figuras, quales in Flora Batava reperiuntur, idque lubenter amicissimo HALLIO reliquit, qui Floram Batavam una cum eo edere perrexit. KOPSIUS praesertim ad plantarum usus attendebat.

In ipsa Flora Batava aliud insuper attendit; nomina quippe Belgica, quibus plantae in variis dignoscuntur regionibus, varia erant; inde continui errores. Tentavit unicum cuique plantae suumque reddere nomen, tam felici eventu, ut quum Pharmacopoea ederetur Batava (anno MDCCCV), hujus auctores omnia, quae ad versionem in vernaculum sermonem, de botanicis plantarum nominibus pertinerent, KOPSIO mandaverint; idemque fecere postea scriptores pharmacopoeae Belgicae. His laboribus jam certius et accuratius definitae sunt plantarum generum et specierum nostro sermone appellationes.

In docendis botanices fundamentis LINNAEI philosophiam botanicam explicare solebat. Attendebat ut descriptiones plantarum recte cognoscerentur. Multum operis in explicanda physiologia plantarum adhibuit, quamvis haec botanices pars difficilior ei videbatur; nititur enim magna pro parte chemicis principiis; hujus autem disciplinae interiorem cognitionem acquirendi KOPSIO plane defuerat occasio: quare si in hac muneris parte minus bene res ei successerit, vituperio illi non erit habendum.

Botanices cultoribus KOPSII nomen cognitum et suo habitum fuisse pretio, vel inde nobis apparet, quod plurimae societates botanicae extra patriam illum sociis adscripserunt; item quod Clarissimus BLUMIUS, Florae Javanae auctor, novo detecto plantarum genere in insula Java, id KOPSIAM denominavit, ut nomen ejus inter botanicos doctiores in posterum celebraretur.

Discipuli doctorem honorant, declarantque quid in docendo valuerit. Si igitur videmus ex KOPSII schola tales prodiisse discipulos, quales Cl. HALLIUS, ne plures nominem, persuasum mihi habeo, vos inter praecipuos botanices cultores, quibus patria gloriatur, KOPSIUM habituros, ut qui BOERHAAVII, GORTERI aliorumque vestigia secutus, cum VROLIKIO, REINWARDTIO, BLUMIO, patriae in hac disciplina splendorem auxerit et stabiliverit.

Nec unice rebus rusticis aut disciplina botanica provehenda patriae prospicere conatus est; in omnibus, quae utilia duxit, suum afferre lapillum officium habuit. Ita totius populi culturam promovere studebat, emen-

dandis scholis, augendis discendi opportunitatibus, quare et Societati Utilitatis publicae adscriptus erat, et quae haec sibi proponebat omni ardore sustentabat; unde factum ut ubivis ad illam regundam appellaretur: ita Leydae ludis litterariis ab hac societate conditis praefuit; idem Hagae Comitis obtinuit, Amstelodami autem plus semel inter societatis praefectos sedem tenuit, nec aliter Trajecti fuit.

Mirifice ad id assequendum illi profuit cognitio, quam sibi nostrarum litterarum acquisiverat. Ex antiquioribus scriptoribus inter poëtas prae caeteris CATSIUM diligebat, illumque revera doctorem popularem dicendum putabat. Totum CATSIUM cognoverat non tantum, sed magnum ejus versuum numerum memoria retinebat et data commoda occasione solebat recitare.

Ex hoc CATSII amore, potius dicam veneratione, nata est memorabilis illa oratio, quam habentem eum audivimus, cum Societas Utilitatis publicae festum semiseculare hic celebraret, de JACOBO CATSIO poëta revera populari, utilitatis publicae promotore. Placuit illa oratio mirifice et quod ad argumenti tractationem, nec minus quod ad elocutionem et actionem attinet.

In tractandis scriptoribus patriis non solum attendebat ad orationis et linguae puritatem observandam, ad sententiarum et rerum mentem cognoscendam, sed et in praelegendis illis ad rectam pronuntiationem.

Adolescens et juvenis in tragoediis et comoediis recitandis magno cum successu erat versatus, qua in re plurimum debuit exemplo ingeniosissimi VAN WALRÉ, sororis carissimae mariti, qui inter poëtas nostrates dein suum dignumque locum occupavit. Ita KOPSIUS aeque bene in tragicis ac comicis fabulis rem agebat, ut testantur illi, qui Harlemi illum vel personam *Werfii* in Leydae obsidione, vel *Jacobi Simonis F. Rykii* in tragoedia cognomine, vel *Bruti* aut *Lusignani* in VOLTARII classicis operibus, vel, ut de comicis loquar, *Sanchonis Panchae* et *Kamasi* aut *Raasbollii* in LANGENDYKII *Don Quixoto* et *Puella profuga* aut *Bankogreni* in HOLBERGII comoedia viderunt.

Illa bene dicendi consuetudo effecit ut summam etiam curam in pronuntiandis orationibus haberet, et unus e paucis esset qui in externae orationis forma plurimum elaboraret eamque rem disciplinae instar tractaret. Inde magis quam alii solent LAVATERIANAE se applicaverat physiognomiae

cognitioni, atque ENGELII opus de eloquentia externa penitus cognitum habebat et suum fecerat. Ita conatus est bene dicendi praecepta in publicam utilitatem edere: quo proposito, Francio duce, librum edidit, specimina artis oratoriae externae continentem, qui liber magno applausu acceptus est et a peritis judicibus justo habetur pretio.

Tam ex his quam ex iis, quae in reliquis hujus orationis locis attigi, luculenter apparet, principem KOPSIO locum inter eos, qui patriis litteris operam dederunt non esse negandum, illumque abunde et hac ratione contulisse ad patriarum litterarum cultum promovendum.

Plurimorum item animos religionis sensu imbuit pronuntiandis orationibus sacris. Inter omnes quos peragebat labores semper ei carum, de Christiana doctrina deque rebus sacris coram populo dicere. Postquam antistitis munus deposuerat, nec Hagae Comitis in Remonstrantium coetu (Teleobaptistarum enim coetus illic non est) nec Amstelodami nec in hac urbe desiit orationes habere sacras, imo in coetu Trajectino quovis mense illas pronuntiantem eum audivimus. Sermones graves elegantesque simul, doctrinam morum plurimum spectantes, saepe personarum sacrarum et Christi imprimis exemplum sequendum monentes, nunquam non auditorum animos altius erigentes. Ita illi licuit quinquagesimum a suscepto antistitis munere diem anniversarium anno MDCCCXXXVIII celebrare.

Agnoscitis omnes, et istis sermonibus et suo non minus exemplo KOPSIUM hominis vere Christiani nobis monstrasse imaginem.

Si itaque reputemus omnia quae effecit vir egregius, nonne vobis videtur dignus, qui sane in illis celebretur quibus patria revera curae cordique esset? nonne meretur ut inter clarissimos patriae viros ipse clarus censeatur ejusque mortem justo luctu persequamur?

Si ad viri virtutes attendamus, ardenti patriae amore, obsequio erga amicos, caritate in parentes, in uxorem, in liberos flagrantem eum agnovimus, quibus singularis laboris contentio, propositi constantia, et morum amoenitas juncta cernebatur. Judicium illi erat promptum, dicendi facultas exquisita, oratio simplex et elegans. Prae omnibus quid aequum, quid rectum esset respiciebat, nec vi nec pretio ab hoc recedebat. Probus erat, respiciens semper non quae hujus terrae, sed quae altioris sunt patriae.

Laetabatur quod sibi fuisset concessum de Deo deque rebus divinis ad populum loqui; sacrum munus prae caeteris illi carum; Christianam doctrinam aliis aperiens ipse verus erat Christianus, id sibi proponens ut divi magistri premeret passus.

Ita vixit ad ultimam usque senectutem. Posteriore vitae anno duris cruciatus doloribus ad illum semper respexit, qui solus solatium afferre potest miseris. Paucis ante mortem horis hoc mihi affirmabat, Camphusii poëtae verbis usus, omnia quae sibi a summo numine contingerent bona esse atque utilia. Ita placide animam exspiravit, die IX mensis Januarii hujus anni, aetatis anno fere octogesimo quarto.

Ne invideamus illi quietem post diuturnam vitam, totam fere patriae commodis dicatam. Restant ejus labores, restat virtutum memoria, gratoque agnoscamus animo, si utilis fuit ejus vita, mortem illi lucro futuram.

REQUIESCAT IN PACE.

Jam alteram officii partem aggredior. Postulat enim hujus diei solennitas, ut quae Academiae prospera et adversa, me rectore, contigerint enarrem.

Bona fuere plurima, nec pauciora tamen mala. Si primum ad vestrum ordinem me converto, Viri Amplissimi, hujus Academiae Curatores, ab alio occupatam video sedem, quam Amplissimus vester Praeses Godardus Alexander Gerardus Philippus Baro a Capellen tenere solebat. Superiore anno vix in patriam redux, quum hiemem, ut solebat, Lutetiae Parisiorum degisset, ubi magnae rerum conversionis testis fuerat quae mense Februario ibi locum habuit, vehementer hac re animo commotus et aegrotante jam corpore, tamen hujus diei solennitati adesse desideravit. Postero jam die gravissimo corripitur morbo, cui nullis compescendo remediis brevi post succubuit.

Nec viribus meis accommodatum nec hujus est loci vobis Capellium depingere. Si verum est, quod est verissimum, magnum virum nisi a magno viro laudari non posse, ita etiam solus ille, qui in rebus publicis gerendis et administrandis clarus est, judicium de Capellio, in his rebus clarissimo, ferre potest. Quid ego post Vreedium aliosque de Capellio dicam? An

vobis describam, quomodo juvenis ardente doctrinarum studio ductus, primum in hac alma matre in eas incubuerit; quomodo deinde egregii Wernecku ductus praeceptis ab Hugonis, Heereni, Blumenbachii, Sartorii, Martensii imprimis, ore pependerit, sibique insignem variarum doctrinarum copiam comparaverit? Quid postea in variis rebus publicis gerendis egerit? primum in provincia nostra Trajectina, Amplissimi Lyndeni, hujus regionis praefecti, graphiarius, dein in regno Hollandiae ipse Frisiae Orientalis praefectus, cum paulo post a Ludovico rege rebus internis Regni administrandis praepositus est.

In gerendis illis rebus difficili hoc tempore assidue conabatur agriculturam ad majorem ducere perfectionem, tueri sanitatem incolarum promovenda quam maxime variolarum vaccinarum insertione, et alia instituta utilia adjuvare. Postquam patria ingentis imperii Francici a Napoleonte fuit declarata pars, Capellius frustra rogabatur ut se rebus administrandis dicaret; patriae amantissimus, dominationem principis externi aegre ferebat et ad vitam privatam rediit. Post repulsos extraneos reviviscente patria sub dilectissimo principe Arausiaco, nihil Capellio fuit dulcius quam vitam et vires patriae saluti impendere. Ita anno MDCCCXIV a Rege Guilielmo I summus Provinciarum Belgicarum praefectus nominatus, in hoc difficili magistratu amorem incolarum harum regionum sibi conciliavit, qui aegre eum discedentem viderunt, quum Regis Augustissimi votis respondens summi Gubernatoris Coloniarum Neerlandicarum in India Orientali provinciam in se suscipere non recusavit.

Declarent alii, quibus rationibus salutem et prosperitatem incolarum longinquarum illarum regionum cum patriae commodis et necessitudinibus conciliare conatus sit; quaenam utilissimae institutiones ab illo fuerint conditae; quid ad aperiendam harum regionum cognitionem Rafflesii, Marsdenii aliorumque vestigia premens, fecerit; quomodo et Reinwardtio nostro et Hasseltio et Kuhlio aliisque pluribus naturae scrutatoribus in investigationibus succurrerit; quid egerit ad emendandam incolarum conditionem; quomodo fundamenta florentis illarum coloniarum conditionis ab illo fuerint posita per undecim annorum praefecturam: meas vires huic rei non esse pares, persuasum mihi habeo; hoc unum addam, colonos et incolas harum regionum Capellium semper magni fecisse et amore esse prosecutos sicut paucis contigit.

Post reditum in patriam, privati hominis conditionem et otium cum dignitate sibi optavit. Qui tanta et talia perfecit, jure hoc otio gaudet.

Post Amplissimi BEAUFORTII obitum A°. MDCCCXIX collegii Curatorum Praeses a rege declaratus, id continuo egit, ut quod fructuosum Academiae, quod utile putaret, id viribus omnibus persequeretur et Academiae splendorem, quantum posset, augeret.

Ita per viginti fere annos saluti Academiae consuluit. Plura facere non siverunt temporum difficultates, donec gravissimo correptus morbo ineunte mense Aprili anni superioris e vita decessit. Luget eum patria, luget Academia. Exiguus est eorum numerus, qui per vitae decursum talia tantaque egerunt, quanta CAPELLIUS. Ipsius memoria et in patria et in longinquis Indiae oris ab iis servatur, qui patriae amore ducti id unum quaerunt, quid verum, quid utile sit. *Sit illi terra levis!*

Gaudemus quam maxime quod te incolumem hic adspicimus, illustrissime LYNDEN A LUNENBURG, venerande senex. Nemo certe Te dignior fuit, cui ab Augustissimo Rege CAPELLII sedes decerneretur. Per triginta annorum spatium Curatoris munere functo, Tibi quid Academia desideret, quid postulent disciplinae, magis quam cuiquam notum, et quantopere Academia Tibi cordi sit, grati omnes agnoscimus et experientia cognovimus.

Paucis contigit quod summum numen tibi superiore anno concessit, festum celebrare de rebus publicis per sexaginta annorum spatium ita gestis, ut omnes uno animo laudes tuas extollant. Diu adhuc in commodum Academiae, patriae et cognatorum servet te Deus!

Liceat etiam te hic salutare, Amplissime RAVI A GAMEREN, Vir Gravissime. Declaravit jam decessor meus, nomen tuum in Annalibus Academiae Trajectinae et Lugduno-Batavae esse clarissimum; et avus et pater Tuus earum fuere ornamenta. A te certo expectamus fore ut omnibus viribus Academiae commodum et gloriam promoveas, et sicut integerrimus magistratus ab omnibus agnosceris, ita non solum, quid utile, sed etiam quid justum et aequum sit respicias. Fruare diu honoribus tibi concessis et felix sit tibi vita!

Neque minora a te expectamus, Amplissime VAN NES A MEERKERK. Vehementer gaudebamus omnes, quum nobis nuntiabatur, Te Curatorum collegio fuisse adscriptum. Persuasum nobis erat, commoda Academiae a Te eadem animi constantia, eodem mentis vigore promotum iri, quo jam ante

hos triginta annos in Ordinibus Generalibus de imminente patriae periculo vocem extulisti, quae, eheu! tunc neglecta fuit. Sero tibi honores sunt concessi, sed sat cito, cum omnes consentiant, digniori illos tribui potuisse nemini. Tibi corpore et mente vegeta concedatur diu adhuc Academiae saluti insignes animi dotes impendere. Ita et tua augeatur felicitas et prospera, Te duce, sit Academia.

Si oculos in vos converto, Viri Clarissimi, diversarum disciplinarum Professores, denuo et tristitiae et laetitiae video causas. Quam maxime gaudemus plurimos vestrum salvos hic adesse, et novum gratissimumque nobis omnibus collegam in vestrum numerum receptum esse; sed et alios videmus deesse, quos dura mors, quae nec juvenilibus annis nec senectuti parcit, nobis eripuit.

Et quidem maximus natu et minimus diem obiere supremum. De Kopsio me jam dicentem audivistis, sed et Baumhaueri mihi in animum est revocanda memoria, quem primum in hoc coetu collegam salutare animus mihi fuerat; qui postquam per aliquot menses institutioni Academicae juventutis vires impendit, praematura morte viduae, quacum per paucas hebdomades erat conjunctus, parentibus amantissimis, amicis et Academiae florentissima aetate est ereptus.

Quid de Baumhaueri vita vobis enarrem? quid de iis quae pro Academia fecit, cui ostensus, non datus fuit, ut vix tempus ei esset concessum, ut monstraret, quid de eo sperandum fuisset?

Natus erat Emilius Janus Guilielmus von Baumhauer Bruxellis, die XXIV mensis Januarii anni MDCCCXIX, ubi pater summum in summo tribunali locum tenebat: qua urbe post rerum in Belgio conversionem relicta, cum uxore et quatuor filiis Trajectum venit. Ibi institutione illa liberali usus est collega noster, cui et in scholis et in Gymnasio hujus urbis facile occasio datur.

Ingenium facile res percipiebat et retinebat, dum pater continuo ad laborem excitabat, nec fere sinebat ut juvenilibus ludis et oblectamentis filii indulgerent.

Hinc assiduus Baumhauero labor quasi altera natura fuit, et licuit ei, postquam ad studia Academica esset promotus, in varias disciplinas pari ardore incumbere.

Ex his naturae cognitio ei prae caeteris arridebat: quare se studiis physicis et medicis dicavit et in his scholis inter eximios discipulos plurimorum nostrorum collegarum censebatur. Sed et vinculum inter omnes disciplinas ad majorem culturam ducere perspiciebat, quare et litterarum studia minime neglexit sed, monente imprimis patre, tanto se ardore his studiis dedit, ut summos in Philosophia theoretica et Litteris humanioribus honores consecutus sit, defensa Commentatione in librum qui inter Hippocraticos exstat *περὶ φύσεως ἀνθρωπίνης*.

In medicis non minus quam in litterarum et disciplinarum physicarum studiis ardoris et assiduitatis dedit documenta. Monstravit quid indefessa industria efficere possit, quum omnes, praesertim qui cum eo studiis operam dabant, optimi harum rerum judices, agnoscant, eum magis perseverantia quam eminenti ingenio insignem fuisse. Sed ita in studia incubuit ut omnes medicinae partes tractare conatus sit, neglecta penitus nulla, idque ita ei successit, ut summis honoribus in Medicina, Chirurgia et Arte Obstetricia ornari omnium consensu potuerit, scripta pro acquirendo Medicinae Doctoris gradu Dissertatione *de Venenis irritantibus anorganicis*.

Relicta Academia, occasio Baumhauero data est, sibi in majori clinico Amstelodamensi, quod extraneum dicitur, majorem practicae medicinae cognitionem comparandi majoremque aegrotorum numerum tractandi quam in minori clinico Academico fieri potest; praecipue autem difficillimam illam tractandi medicinae partem, quae circa medicationem et curationem mente captorum versatur, singularem illic occasionem avide arripuit, et primum Medici primarii adjutoris, dein Medici secundarii partes egit.

Post aliquod tempus Daventriam vocatus et Medicus majoris illius instituti, in quo mente capti in Provincia Transisalana curantur, designatus est. Et Daventriae et Amstelodami ita suo munere functus est, ut omnium laudibus dignus censeretur, qui et indefesso labore et accurata investigatione et animi humanitate nihil arduum vel asperum censeret, dummodo ad salutem aegrotantium conducere posset.

Post repentinam Mulderi mortem, Academiae Curatores Baumhauerum elegerunt qui illi succederet, et Augustissimi regis decreto Medicinae Professor extraordinarius est nominatus. Antequam autem munus aggressus est, suscepto itinere id continuo sibi proposuit, ut observaret, quomodo et

Chirurgia et Obstetricia ars ab harum artium principibus tractaretur, quare et *Berolini* et *Pragae* et *Viennae* praecipuos in arte medica viros et audivit et ad lectulos aegrotantium operantes vidit, sibique magnam ita peritiam comparavit, praesertim in Chirurgicis et Obstetriciis artibus, quibus huc usque, ut medicus, minus operam dederat.

Ita ad nos venit et munus suum est auspicatus habita vernaculo sermone oratione *de extendendae et amplificandae institutionis Clinicae necessitate.* Hanc orationem audivistis, et cum oratore omnibus in voto fuit, ut institutio clinica in Academiis magis magisque extenderetur, quum ibi solum medicus revera practicus formari possit, ubi sufficientem variorum morborum visendi et observandi numerum datur occasio.

Paulo post lectiones Academicas de Chirurgia et Obstetricia arte suscepit, cum practicas tum etiam theoreticas. Omnes corporis et animi vires impendebat ut difficili operi sufficeret, atque ita partes suas egit, ut optima quaeque aliquando ab illo in usum disciplinarum, quibus se devoverat, exspectari possent.

Sed quod agitat homo, quod molitur, quod exspectat, fragile illud et unius diei est, nec hodie scimus quid cras sit futurum. Spes quae firmis niti videtur fundamentis, cogitatione celerius evanescit.

Et hoc nobis in memoriam revocat BAUMHAUERI sors. Post ferias hiemales cum uxore quam nuper duxerat in urbem hanc redux, ad labores novo ardore reversus, vehementissimo corripitur typho et intra novem dierum spatium animam efflavit.

Qui eum cognovere, humanum medicum, devinctum amicum et filium amantissimum laudant. Graviter commota vidua maritum vix bene notum, parentes dilectissimum filium, amici fidum amicum, discipuli doctorem, commilitonem potius, qui commodis illorum inservire studebat, amiserunt. Lugent omnes. Restat recordatio vitae bene actae et spes futurae conjunctionis.

Sed post haec tristia ad laetiora revertamur.

Salvi fuerunt plurimi ex vestro ordine, viri clarissimi, nec graviori malo vos correptos fuisse, quam maxime gaudemus.

Hoc vobis etiam contigit, Cll. SUERMAN et VAN GOUDOEVER, solis superstitibus ex iis qui mihi praeceptores fuere, quum ante hos triginta et quod

excurrit annos in hac Academia versarer discipulus. Hujus temporis semper recordatio mihi est gratissima, quum nos juvenes eadem humanitate excepistis quam et nunc a vobis experimur collegae. Vegeta sit vobis senectus et uberrimos vestrum laborum capiatis fructus!

Coelum non animum mutant qui trans mare currunt, ait poëta, nec tuus fuit mutatus animus erga collegas, erga Academiam, Cl. HOLTI, quamvis per anni fere spatium nos reliqueras, ut affectam sanitatem dulciori Italiae climate restitueres. Hoc ex voto Tibi successit. Gratulamur tibi palam, quod te reducem, salvum, bene valentem hic adspicere licet, et ita quidem ut ad labores reverti potueris. Confirmetur sanitas tua et diu in commodum Academiae servetur, ex animo precamur.

Est rarum profecto summi numinis beneficium per quartam saeculi partem, indefesso ardore, labori suo operam dare posse, eoque magis, quo difficilius et majoris momenti sit illud opus. Hoc vobis contigit, Clarissimi BOUMAN et ROYAARDS, qui ambo per illud temporis spatium in hac Academia Theologiam docuistis et docuistis ita, ut omnes summo applausu vestras utilissimas praedicent institutiones, ut et in patria et apud exteros vestrum celebretur nomen, qui inter praecipuos nostrae aetatis et regionis recensemini Theologos. Vestra opera, publici juris facta, fuere probata, et quae alter de historia Universitatis Gelricae, alter de historia Ecclesiastica et de jure Ecclesiastico in patria nostra scripsistis, erunt vobis monumentum aere perennius.

Plurima et laeta et tristia estis experti, sed tulistis ut fortes viros christianosque doctores decet: nunquam in arduo labore animos despondistis, etiam si vix debile ferre posset corpus aut dolore frangerentur animi vires. Pergite Academiae patriaeque prodesse, vobisque sit diu vita felix et sero ad eam, quam divina providentia vestro labori posuerit, metam perveniatis.

Liceat et te salutare, Cl. VAN HALL! Quum conjunctissimi BRUEYSI mortem lugebamus, expectabamus digno viro dignum successorem datum iri. Nemo vero sperare ausus fuerat Te, virum inter Juris doctores clarissimum, cujus merita ab omnibus summo aestimantur pretio et in patria agnoscuntur, ad nos esse accessurum, quem tot vincula illustri Athenaeo Amstelodamensi jungerent. Quo minor spes, eo majus fuit gaudium, cum nuntius ad nos pervenit te nobis collegam fuisse datum. Id unum optamus,

ut ita tibi placeat Academia Rheno-Trajectina, ut relictae Amstelodamensis sedis te nunquam poeniteat. Diu munere tuo fungare in salutem Universitatis et ad tuam ipsius felicitatem!

Si vos intueor, Juvenes Ornatissimi, hujus Academiae studiosi, gaudio totum me perfusum sentio. Ex insigni vestro numero unus tantummodo desideratur Theodorus Roelvink, qui cum vix ad Academiam pervenisset, gravi morbo correptus, cognatis, parentibus et amicis brevi est ademtus.

Praeter hunc unum carissima vestra capita salva sunt, quamvis plurima imminebant pericula, quorum non minimum fuit durissimus morbus, qui per aliquod tempus grassatus est.

Sed et alia sunt, quae gaudio locum praebent. Parati fuistis et armis ordinem tueri publicum in hac urbe, si necessarium fuisset. Probastis ita aliis vos duci studiis quam juventutem Academicam in regionibus peregrinis, quae continuo ordinem turbavit. Agnovistis nimirum, disciplinas et artes coli tantum posse, ubi publicus ordo adest, et nihil magis civitati nocere quam discordias, dissensiones, turbas.

Majorum adagium, *Concordia res parvae crescunt*, vestrum fecistis. Hucusque quodammodo a se invicem erant distincti et aliarum disciplinarum et Theologiae studiosi. In nostrorum temporum discidiis recte censuistis, cunctos Academiae cives arctiori vinculo esse jungendos, sicut et omnes, quae ad humanitatem pertinent artes communi sint junctae vinculo: hac tantum ratione veram universitatis indolem exprimi posse. Et quod frustra alii tentavere, a vobis fuit effectum, cum Academiae hujus cives omnes nunc penitus sint juncti, nec ullum amplius discrimen vos dirimat. Sit firma omnium bonorum conjunctio et crescat ita Academia!

Quod jam saepius experti sumus, generosae juventuti Academicis studiis operam danti nihil arduum esse, quod vel publicae saluti vel privatorum commodis conducere posset, hoc denuo plures Medicinae Candidati et Doctores, qui vix Academiam eamque non penitus reliquerant, probarunt. Dirus morbus a *Gangis* vallibus oriundus, longinquo itinere per *Asiam*, *Russiam*, *Germaniam* facto, ad nostras appulit oras, et *Groningam* primum, dein in aliis patriae partes, praesertim *Amstelodamum* venit ibique grassabatur.

Omnia, quae ad debellandum hostem idonea videbantur, in nostra urbe praeparabantur. Omnes medici parati fuere et suas partes agere et miseris succurrere cholera aegrotantibus. Hospitium institutum fuit, his aegris destinatum, in quo jam per septem amplius menses LUDOVICUS CHRISTIANUS VAN GOUDOEVER et MARINUS IMANS, gnavissimi ordinis medicorum discipuli, quorum hic vix Med. Doctor creatus erat, ille jam a decessore meritas tulit laudes pro iis, quae fecit in utilitatem studiosorum post MULDERI obitum; uterque indefesso ardore dies noctesque aegros visitarunt eorumque dolores lenire conati sunt.

Neque minus bene de civitate Trajectina meruere viri illi, qui cholericos aegros, maxima pro parte ex infima plebe, domi suae visitabant, ubi omnia desiderantur, vix aër, vix lux penetrat, regnatque durissima egestas. Inter hos sponte sua et ENGBERTUS OUDENHOFF, nuperrime Med. Doctor creatus, et ADRIANUS BECKERS, Medicinae tum Candidatus, auxilium tulerunt, exemplum illorum juvenum secuti, qui vel in epidemia *Groningana* anni MDCCCXXVI, vel grassante cholera annis MDCCCXXX et proximo, vel hac in urbe vel in aliis patriae regionibus aegrotos sublevarunt.

Gratissima illis est et civitas Trajectina et cuncti quoque aegri, quorum plures indefessa illorum opera et cura a mortis fere limine in vitam revocati et in sanitatem sunt restituti; maxime tamen grata erit nec unquam peritura bene peracti officii recordatio.

Vidimus itaque, A. A. prospera plura et grata Academiae contigisse. Florens fuit, durante magistratu meo, illius status: numerus studiosorum insigniter auctus, studia cum ardore culta, omnium et docentium et discentium una consensio ad servandam et augendam Academiae gloriam.

Quantopere Alma nostra mater omnibus sit cara, quanto pretio Academica institutio ab incolis hujus urbis et regionis existimetur, luculenter apparuit, cum rumores de tollenda una aut pluribus nostrarum Academiarum circumferrentur.

Vani certo rumores! nam quis unam alteramve antiquam eruditionis sedem, ex quibus doctrinae quasi lucis radii per totam emittuntur patriam, tollere velit? quis Academiam Trajectinam ex Academiarum numero eximere, ubi ante mille jam annos litterae floruerunt, atque prima in patria exstitit litteraria schola.

Nimia est nostris temporibus publicae vocis vis, quam ut aliquid contra illam tentetur. Nec dubium quid desideret civitas populusque Trajectinus. Vix vani illi rumores fuere sparsi, quum et Senatus Academicus ad Augustissimum Regem scripsit libellum de conservandis omnibus Academiis amplificandisque illis, et studiosi juvenes ipsum adiere regem, ut vota pro conservanda nostra Universitate significarent; Curatores item, quid in disciplinarum utilitatem faciendum putarent, dilectissimo Regi declararunt, et pro conservanda nostra Academia tum Ordines Provinciales, tum magistratus hujus urbis et milleni incolae vota sua palam significarunt.

Haec vota non erunt vana. Augustissimus Rex declaravit quantopere doctrinarum et artium cultura ipsi curae cordique sit, quanto habeat Academicam institutionem pretio. Certo itaque confidimus, Academiam nostram a GUILIELMO TERTIO ad majorem evectum iri gloriam, ut magis magisque sit decus urbis regionisque Trajectinae et inter patriae nostrae Universitates dignum tueatur locum.

Superest ut de Academicarum disciplinarum praesidiis instrumentisque breviter dicam.

Primus hic locus jure Bibliothecae conceditur, quae omnium studiis inservit.

Magno librorum numero augeri potuit, non tantum pecunia partim publica auctoritate partim Academiae Curatorum decreto ei assignata, verum etiam mutua permutatione eorum operum quorum duo vel plura exempla in Bibliotheca Regia Hagana et in Academia Leidensi et in nostra aderant. Singulorum enumeratio longior foret. Memorandum tamen, pretiosissimum illud HUMBOLDTII opus Curatorum liberalitate multis partibus, quae deerant, esse completum.

Mapparum geographicarum, hydrographicarum, strategeticarum aliarumque, maximam partem a MOLLIO Bibliothecae legatarum, catalogus a Doctissimo RUEB summa cura confectus est, eaeque, materiae ratione habita, ita dispositae et chartarum involucris separatae sunt, ut facillime dignosci et consuli possint.

Catalogus librorum manuscriptorum denuo cum ipsis codicibus conferri debuit, quo factum est ut multis partibus emendatus et suppletus sit

ejusque indicis auxilio facillime jam consulentibus pateat, quinam codices in Bibliotheca asserventur.

Librorum recens acquisitorum tituli ita catalogo inscribuntur et secernuntur, ut appareat ad quodnam disciplinae genus singuli pertineant. Hoc ut in antiquioribus etiam fiat, difficillimus labor est, in quo diligentia amanuensis viri doctissimi occupatur.

Museum instrumentorum physicorum variis utilissimisque instrumentis fuit locupletatum. In his OBERHAUSERI ingeniosissimi artificis microscopium principem tenet locum. Aliud ejusmodi instrumentum, a clarissimo AMICI confectum, ad Observatorium Microscopicum pervenit, ubi centena praeparata praesentibus jam fuere addita.

Museum Mineralogicum sexaginta speciebus saxorum et mineralium fuit auctum.

Observatorium Astronomicum in eodem statu versatur.

Laboratorium Chemicum usibus suis respondere dicunt.

Museum Zoölogicum in statu conservatur, in quo dudum fuit, commodis studiosorum quantum potest inservit, neque tamen augetur, deficientibus necessariis hunc in finem subsidiis.

Hortus Academicus in florenti quantum fieri potest statu conservatur. Jam dudum opus fuerat ut novum extrueretur caldarium, plantis e regionibus tropicis oriundis destinatum. Tandem superiori anno tale caldarium est exstructum, ita ut, observatis disciplinae praeceptis, plane usui respondeat. Desideratur ut reliqua caldaria simili modo emendentur. Mutuo commercio ex India Orientali et Occidentali plantae et semina adducuntur. Minus congrua dispositione paucae illarum, quae ex India Orientali fuere allatae, sospites fuere servatae. Benivolentia Viri Consultissimi HEYLIDEY, in Colonia Surinamensi causarum patroni, plurimae plantae ex hac Indiae Occidentalis parte ad nos pervenere; inter has rarissimae plures.

Silentio praeterire aliud institutum, quamvis non arcte cum Academia junctum, non licet, quia maximi ex eo fructus ad disciplinam meteorologicam exspectantur. Nimirum indefessa cura et sumptibus Cl. Collegae BUYS BALLOT factum est, ut etiam Observatorium Meteorologicum et Magneticum hac in urbe conditum sit, ubi observationes quotidie a doctissimo KRECKE fiunt. Optimis instrumentis est ornatum, pro parte ex Museo physico Curatorum

liberalitate hunc in usum concessis, pro parte ab ingeniosissimo KRECKE ipso confectis. Quicumque perspectum habeat, quanto pretio ejusmodi observationes habeantur ad augendam et perficiendam disciplinam meteorologicam, simul agnoscet, quantopere Cl. BUYS BALLOT utilitati Academiae et disciplinarum amplificationi consuluerit. Ut uberrimos inde experiaris fructus, Tibi, Cl. Collega, ex animo opto.

Praeparata, quae in Museo Anatomico prostant, non tantum perfecte sunt servata, sed plurimis rarissimisque speciminibus praesertim ad anatomiam Comparatam pertinentibus aucta, quibus functiones physiologicae corporis partium explicantur. Eorum numerus ducenta excedit. Instituendis experimentis et indagationibus physiologicis nova jam data est occasio.

Clinica Academica usibus respondebant: in clinico tam Medico quam Chirurgico non parvus aegrotantium numerus est curatus; in Tococomio parturientium sufficiens adfuit numerus, qui studiosorum institutioni apte inservire potuerit. Desideratur tamen quam maxime, ut haec omnia augeantur et amplificentur.

Armamentarium Chirurgicum insigniter fuit auctum eo, quod Amplissimorum Curatorum opera plura instrumenta, quae Cl. MULDERUS reliquit, in Academiae usum sunt acquisita.

Haec de institutis Academicis et doctrinae instrumentis dicta sufficiant.

Et hic quidem sermoni finem ponere possem, cum jam ipso die anniversario Academiae Rectionis munus in te transtulerim, Cl. ROYAARDS, hujus anni Magnifice Rector! Liceat tamen hoc Tibi gratulari honore. Salve iterumque salve! Iterum jam summo Academiae magistratu fungeris; quibus hoc munus prematur difficultatibus, tibi penitus notum est. Ita autem leve et jucundum sit Tibi, ut tuae prudentiae et animi sagacitati optime Academiae tutela est commendata. Te Rectore, stabiliatur et ad majorem prosperitatem et gloriam evehatur Academia Rheno-Trajectina!

QUOD DEUS FAXIT!

ADDITAMENTUM I. ORATIONI RECTORIS.

ACTA ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE.

1848—1849.

A°. 1848.

Die 10 m. Aprilis repentina morte absumtus est Vir Nobilissimus GODERT ALEXANDER GERARDUS PHILIPPUS Baro VAN DER CAPELLEN A BERKENWOUDE, qui per XXIX annos Collegio Curatorum fuerat praefectus, Vir eximiis virtutibus et meritis apud omnis clarus, cujus memoriam haec Academia grato semper animo colet.

In defuncti locum collegio Curatorum adscriptus est Vir Amplissimus JACOBUS GERARDUS VAN NES, Curiae primae ordinum Generalium adscriptus, et Praesidis dignitas collata in Virum Nobilissimum JOH. HENR. Baronem VAN LYNDEN A LUNENBURG.

Die 22 m. Junii. AEMILIUS JANUS GUILIELMUS VON BAUMHAUER, Vir doctissimus, decreto Regis d. 15 m. Octobris superioris anni Medicinae Professor Extraordinarius creatus, dato solenni jurejurando munus ipsi delatum auspicatus est oratione vernaculo sermone habita de clinica institutione ordinanda: *Over de noodzakelijkheid om het klinisch onderwijs op eene ruimere schaal te geven, en de daaruit voortvloeijende behoefte om ruime verzamelplaatsen voor zieken op te rigten.*

Eodem die. Quum Viri Clarissimi H. BOUMAN et H. J. ROYAARDS, prior d. 20 m. Maji, alter d. 20 m. Junii, diem recoluissent anniversarium muneris Academici per XXV annos a se gesti, Rector utrique hanc fortunam in Senatu gratulatus est, eamque gratulationem collegae faustis votis pro illorum salute sunt prosecuti.

Die 14 m. Septembris. Vir Clarissimus JACOBUS VAN HALL, antehac in Athenaeo Amstelodamensi Jurisprudentiae Professor Ordinarius, decreto regio d. 6 m. Julii Facultati Juridicae hujus Academiae adscriptus, praestito solenni jurejurando, Professoris Ordinarii

munus auspicatus est oratione *de Jurisprudentia his potissimum temporibus et in patria qua vivimus colenda ac tuenda.*

Die 22 m. Septembris. Vir Nobilissimus Consultissimus B. J. LINTELO DE GEER, decreto Regis d. 11 m. Septembris superioris anni, Professoris Ordinarius Facultati Juridicae adjunctus, quum jam prius d. 3 m. Decembris ejusdem anni solenne jusjurandum apud Amplissimum Curatorum collegium praestitisset et docendi munus iniisset, inauguralem orationem habuit *de aetatibus Jurisprudentiae.*

A°. 1849.

Die 4 m. Januarii. Quum in libello a Ministris Regiis, Viris Illustrissimis, scripto de imminuendis impensis publicis, edito d. 13 m. Novembris anni superioris, mentio etiam facta esset de contrahendis Institutionis publicae sumtibus, quumque delatus esset rumor, praesertim Academiam Rheno-Trajectinam periclitari, convocato hac de re Senatu, proposita est rogatio, deliberaret Senatus quibus rationibus hoc periculum averti posset.

Re deliberata Senatus censuit, libellum supplicem Regi scribendum quo detrimenta vel imminuendo Academiarum numero vel dirimendis Facultatibus oritura exponerentur et Academiae incolumitas Augustissimi Principis tutelae commendaretur. Negotium delectis viris mandatum est, qui, exploratis collegarum sententiis et rationibus perpensis, litteras ad Regem mittendas conscriberent. Quae litterae in Senatum latae d. 13 m. Januarii, instituta deliberatione comprobatae sunt et ad Regem missae.

Eodem die effigies picta Collegae emeriti JANI KOPSII Senatui oblata est, quae gratissimo animo accepta et in Senaculo affixa est.

Die 26 Martii. Quum propter luctum mortui Regis Optimi, GUILIELMI II, Curatores decrevissent, ut Diei natalis celebratio in praesens omitteretur, Rector Magnificus hoc die coram Senatu amplissimo fasces Academicas successori designato tradidit; Academica autem decedentis Rectoris Oratio delata est in diem 24 m. Maji.

ADDITAMENTUM II. ORATIONI RECTORIS.

SERIES OPERUM

A VIRO CLAR. JANO KOPS

IN LUCEM EDITORUM.

---

1. A°. 1787. Prijsverhandeling over het onredelijke der onverschilligheid omtrent godsdienstige waarheden, met aanwijzing, hoe men in 't voorstaan van de waarheid verstandig hebbe te ijveren: aan welke de gouden eerpenning is toegewezen door Teylers Godgeleerd genootschap, geplaatst in D. VIII van deszelfs Verhandelingen.
2. A°. 1796. Bemoediging aan Neêrlands Burgerij bij de eerste verjaring der Bataafsche vrijheid, zijnde N°. 96 van het weekschrift *Republiek*.
3. A°. 1796. Beschrijving eener boerderij in de Castricummer duinen. Letterbode 1796. nr. 140—3.
4. A°. 1797. Leerrede over den algemeenen grond van vereeniging onder de Christenen, uitgegeven te Haarlem bij J. van Walré.
5. A°. 1799. Jan Kops, staat van Hollands Duinen en ontwerp tot vruchtbaarmaking van dezelve. Te Utrecht bij Paddenburg.
6. A°. 1800. Flora Batava, bij J. C. Sepp en Zonen. 5 D.
7. A°. 1804—1814. Magazijn van den vaderlandschen landbouw. 6. D. 8°. Te Haarlem bij A. Loosjes Pz.
8. Catalogus van het Kabinet van Landbouwkundige werktuigen en gereedschappen te Amsterdam.
9. A°. 1813. Redevoering, voordragende Gods handelwijze in de opvoeding der menschen, als een rigtsnoer voor ouders tot de zedelijke opvoeding hunner kinderen, uitgesproken als Voorzitter der algemeene Vergadering der Maatschappij tot Nut van 't Algemeen.
10. A°. 1814—1828. Staten van landbouw in het Koningrijk der Nederlanden. Ter Landsdrukkerij. 8°.

11. A°. 1816. Verhandeling bevattende een overzigt van den staat der voornaamste gewassen in Nederland geteeld, en van de gesteldheid van het weder in den jare 1806 tot 1812, uitgegeven door de eerste Klasse van het Nederlandsch Instituut; bij den Hengst en Zoon. 8°.
12. A°. 1816. Inwijdings-redevoering over het aanbelang van het Akademisch onderwijs in de Nederlandsche landhuishoudkunde, bij de aanvaarding van deszelfs Hoogleeraarambt. Annales Academiae Rheno-Trajectinae 1816. 8°.
13. A°. 1818. Proeve van uiterlijke Nederlandsche welsprekendheid, in navolging van P. Francius, benevens eene redevoering over Jacob Cats als voorlichter des volks en bevorderaar van het Nut van 't Algemeen. Haarlem, Wed. A. Loosjes Pz. 8°.
14. Over eene wanschapenheid der bloemen van Vixia eraca, in de Verh. der eerste Klasse van het Koninklijk Nederlandsch Instituut.
15. A°. 1821. Redevoering over den Noord-Nederlandschen bodem, als meer geschikt voor den landbouw dan die van vele andere landen van Europa, voorgedragen in de openbare Vergadering der eerste Klasse van het Koninklijk Nederl. Instituut, geplaatst in het Verslag dier Vergaderingen.
16. A°. 1823. Index Plantarum quae in horto Rheno-Trajectino coluntur a°. 1822. 8°. Traj. ad Rhen. apud J. Altheer.
17. A°. 1823. Vervolg van den Catalogus van de Landbouwkundige werktuigen en gereedschappen van 's Rijks Kabinet van Landbouw te Amsterdam. Te Haarlem bij de Wed. A. Loosjes Pz. 8°.
18. A°. 1823. Verslag van eene Inspectie van de Kolonie der Maatschappij van Weldadigheid als afgevaardigde van het bestuur gedaan, in het Tijdschrift de Star, December 1823.
19. A°. 1826. Over eene bijzondere kindering (prolificatio) van de gele Wouw (Reseda lutea β. crispa Persoon), in de Bijdragen tot de Natuurkundige wetenschappen, D. I. St. 3.
20. A°. 1829. Oratio de emolumento quod ex Batavorum et Belgarum conjunctione in unum Regnum Agriculturae per totam patriam accesserit: quum Academiae regundae munus deponeret. Annales Acad. Rhen.-Traj. 1829.

21. A°. 1831. Leerrede over Gods hulp en bescherming in den 12-daagschen veldtogt van het Nederlandsche leger in Augustus 1831. Te Utrecht bij Paddenburg en Comp.
22. Redevoering over de eindoogmerken of duidelijke blijken van Gods wijsheid in het plantenrijk, in het Verslag der openbare Vergadering van de eerste Klasse des Kon. Ned. Instit. 1831.
23. A°. 1832. Beredeneerd algemeen register of de staten van landbouw in het Koningrijk der Nederlanden over de jaren 1814—1828, met een voorberigt wegens de geschiedenis en het aanbelang der staten. Utrecht, Paddenburg en Comp. 8°.
24. A°. 1834. Verslag wegens den oorsprong, de inrigting en het doeleinde van 's Rijks Kabinet van Landbouwkundige werktuigen en gereedschappen, in de Vriend des Vaderlands, 1834, bl. 760, s. 99.
25. A°. 1836. Tweede vervolg van den Catalogus van Landbouwkundige werktuigen enz. Haarlem bij de Wed. A. Loosjes Pz.
26. A°. 1836. Hulde aan de Letterkundige verdiensten van M^{r}. Jacobus Scheltema toegebragt, in het Utrechtsche departement der Maatschappij Tot Nut van 't Algemeen. Te Utrecht bij Paddenburg en Comp. 8°.
27. A°. 1838. Leerrede over Gods bestuur van 's menschen daden, ter viering van de 50ste verjaring van de aanvangst van mijnen predikdienst, in de Algem. Vaderl. Letteroef. 1838.
28. A°. 1838. Beoordeeling van van den Bosch stukje over de landhuishoudelijke school in Wurtemberg, in de Vriend des Vaderlands, N°. 10. 1838.
29. A°. 1839. Uitgezochte stichtelijke gedichten van D. Rz. Camphuysen, naar de hedendaagsche taal en spelling: vooraf een levensberigt van den dichter met eenige nieuwe bijdragen. Utrecht, Paddenburg en Comp. 8°.
30. A°. 1839. Hooge ouderdom van vele beroemde Kruidkundigen, in de Alg. Kunst- en Letterbode 1839, N°. 53.
31. A°. 1841. Hulde toegebragt aan A. C. W. Staring en J. H. van der Palm, op de Alg. Verg. van het Prov. Utrechtsche Genootschap, in de Letterbode N°. 31, 1841.

32. A°. 1841. Overzigt van den staat der voornaamste gewassen in Nederland, van den jare 1813 tot en met 1828.

33. A°. 1843 en vv. Opgave wegens het aantal bezigtigers en van de nagemaakte en afgeteekende werktuigen van 's Rijks Kabinet van Landbouwkundige werktuigen in 1842, uit de Letterbode N°. 7. 1843 vv.

OVER

DE NOODZAKELIJKHEID, DIE ER BESTAAT, OM KLINISCH ONDERWIJS OP EENE RUIME SCHAAL TE GEVEN, EN DE BEHOEFTE, DIE DAARUIT VOORTVLOEIT, OM GROOTE VERZAMELPLAATSEN VOOR ZIEKEN OP TE RIGTEN.

INWIJDINGSREDE,

BIJ HET AANVAARDEN VAN HET HOOGLEERAARSAMBT AAN DE UTRECHTSCHE HOOGESCHOOL,

DOOR

DR. E. J. G. VON BAUMHAUER,

UITGESPROKEN 22 JUNIJ 1848.

EDELGROOTACHTBARE HEEREN CURATOREN DER UTRECHTSCHE HOOGESCHOOL!

WELEDELGESTRENGE HEER SECRETARIS VAN HET COLLEGIE DER CURATOREN!

HOOGGELEERDE HEEREN, WAARDE AMBTGENOOTEN! EN WELEDELE ZEER GELEERDE HEEREN LECTOREN!

DIE MET HET BESTUUR VAN DIT GEWEST OF DEZE STAD OF MET DE HANDHAVING DES REGTS ZIJT BELAST, MANNEN REEDS DOOR STAND EN WERKKRING EERWAARDIG!

WELEERWAARDE HEEREN, BEDIENAARS VAN DE GODSDIENST!

WELEDELE ZEER GELEERDE HEEREN DOCTOREN DER VERSCHILLENDE FACULTEITEN!

AANZIENLIJKE SCHAAR VAN JONGELINGEN, DIE U AAN DE BEOEFENING DER WETENSCHAPPEN TOEWIJDT!

EN VOORTS GIJ ALLEN, DIE ONS MET UWE TEGENWOORDIGHEID VEREERT, ZEER GEWENSCHTE TOEHOORDERS!

Is het pligt, dat met teêrhartigheid te verzorgen, wat waarde bezit, dan is daarmede tevens de plaats aangewezen, die aan de Geneeskunde tusschen de verschillende bemoeijingen der menschen behoort te worden toegekend. Naarmate de menschenwaarde hooger stijgt door waarachtige beschaving, naar die mate worden aan de Geneeskunde duurdere verpligtingen opgelegd. Ziet de moeder, die haren lieveling als een aanstaand nuttig lid der maatschappij, als een wezen, dat voor hoogere ontwikkeling vatbaar is, kan waarderen, ziet haar het voorwerp van hare liefde met haar hart steeds vergezellen; duizend zorgen volgen elkander op voor dat wezen, welks ontwikkeling en vorming haar als een kostbaar kleinood zijn toevertrouwd; vergelijkt haar in haar streven met de weinig ontwikkelde, de

in den ruwsten staat nog verkeerende voedster van eenen aanstaanden menscheneter, en gij hebt het met mij uitgesproken: daar bestaat een verband tusschen de hoogere ontwikkeling, waarvoor de mensch vatbaar is, en die hij deelachtig worden kan, en de zorg voor zijn stoffelijk leven hier beneden.

Wat men gewoon is Geneeskunde te noemen, is inderdaad niet anders dan de hartelijkste zorg, die deskundigen op zich nemen, om te waken voor het stoffelijk welvaren van menschen; wat zeg ik? neen, ook voor zijn geestelijk leven, overal waar die Geneeskunde goed wordt begrepen. Gij zult reeds waken over het wicht, dat nog het licht moet zien; gij zult haar, die het zal ter wereld brengen, verzorgen, opdat háár heil, maar ook het heil van hetgeen zij in haren schoot verbergt, in allen opzigte bevorderd worde; gij zult alles regelen, wat de intrede des nieuw geborenen in de wereld, wat de herstelling der moeder betreft; gij zult alle afwijkingen van gezondheid, die den mensch in zijn gansche leven kunnen overkomen, niet slechts zoeken te herstellen, maar gij zult ook hetgeen voor geene herstelling meer vatbaar is, zoeken dragelijk te maken; en blijft u niets meer overig te doen, dan nog staat gij daar bij de stervenden, om troost en bemoediging in de verscheurde harten uit te storten. Neen, veel verder reikt uw pligt: gij zult voor de ontwikkeling van een krachtig geslacht hebben te waken, den Staat overal moeten behulpzaam zijn, waar het óf afwending van algemeen schadelijke invloeden, óf bevordering van heilrijke geldt, van dezulken, die gezondheid en leven verbeteren van allen, die u omgeven.

Zoo spreekt gij den Geneeskundigen toe, en gij hebt regt tot die toespraak.

Is er wel eene schoonere betrekking, dan die van den Geneeskundige denkbaar, wanneer zij niet in den bekrompen zin wordt opgevat, van u slechts van koorts te bevrijden, of eene storende oorzaak uit den weg te ruimen, die, na wat langer tijd, toch ook wel wijken zou? Ik voor mij ken er geene; zij omvat den geest, zoowel als het ligchaam; zij rust nimmer van hare zorgen, en vervult zij hare pligten naar eisch, dan mag aan haar eene plaats worden toegekend, aan de eene zijde, naast de hartelijkste zorg eener teeder minnende moeder voor haar kroost, aan de andere, naast het algemeen bestuur, aan hetwelk de behartiging van het heil des volks in geheel zijnen omvang is opgedragen.

Zoo heeft men dan te regt eene wetenschap opgebouwd, en bouwt men in beschaafde landen voortdurend aan haar voort, eene wetenschap, die men ten onregte Geneeskunde noemt, als ware haar doel slechts te genezen, eene wetenschap die het stoffelijk en het geestelijk leven der menschen ten beste zoekt te leiden.

Maar de wetenschap der Geneeskunde voelt zich verlaten, zoodra zij hare gezellin, de ervaring, mist; wie de eerste zich niet heeft eigen gemaakt, tast in den blinde, en dus meestal verkeerd, en wie zich, slechts met wetenschap toegerust, in de practische loopbaan waagt, durft niet tasten, want hij ontmoet overal hinderpalen, die hij niet had verwacht; beide gaan dus hand aan hand.

Om zich met de eerste vertrouwd te maken, vindt de aanstaande priester van Aesculaap, die zich voor zulk eene verhevene betrekking gaat voorbereiden, toereikende hulpmiddelen, zoowel in de lessen, welke in elk beschaafd land aan wel ingerigte scholen gegeven worden, als bovenal in de menigvuldige geschriften, waarin de wetenschap wordt voorgesteld; stond overal eene even rijke bron van ervaring voor hem open, die hem in de gelegenheid stelde de uit boeken opgezamelde kundigheden aan het groote boek der natuur te toetsen, wij zouden den aanstaanden geneeskundige geluk wenschen, want hij zou in beide, in wetenschap en kunst, gelijkmatig kunnen voortschrijden, en zich alzoo voor zijne voortreffelijke taak naar hare waarde kunnen voorbereiden.

De Geneeskunde toch is eene wetenschap van ervaring, en terwijl zij den naam van wetenschap in de volste mate verdient, al is zij nog niet afgewerkt, komt haar evenzeer de naam van kunst toe. Met vaardigheid, met zoogenaamden tact, moeten de wetenschappelijke regelen worden toegepast; daaraan toch kent gij den geneeskundige, dat hij tevens vaardig kunstoefenaar is.

Zoo steunt dan de wetenschap op ervaring, zoo is dan de kunst van ervaring onafscheidelijk, en zoo heb ik reeds voorloopig uwe goedkeuring verworven, G. T., wanneer ik, bij de aanvaarding van mijn ambt, tot u ga spreken over

De noodzakelijkheid, die er bestaat, om klinisch onderwijs op eene ruime schaal te geven, en de behoefte, die daaruit

voortvloeit, om groote verzamelplaatsen voor zieken op te rigten.

Dit onderwerp zal mij de gelegenheid geven, om U mijne meening uit te drukken omtrent de waarde van het praktisch onderrigt in de geneeskunde. Verleent mij daartoe Uwe goedgunstige aandacht, schenkt mij Uwe toegenegenheid, en Gij zult niet weinig hebben bijgedragen, om mij aan te moedigen bij de vervulling van het ambt, hetwelk ik heden aanvang.

Het onderwijs in de geneeskunde, als zuivere wetenschap van ervaring, maar tevens als voorbereiding tot Geneeskunst, splitst zich in drie vormen: óf de zieken worden in een ziekenhuis opgenomen, en daar dagelijks door den leermeester en zijne leerlingen bezocht; óf de zieken worden in hunne woningen verzorgd, en daar door leermeesters en leerlingen gadegeslagen, óf zij komen op eene bepaalde plaats om raad vragen, en dienen daar wederom om kunst en wetenschap bij jeugdige lieden aan te kweeken.

Dat de eerste vorm van onderwijs boven de beide andere de voorkeur verdient, behoeft wel geen betoog; zij is de eenige, die ons toestaat de zieken naauwkeurig gade te slaan, en is daardoor het best in staat de wetenschap te helpen bevorderen, en de kunst vruchtbaar te maken; de eenige ook die ons genoegzame waarborgen kan geven, dat onze voorschriften goed nagevolgd worden, en zij draagt daarom ook het meest bij tot bevordering van de genezing der zieken. Het doelmatigst is zij dus voor het klinisch onderwijs, het weldadigst voor het lijdende menschdom, en het vruchtbaarst voor de wetenschap en de kunst. Eene kliniek, die aan een dezer drie vereischten niet voldeed, zou haar doel ten eenenmale missen, of liever, deze drie vereischten staan in zoo naauw verband tot elkander, dat, bij gebrek aan een hunner, de beide overigen niet bestaanbaar zijn. Ik weet het wel, dat er velen zijn, die in de meening verkeeren, dat de zieken bij het onderrigt slechts als voorwerpen worden beschouwd, die evenzoo tot het onderwijs worden aangewend, als een toestel bij de lessen in de natuurkunde. Hoe menigmaal zelfs hoorden wij den blaam werpen op geneeskundige inrigtingen, die voor het onderwijs zoodanig gebruikt worden, dat zij voor het lijdende menschdom schadelijk zijn, daar de lijders als voorwerpen worden beschouwd, waarop de

De *Germanis* autem dicenti, ubi quaeso initium erit ubi finis? Deerant profecto illis paucis abhinc mensibus bene multa, quibus aliae gentes, quibus nostrates etiam iamdudum utebantur. Potestatem cogitetis legislatoriam et iudiciariam ab administratione non bene distinctam; ius feudale nondum sublatum; cives in classes distributos, singulas suis privilegiis utentes;

Iudaeos pro civibus vix habitos; libertatem neque mercaturae neque industriae exercendae concessam, facultatem opinionem cum suis civibus ope preli communicandi valde circumscriptam, ius privatum incertum et varium, iudicia multifariam composita, occulta, scripta. Profecto magis est, ut miremur tamdiu passos esse Germanos, ut harum rerum reformatione carerent, quam ut eam assequendi occasionem iam omni quo possint studio, adprehendant. Quod si consideramus, tot tantisque rerum politicarum ante hos quinquaginta annos conversionis fructibus, ad nostra usque tempora, pariter ferme caruisse omnem Germaniam, facile etiam intelligimus, qui fiat, ut communi quasi studio ad illos percipiendos tendant singulae Germaniae partes, eo magis pollentes potentesque futurae, quo magis certum sibi proponant finem, quo magis totius Germaniae utilitatibus singularum regionem postponant commoda.

Sed hoc ipsum, AA. IIH.! quot quantisque premitur difficultatibus! Quis quaeso definiat, quibus finibus ita distinguatur communis Germanicarum gentium patria, quibus vero definiatur vel Austria, vel Borussia, vel Bavaria? Quis fines regat inter Tutoris Regni Germanici et singulorum Regum Principumque potestatem? Quis de imperantium recte statuat et subditorum conditione, vix eadem tamen in regnis, variique ordinis principatibus et urbibus liberis, quibus Germania continetur? Eritne igitur Germania una simul et multiplex? Eritne tollenda singularum regionum foederatarum libertas, ut nova illa constituatur Germania, quae derepente cum simulacro Regis, territorium obtinuit et copias, iamque pomoeria vix condita proferre gestit?

Est sane hic gravissimus simul et subtilis Iureconsultis explicandus locus, qui nisi ab iis explicari recte possit, novo — regno dicam an foederatae Germaniae reipublicae? — neque unitas paratur, neque stabilitas, neque dignitas, sed iurium confusio et brevi bellum civile, ut in Francia, dictatoria potestate unice compescendum.

Est autem AA. IIH.! nostrorum temporum etiam hoc proprium, ut ab indoctis pariter atque a doctissimis quaestio quotidie vertatur de republica optime administranda, de tributis ad novam normam imponendis, de mercaturâ, navigatione, industriâ magis minusve liberâ. Cavendum omnino

est, ne etiam *in disciplinis politicis* ab eo recedatur quod iustum est et aequum, quoque magis homines iam ad utilitatem omnia exigunt, eo diligentius nobis efficiendum est, ut in his quoque „communi utilitate servata suam cuique tribuamus dignitatem." Nam pendet totius Europaeae societatis singularumque gentium conditio primum omnium a iuris tutela.

Sed quid haec omnia ad *ius privatum*, quid haec ad ius privatum hodiernum, mandatam illam mihi in hacce Academia provinciam? Scilicet firmissimum est in iuris privati studio praesidium civitatium et hominum, atque ex hoc veluti fonte manant etiam illae disciplinae.

Nonne ipsum illud gentium ius exponitur subinde: *ius privatum relatum ad negotia gentium?* Nonne Corpus illud iuris civilis Romani, quod hodieque scriptam continere dicitur iuris rationem, iuri etiam publico et gentium quasi facem praetulisse videatur? Profecto, cum Grotius ille noster universum ius belli atque pacis non perituris commentariis illustrat, non immerito suam de gravissimis argumentis opinionem etiam Romanorum Iureconsultorum sententiis, utut de iure privato dicentium, confirmat.

Quodsi inter gentes et in publico civitatis iure, pariter atque in iure privato, de *agendi libertate*, de *occupatione*, de *dominio*, de *obligationibus* agatur, mirum non est, ex hisce argumentis iuris privati bene cognitis egregie illustrari etiam ius gentium et publicum. Quid quod in iure publico explicando saepe de *pacto* dicant, sive tacito, sive magis etiam expresso, inter summum imperantem et subditos inito, aut inter cives ipsos in civitatem coeuntes? Ius autem gentium nonne praecipua sui parte foederibus nititur et conventionibus? Et sic non faceret etiam iuris privati, hodierni etiam, interior cognitio ad ipsum ius gentium penitius intelligendum, interpretandum, vindicandum? Videmus AA. HH. hac nostra aetate formam mutare, interire vel exsurgere etiam alias aliasque civitates, nonne magni momenti, et ex iuris etiam privati cognitione illustranda erit quaestio: de *continuata persona*, de *successione* in ius et officium, deque *inter alios actis* quae ad alios nullo modo pertinent? Nonne negata in rebus aliarum gentium his invitis *intercedendi potestas* cohaeret cum *libera agendi potestate* iuris privati? Nonne *opem ferendi necessitas* saepe cum *fideiussione?* Nonne locus de ineundâ mutuo consensu, mutuo etiam consensu tollendâ

conventione, quae interim legem contineat, a quâ neque contrahentes ipsi neque eorum successores recedant, idem est in iure privato atque in gentium iure? O, utinam Imperantes et subditi, utinam Europae Principes et Civitates ipsae hanc iuris privati admirabilem simplicitatem, indubitatam veritatem, verissimamque aequitatem, suis etiam negotiis publicis adplicari semper paterentur, id diligenter tenentes, nisi quod iustum sit utile esse nihil. Scilicet cum Danica, Italica, caeteris, etiam ipsa illa Limburgica quaestio, quae nos hoc ipso tempore vexat turbatque, ad iuris principia revocanda est. Habeatur ratio temporum et personarum, — quae tamen foedere nititur, regionis conditio tolli non poterit, nisi foedere in contrarium acto; negligi autem non poterit quaestio, quocum foedus sit initum, quis vero ut ab eo recedatur urgeat; denique vel ex iure privato constabit, neminem succedere in emolumentum quin etiam onus in se recipere videatur.

Quod cum dico AA. HH.! profecto non hoc volo, nullo modo a iuris privati recedere iuris vel gentium vel publici placita, hoc vero contendo: eo plenius diligentiusque ipsum cognoscendum esse ius privatum, ut hoc ipsum recte perspiciatur, an et quatenus eius praecepta ad alteram iurisprudentiae partem recte transferantur nec ne. Sane si in regionum occupatione nescio qua symbolicâ admittendâ saepe magis quam oportet a iure privato recedunt, quod plenissimam adprehensionem requirit, negari tamen nequit, ipsa hominum in civitatem consociatione circumscribi naturalem singulorum agendi atque de suis rebus disponendi facultatem; quod facit, ut reip. cedere saepe cogamur, quod privatis non cedimus nisi volentes. Ita etiam in successione imperii, heredes divisionis principium iuris privati frustra adplicarent, seu potius, divisionem admittentes, ipsam iuris privati distinctionem inter res dividuas et individuas negligerent. — Quo rectius igitur, ut verbo dicam, natura, vis, ambitus et ratio iuris privati intelligatur, eo melius etiam ipsius iuris publici gentiumque fines reguntur.

Versatur autem praeterea ius privatum in explicandis iis iuribus officiisque, quae nostra penitius intersunt, res domesticas spectat et familiares, et meministis, quam temere in quaestionem quae huc pertinent revocent, hoc ipso tempore, rerum communium et ipsius adeo societatis eversores, qui se summa iniuria *communistas* et *socialistas* dicunt. Ita matrimonium

ridetur, dominium nullum censetur, homo fere ex homine tollitur, ut nescio quae, arte summâ, construatur societas, in qua homines singuli ad omnia alia adhibentur, quam ad explicandas illas animi ingeniique dotes, ad quas cum societate civitates etiam a Deo Opt. Max. sunt constitutae. Est profecto, est quod tueamur atque colamus illam disciplinam, quae veram non fucatam illam nos doceat philosophiam prorsus practicam, qua nostra ab impudenti iniuria atque incredibili avaritiâ aliorum tuemur, quae nobis debentur exigimus, negotia contrahimus, personam denique in societate civili agimus.

Accedit autem iuris privati etiam alio nomine mutata hodie facies. In singulis fere Europae regionibus certius magisque finitum ius scriptis codicibus inductum est, vel ipsius temporis opportunitatibus iamiam paratur. Cognoscuntur ita hodie melius quam olim iura finitimarum gentium. Arctior praeterea cum finitimis populis, gentibus iam intercedit necessitudo. Ita operae pretium est, ut communi quasi studio ius privatum excolamus Europaeum, diversum simul et unum; idque agamus adeo, ut antiquum Germanicum illud, imo Europaeum, restituamus *iuris inveniendi studium*, quo, in agnoscendis adplicandisque iuris placitis, non adeo attenditur, quo vel legislatore vel loco, quam quo iure admissa sint. Ita, — ut olim Romae, — secundum id quod ipsius proprium civitatis ius est, aliud enascitur, quod plurium quasi gentium sit commune, tum civibus caeteris, tum mercatoribus maxime nautisque ad res suas obeundas pernecessarium. Utinam Germania, ad unitatem tendens, iuris privati, mercatorii potissimum et cambialis, obtineat communionem, aequabilitatem, certitudinem! Est haec illa unitas quae et ipsi et reliquae etiam Europae profutura est.

Ius autem gentium, publicum et privatum, si nusquam sine damno negligi in Europa his nostris temporibus potest, imprimis tamen in patria nostra colendum est et omni studio propugnandum.

Neque hoc nunc urgeo AA.! quod ipsum tamen negligendum non est, ut omnium, ita parvarum maxime rerumpublicarum semper vel imprimis interesse, ut, quo minus viribus valeant, eo magis iure suo nitantur; sed hoc dico: his nostris potissimum temporibus omnem patriae salutem in iure unice esse positam. Quod quo magis appareat, agite, respiciamus denuo patriae necessitudinem *cum exteris* et eius conditionem *publicam* et *privatam!*

Diu sub cineribus male latens flamma Parisiis erupit et per Italiam et Germaniam incendium excitavit late propagatum. Quid quaeso est, quod illud a finibus nostris arcet, nisi hoc, quod aliis agendi ut velint aut possint facultatem permittimus, simul vero quod nostrum est nobis eripi non patimur. Dicant igitur Germani, ab antiquo Germaniae imperio non alienas fuisse regiones nostros, eas novae, quam condere gestiunt, reipublicae adpetant, classem nostram et colonias non respuant, nos conditionem nostram inter gentes Europaeas iure nostro tuemur. Caeteras, finitimas maxime, liberas, pacatas, prosperas esse volumus, sed hoc ab illis mutuo exigimus, ut nobis etiam liberis, pacatis, prosperis nostro more esse permittant. Quodsi quaeritis, quid tandem illud sit, quo nos tueamur ab opinionum contagione, ab insatiatâ habendi cupiditate, unum quod reponam inculpatae tutelae est moderamen, ius nostrum, et iuris nostri constans apud nos ipsos sententia.

Neque hoc sic intelligi velim AA.! quasi sentiam numquam cedendum esse tempori, numquam in meliora tempora reponendam esse iurium nostrorum vindicationem; sed hoc volo: si cedendum est, cedendum esse non ab ignorante suumve ius negligente, sive Principe, sive Populo, sed ab eo, qui sui sibi iuris conscius, bene computatâ causâ, quid agat et quamobrem, recte perspiciat. Quid autem valeat faciatque causae quam quis tueatur iustitia, a vere prudentibus in publico privatoque iure viris propugnata, non est, quod ego, in hac doctissimorum virorum coronâ, plenius fusiusque exponam. Haud frustra profecto ius belli ac pacis exposuit Grotius, ut mare ab Anglorum dominatione servaret liberum. Haud frustra in patria nostra iurisprudentiam negotiis cum exteris finitimisque agendis tamquam facem adhibuerunt Janus Wittius, Hieronymus Beverningkius, Nicolaus Witsius, alii. Parvam civitatem, quo minus viribus valere viderent, eo acrius fere iuris sanctitate tuiti sunt, ut religione et fide! — Quodsi iustissimae quam tuebatur causae conscientiâ nisus est, in patriâ conspirantibus ab omni parte exteris Principibus eripiendâ, Guilielmus Tertius, quam necessariam eam fuisse censetis Guilielmo illi Primo, quem patriae et ipsius adeo libertatis instauratorem, auctorem, atque quasi parentem merito celebramus!

Sed digito haec indicasse sufficiat. De gravissimis quaestionibus quae hodieque exsurgunt et cum nostrae patriae salute vel imprimis sunt con-

iunctae, nisi cognita causa sententiam ferre periniquum est; eas plenius exponere neque huius loci est neque temporis. Faxit autem Deus Opt. Max., ut in iis explicandis solvendisque Patriae nostrae hodie quoque non desint cordati, prudentes vereque politici viri!

Quod si haec, quae dixi, valeant de patriae conditione inter caeteras Europae gentes stabiliendâ curandâque, quam necessariam hodie et nostratibus esse censetis iurisprudentiam in ipsa nostra ordinanda republica!

Non satis equidem scio AA.! an non satis firma in omnium animis inscripta sit sententia, non opinione sed natura ius esse constitutum. Vereor fere, ne suo se posse arbitrio ius mutare atque flectere censeant bene multi. Ab hoc vitio utinam satis sibi caverint illi, qui in nova lege fundamentali condenda fuerunt occupati! Quod si persuasum nobis sit, legem vix ac ne vix quidem aliud esse oportere quam ius, quo certius magisque finitum sit, in scriptum redactum, prudenter et caute id quod iustum et aequum esse, id quod moribus nostris convenire, id quod ipsa consuetudine iam inumbratum esse videatur, investigare et scripto consignare semper conabimur. Iuris conditionem, qua utimur, sic flectimus magis quam mutamus et ipsi etiam fundamentali legi addimus, si opus est, aut detrahimus, ad emendandam eam, corrigendam et supplendam, ut legem non quidem omnibus numeris absolutam atque perfectam, sed a perfectione tamen quam minime possit obtineamus recedentem.

Intelligitis igitur AA. me facere cum iis, qui legem qualemcunque tandem ferendam, ita componendam esse censeant, ut eam emendandi atque supplendi satis facilis detur opportunitas, tum vero ad mores nostros, ad tempora nostra, ad nostras utilitates, non vero ad normam legis peregrinae eam esse scribendam. Quanta autem in his adplicandis principiis postuletur in legislatore nostro prudentia, nemo non videt. Est enim illud opus eo magis arduum, quo plura iam in quaestionem vocata sint iuris publici nostri placita, quoque magis recessum iam sit ab illa agendi simplicitate, qua emendatio admittitur perpetua, mutatio, nisi quae necessaria sit, nulla.

De singulis autem iuris publici nostri capitibus ut pluribus agam, et ab hac dicendi solemnitate et a mea persona alienum est. Et vero infinitus

ferme hic est dicendi locus! Nam ut mittam, quam attigi, de mutanda ipsa lege fundamentali gravissimam quaestionem, quot quantisque difficultatibus locum dat ius criminum et poenarum de novo componendum, ut poenarum finis contingatur et salva sit res publica! Qnot quantaeque quotidie quaestiones exsurgunt de regundis finibus inter diversas summi imperii beneque distinguendas partes! Nonne iam eo ventum est, ut de singulis Decretis regiis, de singulis Magistratuum Edictis, quin subinde de ipsa etiam lege quaeratur, utrum civibus impositam agendorum normam contineant, an vero impune negligi a civibus possint? Dicam igitur quod sentio: non gravissimae adeo et in supremo consilio reipublicae et in curiis nostris agitantur quaestiones, sed singula fere in quaestionem vocantur, quibus ipsa respublica nititur, principia; de his autem vulgus eo maiori cum impudentia pronuntiat, quo est indoctius.

Abstineamus ab illa impia levitate; de causis his, quo sint graviores, eo diligentius dispiciamus; aliorum commenta nobis imponi ne patiamur; sed illud tueamur, amplectamur, propugnemus, quod cum principiis conveniat iuris publici nostri, quod non hominis est inventum, sed temporis opus. Agitur enim in his omnibus res revera publica, omnium nostrorum salus. Quare quod dico non eo pertinet, ut ab iis quaestionibus, quippe gravissimis, abstineamus, sed potius, ut bene prudenterque de iis iudicium ferre discamus. Quo magis autem ratio temporis hoc ferat, ut publice peragantur omnia, ut ad suffragium vocentur plures, eo minus haec, qualia quantaque sint, negligere atque ignorare civibus licebit.

Fallor autem aut hic prodesse poterit ipsa illa, quae nostrorum hominum est et temporis dubitandi atque a maioribus accepta in quaestionem revocandi solertia. Falsa et fictitia pro veris sanisque haberi non sinit; rerum causas inquiri, earum naturam investigari iubet; sed ita non temere sed caute procedit, non vituperandi sed emendandi animo, verbo non eversores nos sed artifices facit. Negari igitur non possit nostrorum temporum et hominum diffidentia atque dubitatio, — *ius privatum* eo diligentius erit colendum. Scilicet incerta fieri non patimur ea, quae ipsis gentium necessitudinibus ipsique iuri publico auctoritatem addunt atque stabilitatem! Illa potius colimus, amplectimur, tuemur, vindicamus, omnibus quibus

possumus viribus. Est enim semper ius civile dignum quod colatur, sed nostris temporibus si negligitur, negligitur res omnium et singulorum, a publicarum privatarumque rerum eversoribus iamiam occupanda.

Habet autem illud studium suas cautelas. Duplicem longeque diversam viam ineunt, qui vel historiam in iure et antiquitatem unice amplectuntur, vel nescio quod unice practicum ius colere se autumant. Utrique iuris civilis partem tantum considerant, nostrorum vero est temporum, nostrorum est hominum, de historicâ et exegeticâ, iam paulo obsoletioribus illis, scholis in concordiam redigendis docere. Acriores igitur fere sint hodie, ut vidimus, et sagaciores homines in explorandis naevis, dubiis, erroribus, quam in contexendis atque in consonantiam redigendis iuris placitis; facilius subtiles sint quam docti, facilius singula considerent quam universa, facilius tignum effringant quam aedes exstruant; nos eripi nobis atque avelli tot saeculorum monumentum iuris interpretes non patiemur. Exploranda nobis erit iuris cum universi tum patrii potissimum historia, sed attendenda etiam recentiorum temporum ratio nostraque imprimis quam vivimus aetas. Ita autem ipsa illa, quae iurisprudentiae nocitura, hominibus vero profutura facile videatur, scriptorum, quibus utimur, Codicum ratio, ad artem aequi bonique diligentius colendam novum adfert momentum.

Est scilicet codicum nostrorum interpretis haec saepe iniquitas, ut sententia ei iam dubia videatur, quae, ad eundem modum in Codicibus Napoleonticis expressa, nullam admittere videbatur dubitationem. Etenim cum leges recipiebamus peregrinas, peregrinorum iureconsultorum commentariis iam illustratas, in Franco-Gallia iam ad usum vitae relatas, eas addiscere nostrisque negotiis adplicare, in verba saepe magistri iurantes, conabamur; cum vero Codices editi fuerunt, quibus conficiendis reficiendisque interfuimus, eos recepimus, contracta magis fronte, non discendi simpliciter animo, sed ut eos, alto subinde supercilio, diiudicaremus. Ita, ut mihi quidem videtur, illud vitium enatum est, quo verba captantur, vis legis et voluntas negligitur, vera ex iuris studio iurisprudentia tollitur. Colenda autem diligenter et tuenda est iurisprudentia germana, ne in illud vitium incidamus. O utinam sic quoque disciplinae nostrae suus honos restituatur! Utinam leguleii locum rursus cedant veri nominis iureconsultis atque scientia legis distinguatur rursus a iurisprudentia illa civili, quae

eum, qui ei totus se dederit, doctum faciat, cautum, sibi constantem, — talem denique, cui negotia publica privataque gerenda tradantur!

Sic enim, ut quae dixi breviter comprehendam, sic enim sentio: ut ex iuris Romani studio tractu temporis se explicuerunt caeterae disciplinae nostrae partes, sic hodieque non tantum iuris privati accuratior cognitio sine accurate iuris Romani cognitione nulla est, sed etiam ipsum illud longe gravissimum iuris publici et gentium studium iuris civilis cognitione tuto carere non potest; continetur vero universa disciplina nostra communi quasi neque negligendo vinculo; — singulaeque eius partes mutuo se officio sustinent; universae vero ad ipsius reipublicae salutem colendae propugnandaeque sunt!

Quod si ita ad ipsius reipublicae summam pertinere videatur, ut iurisprudentiam tueamur et colamus, gravissimo sane munere funguntur illi, qui in nobilissima hacce Academia eam fovendam docendamque receperunt. Equidem cum, aut virum optimum, ingeniosum, acutum IANUM RICHARDUM DE BRUEYS [1]), cogitem, cui vestro, Viri Amplissimi! beneficio ab augustissimo Rege successor datus sum, aut muneris ipsius rationem atque ambitum mecum reputem, vehementer me commoveri sentio, neque satis scio, an me magis temeritatis accusem, qui illud hodie in me suscipio, an vero Vestrâ gaudeam in me fide, qui illud mihi obtulistis! Faxit Deus Opt. Max. ut neque me neque vos aliquando huius diei poeniteat, mihi vero datum sit, quod in me est, nisi ingenii et doctrinae, at diligentiae tamen et animi perseverantiae, ad Academiae commoda augenda adferre! Tu autem, Amplissime LYNDENE! nobilitate generis non minus quam animi modestia insignis, venerande senex, diu etiamnunc Curatorum collegio praesis, inclyto nobilissimoque CAPPELLIO dignus datus successor, nobis autem, doctoribus atque discipulis, pietatis et humanitatis egregium prorsus exem-

---

[1]) De JANO RICHARDO DE BRUEYS non minus vere atque accurate quam pie dixit clariss. B. F. SUERMAN in oratione *de emendenda artis salutaris institutione academica* caet. quam habuit d. XXVI m. Martii a. CIƆIƆCCCXLVIII cum academiae regundae munus deponeret, nuper autem in bonam ferendae legis spem typis describendam curavit.

plum!. Gratulor etiam tibi, Amplissime et integerrime VAN NES! oblatum nuper munus, tuorum erga patriam meritorum egregium monumentum! Vos omnes, viri amplissimi, diu servet rerum humanarum supremus arbiter, in gratiam vestrorum, in Academiae emolumentum!

Ad vos me converto, Viri Clarissimi, collegae exoptatissimi! ad vos imprimis, qui facultati iuridicae estis adscripti! Summa benevolentia non tantum me recepistis in vestrum ordinem, sed id adeo egistis, ut omnem mihi de suscipiendo munere animi dubitationem tolleretis, omnem difficultatem summoveretis. Scilicet cognoveratis, quam arcto amicitiae vinculo cum optimo et in paucis docto coniungebar TEXIO, quem iuvenem, — post HENRICUM CONSTANTINUM CRASSUM iam octogenarium et IACOBUM HENRICUM REENENIUM, virum optimum — primum habui praeceptorem, mox collegam coniunctissimum; censebatis autem me sic maxime prono gratoque animo munus esse suscepturum, si iam in Academia, ut olim in Athenaeo, conspirantes mecum, ad eundem finem tendentes, fidos et fideles invenirem collegas; — nihil non egistis ut mihi hanc fidem probaretis. Tu adeo, clarissimi HOLTI, tuas illas *iuris maritimi et mercatorii* celebratissimas scholas in me transferendas, tu vero, clarissime DE GEER! *Encyclopaediam iuris* doctrina tua illustrandam, ut mihi faveretis, censuistis. Ita mihi contigit, quod unum optaveram, ut illa, et illa tantum, exponenda haberem argumenta, quae arctissimo imprimis vinculo inter se cohaererent, meo autem qualicumque ingenio maxime convenirent. Vos omnes, Viri Clarissimi! ita iam de me optime estis meriti; utinam mihi etiam vobis gratiam referre aliquando liceat, interim vero Traiectinae Academiae vestra erga me benevolentia prosit!

Vos autem amplissimi, honoratissimique Viri! mecum arctissimis sanguinis, adfinitatis, amicitiae, munerisque hactenus gesti vinculis coniuncti [1])! Te maxime, pater optime, Te mi frater, quem praeceptoris instar olim colebam, Te etiam quem alterum patrem mihi adfinitas dedit, Vos fratres

---

[1]) Orationem habenti aderant complures eorum, quos in Athenaeo Amstelodamensi habueram discipulos, tum ex collegis Clariss. Viri C. A. DEN TEX et J. BOSSCHA, ex cognatis et affinibus Viri Ampl. et Clarissimi M. C. VAN HALL, F. A. VAN HALL, G. VROLIK, W. VROLIK et A. VROLIK.

per adfinitatem coniunctissimi! Te denique. Amicissime DEN TEX! — Vos omnes hic praesentes non sine tristi voluptate intueor! Videtis autem quid faciat ut Amstelodamensem illam, mihi gratissimam, stationem cum Traiectina commutaverim; sentio quibus iam mihi carendum sit beneficiis; utinam vestra illa ne excidam caritate, qua per longam annorum seriem frui mihi contigit! Vos autem, Optimi Patres! diu fruamini vegeta illa senectute, ardenti illo in bonas literas, in disciplinam etiam nostram amore, sana illa mente in corpore sano, quibus in paucis distinguimini. Vos, fratres carissimi, rempublicam ornare, reipublicae prodesse pergite! Tu autem optime collega, amice coniunctissime! optimus mihi collega, fidissimus mihi amicus maneas! Loco non animo simus divisi! neque aliud ego, cum his collegis viris celeberrimis, agam Traiecti, quam tu Amstelodami, cum nostro illo HOEVENIO, quem Amstelodamensis magistratus tibi collegam, mihi vero successorem dedit, maxime expetitum!

Superest ut vos compellem, Ornatissimi Iuvenes! Nobilissimae huius Academiae cives! Vos imprimis, qui disciplinae operam datis, ad quam explicandam praeceptoribus vestris collega datus sum! Audivistis quanti faciendam his nostris temporibus et in patria nostra censeam iurisprudentiam. Non dubito, quin vos imprimis, generosi iuvenes! habeam adsentientes; non dubito, quin vos patrum nostrorum exemplum sequendum censeatis, et efficiendum, ut sint qui apud exteros ius nostrum, nostrumque nomen tueantur, ut sint qui prudenter rempublicam administrent, civilemque libertatem tueantur, ut sint qui recte ius dicant et egregie causas agant; sed hic animi vestri nudus consensus non sufficit. Rebus ipsis factisque appareat oportet. Nam vel imprimis in vestrâ est potestate, an antiquam aliquando Neerlandicam in disciplinâ nostrâ tuendâ et colendâ laudem simus recuperaturi. Quod ut fiat, ab omni ignavia atque socordiâ vobis cavete, studiis incumbite, denique in investigando alacres, in iudicando cauti estote! Me autem studiorum, ut caeteros Praeceptores vestros, ducem et auctorem, sed comitem etiam et commilitonem accipite!

Ita conspirantibus, ad unum eundemque finem tendentibus, doctoribus et discipulis, annuente Deo, Rheno-Traiectinam Academiam *illustret Iustitiae sol!*

DIXI.

B. J. LINTELO DE GEER

ORATIO

DE

AETATIBUS JURISPRUDENTIAE,

HABITA

DIE XXI M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLVIII,

QUUM MUNUS SOLEMNITER AUSPICARETUR.

QUI PROVINCIAE RHENO-TRAJECTINAE PRAEES, VIR ILLUSTRISSIME!

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!

QUI EORUM ES AB ACTIS, VIR CONSULTISSIME!

QUI VARIAS DOCTRINAS ET DISCIPLINAS IN HAC ACADEMIA DOCETIS, VIRI CLARISSIMI!

QUI MUNERUM AUT HONORUM AMPLITUDINE ESTIS CONSPICUI, VIRI GRAVISSIMI!

ARTIUM SCIENTIARUMQUE DOCTORES, VIRI DOCTISSIMI!

SACRORUM ANTISTITES, VIRI VENERABILES!

VARIARUM DOCTRINARUM STUDIOSI JUVENES, COMMILITONES CONJUNCTISSIMI!

QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS, QUI AD HANC SOLEMNITATEM CONFLUXISTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Quod Cicero quondam praedicavit de historia, testem eam dicens temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, magistram vitae, nuntiam vetustatis, potest hoc profecto hac nostra aetate repeti et affirmari. Ea enim non amplius fatis unius gentis absolvitur, sed amplissimum nacta est argumentum, quod tractare debet, totius generis humani fata, nec tantum gentium facta regumque facinora inquirit, sed mores etiam et instituta populorum, vivendi cogitandique rationem exponit, declarat quid singulae gentes in artibus, doctrinis, disciplinis valuerint, praefert illa facem, qua praeterita illustret, ut nobis originem progressusque monstret ejus quod nunc obtinet. Non tantum gentium, sed artium quoque doctrinarumque historia excolitur, earum primordia, incrementa describuntur, exponuntur inventa, placita, cogitationes priorum, quibus utantur posteri, pergantque, hoc insistentes quasi fundamento, doctrinas excolere et promovere.

Intelligitis, quid debeant artes et doctrinae, Auditores, historiae studio, quantumque valuerit accuratior investigatio ejus ad nullas non melius cognoscendas et percipiendas; nec mirum multorum audiri jam vocem affirmantium historiam ipsarum doctrinarum esse paulo tractandam. Habet enim unaquaeque doctrina suam quasi vitam, qua per aetatum successionem vixit, habuit suam infantiam, cum primum orta, ad certam formam nondum excreverit, habuit suam adolescentiam aetatemque virilem. Excoluerunt eam diversae gentes, singulae suo modo, proque sui ingenii ratione, alia via pro temporum diversitate procedere solent eruditi, terminos suae doctrinae proferre, distinguendo accuratius, subtilius explicando eam melius definire student, formamque illi dare meliorem nituntur.

Atque valet hoc in primis de jurisprudentia, quae ex ipsa societate humana orta, easdem fere ac illa subiit vicissitudines. Apud hanc sese praecipue commendat haec progrediendi via, quae historiae luce collustratur. Sic enim videmus, ex quibus illa initiis progressa, quomodo a singulis exculta, quomodo tractata ad eum pervenerit, quem jam habet, ambitum. Nec hoc tantum volumus, ut ipsius doctrinae fata apud diversos populos cognoscantur, atque explicetur, quinam in ea excolenda excelluerint, quid fecerint vel scripserint, sed hoc item requirimus, ut investigetur, ipsa quomodo sese doctrina explicuerit, fines ejus fuerint prolati, auctus ejus ambitus, studium provectum. Sic historiam jurisprudentiae exponentes, ipsam melius rectiusque cognoscemus.

Quod tamen ut consequamur, in ipsa jurisprudentiae historia, prouti in gentium historia, aetates distinguendae sunt, non populorum gentiumque diversitate distinctae, sed discretae inter se diverso quo exculta ea fuit et tractata modo. Quae quidem distinctio, si recte et ex doctrinae ipsius natura instituitur, hanc in primis affert utilitatem, ut tanquam in tabula quadam id nobis positum ante oculos habeamus, quo modo doctrina nata fuerit, quas formas induerit, quâ viâ fuerit progressa. Sic demum intelligimus, quid praeclari viri ad doctrinae florem contulerint, quare sic eam tractarint, quid ipsi prioribus, quid illis posteri debuerint, quale illud sit, quod nobis jam excolendum reliquerint proavi, quâ jam sit progrediendum. Tum demum apparet, quam arcte conjuncta fuerint jurisprudentiae fata cum gentium conditione et historia.

De his jurisprudentiae aetatibus dicere haud incongruum mihi visum est argumentum solemni hac opportunitate, qua munus mihi suscipiendum est et jurisprudentiae professio, ut sic non a dicentis facundia, sed ab argumenti gravitate commendationem sibi inveniat mea oratio. Spectat enim illud non hanc illamve doctrinae partem, sed ad universam jurisprudentiam refertur ejusque ortum et progressus. Qua de re si ita dicere mihi contingat, ut sin minus doctrinam et facundiam, attamen doctrinae amorem et studium vobis probem, nae me felicem beatumque habebo. Vestram igitur mihi benevolentiam imploro, quo benigne me audiatis dicentem *de aetatibus Jurisprudentiae.*

Quam multae artes doctrinaeque in Oriente sua incunabula habuerunt, unde genus humanum suam ducit originem, ubi primum societates coiverunt! Ortae ibi disciplinae quas vitae necessitas produxit, quasve sedula fovit observatio, sed Jurisprudentiae primordia ibi ne quaeratis, Auditores. Nondum justi injustique notio separata fuit et distincta a religione et cultu deorum; leges erant deorum placita, poenae divina continebantur vindicta et voluntatis divinae interpretes et antistites sacrorum iidem erant juris conditores. Non distinctum tum fuit inter pietatis et religionis officia, quae homines peragunt, si pii, boni, justi esse velint et ea praecepta quibus hominum inter se necessitudo nititur, quibus obtemperare cogitur, ne ipsa corruat societas conjunctionis humanae.

Antiquissima habemus scripta Hebraeorum, in quibus agitur de multis rebus, quae ad jus pertinere censentur. At videte quam magna religionis ratio in iis habeatur, cum eo referantur omnia praecepta, ut firmum maneat et conservetur vinculum Deum inter et populum, ut omnes puri sint et integri nec juris sit laesio, quae non simul peccatum sit et Dei contumelia. Nec longius progressae sunt aliae orientis gentes, quarum ad nos notitia quaedam pervenit; quamquam moribus et institutis multum a se invicem diversae hac una in re similes, quod justitiae et pietatis notiones non separarint. Plurima deorum voluntate et arbitrio definita habuerunt, religionis praeceptis descripta, quaeque ibi omissa erant aut minus plene tractata, moribus et consuetudini, aequitati et auctoritati seniorum relinquere solebant. Indicavi jam duo, quibus jus primum apud

Orientales efficiebatur, elementa, religio et consuetudo; harum vinculo civitates gentesque conjungebantur in primis, conjunctaeque manebant, sed magna illa imperia, ibi condita, magis unius voluntate et arbitrio quam juris communione erant sociata. Quid? quod ne nunc quidem, qui vivunt ibi populi, hac in re ab antiquis sunt dissimiles. Receperunt plurimi Mohammedis doctrinam, eamque sequuntur et observant, sed his quoque qui a coelo allatus creditur directionis liber, juris est unicus fons et codex, cujus auctoritate omnes aliae normae nituntur, quas ex proavorum traditionibus vel sententiis et interpretationibus doctorum derivant. Ibi igitur nulla juris scientia, nulla jurisprudentia fuit unquam nec est hodie.

Et quid dicam de Graecis? Leges aeternas celebrarunt poetae, justi injustique notionem philosophi explicuerunt. Cui in mentem non venit Pindaricum illud de lege, *ὁ πάντων βασιλεὺς, θνητῶν τε καὶ αθανάτων*, quis Platonis non recordatur, qui in civitatis ordinatione justitiae imaginem quandam exprimere conatus fuit, eamque tanquam summam virtutem celebraverit? Quis ignorat Aristotelis de justo disquisitiones? Et quot hoc loco philosophos nominare possem, quam longam seriem excitare eorum, qui suis singuli civitatibus leges scripserunt. Et tamen propria juris disciplina nulla in Graecia, nulli juris periti, nulla jurisprudentia. Quid multa? Civitatem unice respiciebant Graeci, ad eam jus referebant, justitiam eam dicebant virtutem, qua quis optimus civis fieri posset. Legibus illi condendis civitatis salutem et prosperitatem tuebantur, hominum inter se necessitates et officia imperfecte tantum ordinantes.

Revera autem, AA., jurisprudentia tum demum existere potuit, cum justi injustique notio adhiberi coepisset multiplici hominum inter se commercio, diversisque vitae necessitatibus, cum singulorum in civitate jura accuratius fuissent descripta, cum leges non tantum salutem civitatis, ejusque ordinationem, sed etiam defensionem et tutamen jurium omnium inter se civium singulorumque libertatem spectarent. Sic demum illa juris doctrina oriri potuit, qua quid per singulas rerum opportunitates justum sit definitur, qua legis jubentis vetantisve praecepta juste adhibentur, explicantur, conciliantur cum eâ, quae ex causis prodeat, aequitate, qua, ut verbo dicam, vox additur juri idque ex philosophiae umbra et legum stabilitate in vitae actionem et hominum lucem deducitur.

Est haec Romanorum non ultima laus, quod hanc jurisprudentiam primi excoluerint. Alieni quidem erant a philosophia, iisque quibus Graeci maxime inclaruerunt artibus sed eo excelluerunt magis iis doctrinis, quae ad vitae usum artemque civilem referuntur. Ex moribus populi antiquissimis et religionis praeceptis apud eos quoque jus prodiit, sed mature hoc jam certam simul formam accepit. Nonne in XII tabulis descripta jam erant multa civilia jura, quamquam breviter et concise? Tum vero deinde apparuit, quam acuto juris justitiaeque sensu praediti fuerint Romani, quam acriter orbis terrarum victores inter se jus suum vindicaverint et defenderint. Quantum profuerint Edicta illa Praetorum, quae quotannis proponere solebant, ut juris notio explicaretur perpetuo, corrigeretur jus ipsum et tempori aptaretur, eique, quae apud populum obtineret, de jure persuasioni. Sublatus his fuit ille dissensus, qui tam facile exsistit, inter voluntatem et judicium populi progredientis ad cultum et humanitatem, vitaeque necessitates et legum stabilem rigidamque naturam.

Prodiit ita apud Romanos juris civilis studium et crevit a summis in civitate viris perpetuo curatum et tractatum, ad eumque pervenit ambitum, quem numquam ante habuerat. Hujus juris scientia summae laudi fuit principibus viris. Clari eâ fuerunt Aelii, Catones, Scaevolae, summi in republica viri; post hos fuerunt Servius Sulpicius, Brutus, Manilius, qui fundaverunt jus civile et jurisprudentiam. Horum domus totius oracula civitatis, respondebant consulentibus, aderant judiciis, adhibebantur in concilio, florebant honore, gratia et auctoritate apud omnes. Cogitavit jam Cicero de juris civilis perfecta arte condenda, illustrarunt deinde multi diversos juris fontes, nec tantum juris interpretes, sed conditores quoque suis responsis evaserunt. Ab his progressa tam longa illa series Jurisconsultorum praeclarissimorum, qui nomen suum scriptis illustrarunt, quorum clara est gloria, quamdiu verae Jurisprudentiae sua laus constat. Eleganter illi, subtiliter, copiose jus exposuerunt, in genera sua et quasi membra digesserunt aut de difficillimis quaestionibus disputarunt sagaciter et acute, optimis Imperatoribus aderant in conciliis, erudiebant jusque docebant generosos adolescentes. Quid plura? Condiderunt Jurisprudentiam. Nec condiderunt tantum, sed excoluerunt etiam summo studio et acumine. Quantum contulerint sua auctoritate et responsis ad jus am-

pliandum et constituendum quis ignorat? Quis non ipse admiratus est sagacitatis et acuminis exempla in jure usurpando et adhibendo vitae necessitatibus?

Sic quidem jam indicavi illud, quod propriam notam quasi atque naturam Romanae jurisprudentiae efficit. Egregie sane erat illa tractata et exculta, sed arctioribus erat circumscripta limitibus totaque ad vitae usum relata. Romani *jus civile* sedulo excoluerunt, quo jura civium inter se accurate definirent, sed juris publici et gentium doctrina iis deerat, aequi honestique notionem parum a notione justi separarunt, aliena erat apud eos juris tractatio a meditatione et philosophia, verbo: hac prima jurisprudentiae aetate erat ea ex vitae usu orta *civilis sapientia, praxin forumque in primis, spectans.*

Corruit sua mole oppressum vastum Romanum imperium, sed jam ante sana illa Jurisprudentia interierat, remanserat tantum ars illa forensis, quae ex scriptis veterum omnem suam doctrinam derivans, colligendis legendisque summorum virorum operibus suam sibi laudem quaesivit. Non opus, ut vobis Theodosii, Justiniani, Basilii collectiones, earumque interpretationes et compendia in memoriam revocem, intereuntis juris scientiae, ultimos fructus. At vero interea stirpis Germanicae gentes Romanorum sibi vindicarant provinciae novaque condiderant regna. Videte illos! Quam rudes erant et incultae primum, apud quas boni mores plus quam bonae leges valerent, quaeque viverent sine lege, patrio imperio, moribus avitis. Facile illi Germani exhaustum senioque confectum Romanum imperium superantes, a victis victores acceperunt, quibus ipsi carebant, cultus artiumque semina. Tum his accessit, quam Christianae religioni debebant, humanitas et civilis societatis ordinatio. Notae sunt omnibus illae leges scriptae latinâ lingua, in quibus antiquissima habemus juri Germanici testimonia. Spectant in primis delictorum poenas et compositiones, quaedam tantum de jure civili continent. Immane quantum a jurisprudentia remoti erant Germani cum has sibi leges inde a saeculo quinto scriberent nec qui deinde haec jura confirmavit et ordinavit Carolus Magnus juris doctrina excelluit. Nec profecto illos inter jurisconsultos, referendos putabitis clericos, qui in Francorum imperio leges, Capitularia,

formulas in scripturam redigebant, qui non religioni tantum sed scientiae quoque et doctrinis operam dantes populorum ibi magistri, principum consiliarii erant. Et tamen per hos prima juris Romani civilis notitia ad Germanicas gentes pervenit. Scilicet Romano jure utebatur Ecclesia, crebra erant ejus vestigia in synodorum decretis et epistolis Pontificum, multus ejus usus in supplendis iis quae deficerent. Praeterea ubi Romani imperii provincias occuparant, una cum institutis etiam jus Romanorum aliquamdiu remansit superstes. Sic sensim, nec uno modo juris Romani elementa etiam extra Italiam propagata inter has gentes fuerunt, ita tamen ut illi, qui juris conservarunt memoriam, non operam darent ut illud plane cognoscerent et explicarent, sed aliis rebus intenti juris sibi eam, qua opus habebant, notitiam ex compendiis et compilationibus petebant, quas invenerant.

Jam mihi oculos convertite in Italiam, AA.; major ibi juris Romani memoria. Ibi plurima vestigia ejus quae ante fuerat conditionis, nec erepta unquam fuit plane superstitibus incolis ea quam a majoribus acceperant juris aequalitas; magna ibi ecclesiae auctoritas quae jure Romano vivebat, quid, quod Romae primum deinde Ravennae schola quoque juris aliqua manserit, hujus juris regulas et praecepta secuti sint illi, qui instrumenta conficerent, causasque judicarent, non defuerint hujus juris periti et interpretes. — At vero ne apud hos jurisprudentiam, quae vere sic dici posset, floruisse existimetis. Usu et memoria formam juris alienam sibi conservarant, doctrinam ipsam non habebant; forum spectabant et judicia, ipsos fontes vix cognoscebant.

Et tamen ex Italia nova aetas Jurisprudentiae oriunda erat. Quantum ibi saeculo XII juris studium ortum sit derepente et auctum cum Irnerius Bononiae juris fontes explicare aggressus esset, quotus quisque nescit? Tum primum ibi jus exponi coepit scholaque fuit condita in qua perpetua successione clari doctrinâ viri illud docuerunt. Quanto studio mox undique ex tota Europa eo confluxerunt juvenes! quanta industria audiebant doctorum lectiones de singulis partibus corporis juris! quam admirabantur juris Romani praestantiam, nunc demum ejus ambitum intelligentes, ad ejus thesauros admissi! Mox illi in patriam singuli suam redeuntes non tantum cognitionem juris Romani justinianei, sed simul fontes ejus genuinos, antea tantum non incognitos, popularibus suis attulerunt, eorumque ipsi

sua vice exstiterunt magistri. Sic effectum ut jus illud, nec antea plane ignotum, justi injustique norma omnibus evaderet, ad quam juris notionem exigerent, ut hoc adhiberent omnes, quoties patriae leges consuetudinesve deficerent, novaeque causae exsisterent, ut investigarent, excolerent omnes illud sedulo, qui doctrinae laudem sibi quaererent, ut tantam auctoritatem nancisceretur per totam occidentalem Europae partem jusque fieret commune.

Jam animadvertite qualis illa erat renata Bononiae jurisprudentia. Prodiit illa non ex usu fori, sed ex interpretatione et explicatione fontium juris Romani; illos explicabant in scholis docte graviterque illi doctores, verba summa cura ponderabant, exponebant juris placita, comparabant similia, dissimilia notabant, verbo non condebant jus sed explicabant, erat eorum jurisprudentia *docta et*, ut ita dicam, *exegetica*. Ne a me exspectetis ut multis hoc verbis probatum eam; notissima sane est eorum doctorum methodus, testes adsunt eorum scripta, glossae, lecturae, summae. Illud potius attendite quanta fuerit eorum auctoritas, quam laetos fructus tulerit illud studium. Huic debemus feudalium Italiae consuetudinum collectiones, compositos a Gratiano Bononiae juris Canonici fontes, quae simul cum jure Romano ibi explicata, per totam Europam propagata inde a saeculo duodecimo fuerunt.

Nec tamen haec jurisprudentia in scholis primum nata, intra earum cancellos contemta mansit. Ipsi deinde doctores usum juris remque forensem non neglexerunt. Testantur hoc consiliorum et responsorum volumina et tractatus eorum de judiciis, sed inprimis eorum doctrina per discipulos latius propagata non potuit non valere magnopere ad juris investigandi, emendandi, definiendi studium ubivis excitandum. Ortae sunt non tantum et conditae plures universitates, ubi juris doctrina docebatur, sed apud ipsos populos quoque, aucto rerum commercio, proprii juris cognoscendi et describendi nova exarsit cupido. — Hinc inde a saeculo XIII statuta patria et consuetudines describi, tractari, explicari coeperunt. Compositum fuit in Germania speculum Saxonicum et quot tum collecta scriptoque mandata et ab Imperantibus data vel confirmata sunt urbium, locorum, regionum statuta, quibus jus definitum, ordinatum, emendatum fuit! Sed mature jam in his juris patrii monumentis vestigia occurrunt ejus, quam jus Romanum acquisierat, auctoritatis. Nec mirum; dominabatur illud in

scholis, ita ut Honorius III interdiceret, ne quis hoc Parisiis doceret vel audiret, metuens ne canones prae eo negligerentur. Quae didicerant adhibebant omnes ad jus explicandum et supplendum et ubivis nobis verba, formulae, praecepta occurrunt, renatae jurisprudentiae testimonia. Quid, quod ipsos juris patrii fontes explicare eodem modo et tractare aggrederentur ac juris Romani libros. Videmus denique saeculo decimo quarto juris Romani et canonici peritos prae aliis in concilio Principum admissos in Gallia, in Germania, in patria nostra. Testis sit ille Philippus a Leydis, qui Comiti Hollandiae et Episcopo Trajectino consiliarius adfuit.

Sic illa jurisprudentia docta et exegetica adhibita fuit ipsi juri excolendo et promovendo, rediitque ad vitae usum et praxin, sed ita ut illam ad sua jam praecepta et regulas conformaret, atque sibi hoc ab origine proprium conservavit et retinuit, quod a juris Romani cognitione progressa, jus hoc civile sibi semper praecipuum servaret argumentum, ad quod omnia erigeret, emendaret, suppleret.

Difficile dictu est, AA., haec jurisprudentia quantum incrementum ceperit, restituta, saeculo decimo quinto exeunte, antiquarum literarum cognitione. Non ego describam, quomodo tum tota Europae facies mutata fuerit, sed hoc velim animadvertatis quam multorum animos infecerit illa elegantia et venustas, quam in scriptis et operibus veterum admirabantur. Illi recentes ab antiquorum lectione ad suam singuli doctrinam venientes elegantius jam et ornatius eam tractare aggrediebantur. Elegantior sic quoque exstitit jurisprudentia, simulque accuratior historiae investigatio, editique ejus fontes multum contulerunt ad juris intelligentiam; conquisitae undique et editae deinde omnes juris reliquiae; multa parata subsidia ad pleniorem juris intelligentiam.

Praeterea inde a saeculo XV describi jam plenius et melius ordinari coeperunt diversarum gentium jura, latae plures leges et ordinationes, juris persequendi gratia forma certa hic illic praescripta aut quae usu invaluerat correcta et confirmata fuit, quae non potuerunt non valere ut jurisprudentiae ambitus et usus in foro et judiciis fuerit auctus. At vero simul sic effectum fuit, ut quae antea fuerat una fere et communis omnibus, singulis fieret aliquatenus propria. Quo enim magis, latis legibus, descriptoque singularum gentium jure, juris diversitas exsisteret, eo magis ita jus proponebatur a Jureconsultis et ad vitae usum describebatur, quale fuit ipsorum genti

acceptum et accommodatum. At vero ne sic distraheretur nimis et divelleretur jurisprudentia, aut in scholarum umbram se reciperet a fori vitaeque luce, effecit haec ipsa juris Romani vis atque auctoritas, quam ubivis retinebat. Erat enim mansitque hoc commune omnium jus, ex quo omnia juris principia derivarent, quod omnis juris ipsiusque justi esset norma et supplementum, ad quod omnes perpetuo recurrerent tanquam ad fontem juris uberimum.

Sic exstitit classica illa et elegans jurisprudentia ab una parte, quae in explicando jure Romano et enucleando erat tota, ab altera vero practica illa et popularis, quae in usu fori illustrando et quaestionibus tractandis aut exponendis juribus patriis versabatur, sed et illa juris Romani regulis et praeceptis utebatur perpetuo. In Gallia in primis exculta fuit illa elegantior jurisprudentia et a quantis quidem hac aetate viris. Quis ignorat Tilios, Duarenos, Hotomannos? Quis Donellum non novit? At vero omnium famam obscuravit ejus aemulus Cujacius, qui interpretandi arte, sagacitate et doctrina omnes vicit, cujus vix quisquam attigit praestantiam, superavit nemo. Quam docte Theodosianum Codicem explicuit Gothofredus! At vero nec patrium propriumque jus propterea negligebatur. Eadem methodo docte me hercule et erudite explicuerunt illud viri doctrina non tantum, sed usu fori etiam conspicui Molinaeus, Argentraeus, Chopinus: alii, prudentia clari, aderant in judiciis et conciliis regis, nolo enim congerere nomina. Ferax fuit tum Gallia virorum in hac doctrina nobilium. Nec deerant in Germania juris veteris cultores, celebria ibi quoque nomina Haloandri, Sichardi, Leunclavii, sed praeterea multorum industria ibi varia juris capita accuratissime tractavit; scripta opera de juris usu permulta; adhibita etiam ad leges et ordinationes conficiendas opera Jurisconsultorum. In Belgio quoque Giphanii patria, in patria nostra quoque multi jura explicuerunt, illustrarunt, doctrina pariter muneribusque clari. Omnes autem hac aetate JCti eadem viâ in juris studio progrediebantur, quâ in jure Romano explicando uti solebant, ipsamque justi injustique notionem magis ex scripto jure eruere et interpretando deducere studuerunt, quam ut philosophice de ea disputarent. Attamen ipsa Jurisprudentia plura jam complexa erat; nam quamquam juris civilis in primis studio contineretur, illud ipsum non tantum ex juris Romani reliquiis, et quidem multo plenius meliusque quam antea cognitis, sed etiam ex consuetudinibus legibusque

singularum gentium explicabat et illustrabat, nec interpretando solum, sed describendo constituendoque juri quoque fuit illa adhibita.

Quantum mutata erat Europae facies saeculo XVI exeunte, ab illa quae ante fuerat! Jam aderant multa regna, diversaeque gentes sua singulae jura habentes, multis tamen rerum commerciis conjunctae; belli ac pacis alia invaluerat ratio; sacrorum reformatio juris canonici auctoritatem multis locis infregerat, auxerat juris civilis patriique imperium, libertatis studium jurisque omnibus aequi desiderium magis apud ipsos populos creverat; justi injustique notionem accuratius investigare, de summo juris principio quaerere, illudque adhibere gentium inter se necessitatibus, ipsiusque civitates ordinationi coeperant eruditi.

In primis hoc facere instituit patriae nostrae decus Hugo Grotius. Cum opus suum ederet de jure belli ac pacis evasit novae viae auctor, qua multi deinde progressi sunt in colenda jurisprudentia, ejusque terminos late protulit. Condidit juris naturae et gentium doctrinam. Scilicet de jure naturali longe ante jam quaedam disputarant Scholastici, Thomas Aquinas praecipue; his successerant alii, sed quam jejune et exiliter! At vero omnibus notum est, quomodo Grotius de principio et fonte juris ex ipsa humana natura repetendo, ad societatem apta et destinata, disputarit, quomodo distinxerit inter jus naturale et voluntarium, quatenus illud naturâ, hoc voluntate divina seu humana nitatur, quo modo hinc progressus conatus sit jura inter gentes definire jurisque notionem adhibere earum inter se commerciis. Ab eo inde tempore multum in jurisprudentia valuisse philosophiae studium, facile, credo, conceditis. Agi tum quoque coepit de fundamento civitatium, de jure summi imperantis, de variis juris publici partibus multo quam ante accuratius et melius. Sic excultum fuit deinde jus gentium, adhibitaque juris notio ad definiendam rationem, quae inter singulos civium ordines ipsamque civitatem et cives intercedit, de juris puniendi fundamento et poenarum fine accuratius fuit quaesitum, disputatum fuit de summo juris principio, essetne illud sola mentis cogitatione assequendum, an derivandum a morali hominum natura, an vero experientia magis duce inveniendum. Discerni simul doctrina moralis a jure et separari magis coepit, variaque juris argumenta a philosophis aeque ac jureconsultis philosophice tractata fuerunt. Nova certe cum Hugone Grotio incepit jurisprudentiae aetas.

Molestus vobis essem omnium doctrinâ nobilium nomina et merita nunc referens; sed Puffendorfii tamen memoria hoc loco instauranda est, primus qui jus naturae docuit. Hic Jureconsultus, philosophus fuit Wolfius, qui in suo jure naturae, methodo scientifica pertractato, universam Jurisprudentiam methodo paene dicam mathematica proposuit. Multi jus naturae et jus gentium deinde describere instituerunt atque accuratior principiorum inquisitio effecit, ut in multis juris partibus nova plane tractatio invalesceret. Notum est quantum in Gallia deinde valuerit philosophia in variis juris publici partibus; Montesquivium, Rossavium, Beccariam, Voltairium nominasse sufficit suo singuli modo clari. Inter Anglos Humius et Benthamius horum vestigia secuti sunt, nec deerant in Germania, qui eandem viam eligerent, donec ibi Kantius criticae philosophiae conditor exstiterit, quam deinde suâ singuli viâ incedentes excoluerunt summi viri. Sic variae exstiterunt ibi, recentiori tempore, philosophorum de his doctrinis opiniones, et fuerunt, qui de vera natura juris naturalis dubitantes, ei supponerent philosophiam juris positivi, quae inquireret, quatenus justa sint et rationi consentiant, quae in populorum legibus sint constituta.

Nolim his immorari, sed intelligitis, quantum haec omnia valuerint ad formam doctrinae juris immutandam. Distribui et in suas partes describi jurisprudentia coepit; disciplinae ejus variae determinatae, singulis suus locus assignatus, earumque inter se fines descripti fuerant. Sic jus gentium, jus publicum inprimis, quatenus reipublicae constitutionem et delictorum punitionem spectat, jus patrium separatim explicari et tradi jam coepit atque fuerunt in patria nostra quoque non tantum docte et accurate illa in scholis docentes, sed etiam eximie a summis illis viris, qui muneribus et honoribus clarum sibi nomen sunt adepti, illa tractata fuerunt. Simul vero viguit ibi praecipue juris Romani studium ejusque accuratior interpretatio. Nota sunt Pestelii, Trotzii, Bondami, Kluitii omnibus nomina; in jure criminali Mathaeus celebre nomen adeptus est et Bortius, et recentiori tempore van der Keessel aliique, Jus patrium explicantem Grotium secuti sunt in singulis regionibus bene multi. Voetius, Noodtius, Schultingius, Bynkershoekius aliique doctaa ccurataque juris Romani interpretatione inclaruerunt, docti omnes eximiique viri, quibus gloriatur patria nostra!

Huic igitur studio illud debemus, quod jam non arctis inclusa sit juris-

prudentia limitibus, sed latissimum nacta sit campum, in quo excurrat, suique magis sibi conscia facta sit principii, quo nitatur, et propositi quo tendat, quod in suas illa descripta partes, non explicatione juris Romani constet, sed omnes complexa sit juris inter singulos, inter gentes, inque ipsa civitate necessitates. Sed praeterea et illud videte, quantum in doctrinarum juridicarum tractatione fuerit novatum. Novo plerumque jam ordine traduntur, in singulis plura prodierunt diversaque, quae dici solent, systemata, in quibus disciplinae praecepta meliori ordine, ut opinabantur, et accuratius describerentur, referrentur omnes ad summa quaedam praecepta, e quibus cetera derivarentur. Erat haec aetas quodammodo philosophae jurisprudentiae.

Felices nos praedicare licet, AA., quod ita provecta et exculta fuerit jurisprudentia; at vero ne praetervideamus illud, quod inde facile ceperit detrimentum. Quo major enim evaserit ejus ambitus, quo remota magis ab usu forensi ejus tractatio, eo majus erat periculum, ne a vitae usu removeretur doctrina, divellerentur a se invicem ejus partes, quae vel in explicanda et declaranda notione juris vel in adhibenda ea et usurpanda ad rerum opportunitates consistunt, quae certe arctissimo conjunctae sunt vinculo, eaque ipsa sic manca evaderet et divulsa. Et profecto facilius etiam hoc fieri potuit, cum jam condi juris Codices apud diversos populos placuisset, quibus juris omnibus aequi certique constituendi studium ansam dederat. Tum evenit, ut multi in eam opinionem adducerentur, omne jus jam his contineri, totam jurisprudentiam eorum cognitione absolvi, vix aliquam superesse elegantioris jurisprudentiae utilitatem, ad doctrinae laudem hanc fortasse valere, ad fori usum et vitae experientiam parum aut nihil conferre. Et ne miremini ita judicari potuisse! Erant, qui nimis de jure philosophantes, historicam juris inquisitionem, quasi jejuna esset nec fructuosa, negligerent, repudiarent illam, quae superiora tempora nobis reliquerant doctrinam et experientiam.

Quam illi perverse de jure errarunt, quasi illud derepente ortum vel unius voluntate creatum esset, nec sensim paulatimque creverit nec per aetatum successiones ad eam formam, quam jam habet, pervenerit; quasi intelligi hodiernum jus posset recte et explicari sine cognitione eorum fontium, e quibus fluxit. Perversae huic rationi obviam iverunt praecipue

illi, qui historicam, quae dici aliquando solebat, scholam condiderunt. His debemus historici juris studii instaurationem, novae jurisprudentiae aetatis initium. Hoc illi studuerunt efficere, non ut antiqua in vitam reducerent, ad veterum nos revocarent instituta, sed suum honorem ut singulis aetatibus vindicarent, ut viam indicarent, quâ jus progressum esset et creverit, ut vinculum monstrarent, qua praeterita jungantur praesentibus, at vitam juri redderent, nec nisi historia duce illud posse intelligi ostenderent. Hac nos vocant illi viâ, qua in colenda jurisprudentia progrediendum sit, historicâ, ut ex praeteritis explicemus praesentia, praesagiamus futura, nostrisque temporibus ex hac jurisprudentia accedat emolumentum: quae et juri Romano et juri patrio suum servans honorem, neutrum extollit, sed vinculum, quo conjunguntur arctissimum agnoscit, quae sic philosophiam admittit, ut illa doceat quare aliquid justum sit, sed ab historia se edoceri simul velit, qua via quove modo aliquid justum apud populos factum sit.

Jam eo mea oratio pervenit, quo dudum me animus et hujus diei solemnitas vocant. Vobis igitur, Viri Amplissimi, qui hujus Academiae curam geritis, gratias ago, quas possum maximas pro eo honore, quo me ornatum voluistis; Regi Augustissimo exstitistis auctores, qui me huc vocaret, mihique munus mandaret, quod quam grave sit jam expertus sentio. Utinam mihi contingat hanc spem quam de me fovistis, non prorsus destituere eamque quam habuistis mei fiduciam non fallere! At vero quam multa mihi desint, quam remotus sim ab ea, quae in doctore academico requiritur, doctrinae praestantia ipse scio et intelligo. Est hoc illud, quod depressit animum, cum huc venirem, quod etiam nunc deprimit, cum in hunc locum adscenderetur. Nec tamen depressit tantum, sed erexit etiam. Scilicet, quo plura deesse mihi sentio, eo firmius stat consilium, eo omnes intendere vires, ut diligentiâ, studio, alacritate, hunc defectum emendem, ut dignum me aliquando vestra commendatione praestem. Hanc mihi summam laudem putabo, si mihi contigerit, ad amorem jurisprudentiae in juvenum animis excitandum aliquid conferre, hoc vobis recipio spondeoque, quidquid mihi suppetat ingenii et doctrinae me collaturum, ut ne vos delati muneris poeniteat, ut studiosae juventuti prosim, ut Academia vestrae curae commissa floreat et vigeat. Huic Academiae diu vestra cura prodesse possit, vitaque

vobis concedatur longa et felix, quo videntes almae Musarum sedis prosperitatem hoc habeatis curarum praemium, Academiae Rheno-Trajectinae florem.

Vobis autem, Viri Clarissimi, variarum doctrinarum Professores, ut me multis vobis commendarem, ipsi noluistis. Tam comiter et benigne me recepistis huc venientem, et tamen quam procul absim a doctrinae perfectione, vos intuens demum penitus sensi. Video enim viros omni laude cumulatos, doctrina eximios, video praeceptores carissimos, quibus quantum debeam probe intelligo. Accipite grati animi testificationem pro ea amicitia et humanitate, qua me estis amplexi, eum mihi conservate animum, vestraque doctrina et exemplo admonere me pergite et excitare ut strenue progrediamur. Consilio et eruditione meae succurrite imperitiae, experientia vestra meam sublevate jnventutem.

Vobis autem, Viri Clarissimi, quibuscum arctius etiam me studiorum similitudo, munerisque natura conjunxit, persuasum sit, numquam pectore excidere posse amicitiam, amorem, officia, quibus me vobis obstrinxistis. Hoc mihi contingat, ut numquam indignus ad vos accessisse videor. Illo autem cum solitus fuissem potissimum gloriari, quod aliquando vester discipulus fuissem, Aestumatissimi Holti et Ackersdyck, quo me modo nunc affectum esse putatis, ubi, quod numquam speraveram, mihi contigit, ut ad vos redirem una jam vobiscum his studiis operam daturus? Quales vos discipulus expertus sum, tales utinam jam mihi esse pergatis vitae duces et moderatores studiorum, vestrum ut intuens exemplum, vestris ut adjutus consiliis ad eam praestantiam accedere liceat, quam ita suspicere discipulus solebam. Tua autem merita, carissime mihi praeceptor Holti, non ego describere possem, in quibus non hoc maximum ponam, quod tuae commendationi hunc honorem debeam, sed illud potius, quod tua institutione, tuis praeceptis, tua familiaritate talem me informasti, qualem commendare volueris. Si quid in his studiis profecisse aliquando videbor, tibi hoc debebo, qui viam nescienti monstrasti, incitasti haesitantem, comitate, humanitate erexisti timidum, exemplo et doctrina animum ad jurisprudentiae historicae studium stimulasti. Tuere igitur beneficium tuum, sisque, ut fuisti discenti sic quoque alios docenti dux mihi et exemplum.

Quoties autem in memoriam redeo illius temporis, redeo autem saepissime, per quod in hac Academia versari discipulo licuit, quomodo vestrum

oblivisci possem, Praeceptores Aestumatissimi, Goudoevere et Groenewoudi, quorum tot in me collata exstant beneficia; quomodo ante oculos mihi non versaret Heusdii imago, quem non admirati tantum sumus, parentis instar etiam amavimus; quomodo Brueysii immemor essem; meum erit, quae referre non possum, perpetuo saltem meminisse, nec indignum tantos viros beneficiis cumulasse et ornasse amicitia, utinam ne unquam appareat.

Vos tandem, Commilitones conjunctissimi hujus Academiae cives, compello. Audivistis, quomodo haec nostra doctrina creverit, quam late jam pateat ejus ambitus, quid pluribus eam commendarem? Digna est profecto, in quam omnem operam collocemus, quam studiose et alacriter colamus. Ecce, floruit in patria nostra semper sana jurisprudentia, hanc laudem tueamur, curantes ne inferiores simus proavis; caveamus ab eorum errore, qui sui temporis laudatores, antiquitatem spernunt et contemnunt; sit hoc nobis persuasum, jus cognosci plene non posse, nisi facem praeferat historia, eamque, quam nunc induit, formam non intelligi, nisi originem ejus viamque, quâ eo pervenit, cognitam habeamus. Agite huic jurisprudentiae conjunctis viribus alacriter et sedulo incumbamus. Non magister ad vos veni, solidam doctrinam afferens, sed studiorum comitem me habebitis, et, si volueritis, ducem. Quam mihi jam probastis industriam, modestiam perpetuo mihi servate sitque firmum maneatque illud inter nos vinculum, quod ex studiorum similitudine et amore oritur. Vobis, quoad vires sinant, prodesse vestraque studia adjuvare conabor, atque quod doctrinae defuerit, supplere diligentia et sedulitate. Hoc mihi in primis contingat doctrinae amorem in vestris animis excitare et augere; hoc opus est, ut alacriter et strenue nostra studia suscipiamus, sic demum proficere licebit, eaque quae hic percepistis doctrinae elementa, fructus ferent laetissimos. Multa a vobis patria exspectat, qui doctrinis operam dantes mox ea, quae nunc didiceritis conferre debebitis in vitae usum, in patriae salutem et gloriam. Eam exspectationem ne destituatis, vestra erit haec cura, nostra viam monstare et praeire, qua progrediendum, adhortari et excitare, quo alacriter pergatis. Omnium erit nostrum omnibus animi ingeniique viribus eniti, ut doctrinae floreant, vigeat Academia, patria nostra salva sit et incolumis. Faxit hoc Deus Optimus Maximus.

DIXI.

SERIES LECTIONUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

INDE A DIE V M. SEPT, A. CIƆIƆCCCXLVIII, USQUE AD FERIAS AESTIVAS A. CIƆIƆCCCXLIX,

RECTORE

PETRO JOHANNE ISAACO DE FREMERY.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Physicen experimentalem exponet R. van Rees, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, horâ I.

Mechanicam analyticam R. van Rees, diebus lun., merc. et vener., horâ XI.

Physices mathematicae capita selecta R. van Rees, d. mart. et iov., horâ XI.

Chemiam generalem et applicatam, tam organicam quam anorganicam, tradet G. I. Mulder, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, horâ IX.

Chemiam analyticam G. I. Mulder, d. lun., mart., merc., iov. et ven., horâ XII.

Chemiam artibus adhibitam, necessaria data opportunitate, docebit P. J. I. de Fremery, die martis, hora pomeridiana VI—VIII.

Chemiam practicam G. I. Mulder, quotidie in Laboratorio Chemico.

Botanices et Physiologiae plantarum elementa exponet C. A. Bergsma, diebus lunae, martis et mercurii, horâ XI.

Botanicam Historiam plantarum medicinalium C. A. Bergsma, diebus lunae et martis, horâ XII.

Anatomiam plantarum C. A. Bergsma, diebus et horis auditoribus commodis.

Oeconomiam ruralem C. A. Bergsma, diebus mercurii et saturni, horâ XII, duce compendio suo: *Handb. voor de Vaderl. Landhuishoudk.*, ed. Traj. ad Rh. 1842.

Excursionibus Botanicis singulis hebdomadibus praeërit C. A. Bergsma.

Botanicam et Physiologiam plantarum tradet I. Kops, etsi propter aetatem rude donatus, diebus et horis auditoribus commodis.

Zoologiam Th. G. van Lidth de Jeude, diebus lunae et martis, horâ X.

Anatomiam comparatam Th. G. van Lidth de Jeude, die mercurii, horâ X.

Oeconomiam ruralem I. Kops, diebus et horis auditoribus commodis, in Museo regio instrumentorum ruralium.

Histologiam et Organorum fabricam subtiliorem plantarum demonstrabit P. Harting, simulque capitas electa *Physiologiae plantarum* exponet, diebus martis et iovis, horâ pomeridiana II, vel alia auditoribus magis commoda.

Anatomiam generalem docebit et *Organorum fabricam subtiliorem normalem et morbosam animalium* demonstrabit P. Harting, d. veneris et saturni, horâ I.

Astronomiam theoreticam et practicam quater per dierum hebdomadem tradet A. S. Rueb, Astronomiae Lector, diebus et horis auditoribus commodis.

Astronomiam popularem, bis per dierum hebdomadem, A. S. Rueb, diebus et horis auditoribus commodis.

Elementa matheseos docebit C. H. D. Buys Ballot, diebus lunae, martis et veneris, horâ VIII, die saturni horâ IX.

Stereometriam, trigonometriam sphaericam et *algebram* diebus mercurii, iovis et saturni, horâ VIII.

Algebrae superioris methodos explicabit C. H. D. Buys Ballot, diebus et horis auditoribus commodis bis per dierum hebdomadem.

Geometriam analyticam tradet C. H. D. Buys Ballot, diebus lunae et martis, horâ X, *calculum integralem* dieb. mercurii, iovis et veneris, eâdem horâ.

Methodum docendi mathesin horis auditoribus commodis exponet C. H. D. Buys Ballot.

Mineralogiam in primis crystallographiae ratione habita, tum etiam proprietatum physicarum et chemicarum, docebit C. H. D. Buys Ballot, diebus mercurii et iovis, horâ XII.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Theologiae naturalis, sive *Philosophiae de Deo*, *historiam antiquiorem* enarrabit H. Bouman, diebus iovis et veneris, horâ IX.

Historiam Ecclesiae Christianae recentiorem, inde a Reformatione ad annum 1848, duce *Compendio* suo *Hist. Eccl.* Vol. II (Traj. 1840), enarrabit H. I. Royaards, diebus lunae et martis, horâ XII, et die mercurii, horâ II.

Historiam Ecclesiae Nederlandicae enarrabit H. I. Royaards, die iovis, horâ XII et I.

Iuris Ecclesiastici Nederlandici locis selectis explicandis, duce Compendio suo, *Hedend. Kerkregt der Hervormden in Nederland*, Utrecht, 1834 et 1840, data opportunitate, vacabit H. I. ROYAARDS, horis auditoribus commodis.

Critices sacrae praecepta tradet H. BOUMAN, diebus veneris, horâ X.

Hermeneutices sacrae partem alteram exponet H. BOUMAN, diebus lunae et martis, horâ IX.

Jeremiae vaticinia selecta interpretabitur H. BOUMAN, diebus iovis, horâ IX.

Paulli ad Thessalonicenses epistolas, item *Jacobi epistolam*, explicabit H. BOUMAN, diebus lunae et martis, horâ X.

Theologiam dogmaticam tradet H. E. VINKE, dieb. lun., mart. et iov., horâ XI.

Repetitorio q. d. *de Theologia dogmatica*, probationi ecclesiasticae praevio, vacabit H. E. VINKE, die veneris, horâ XII et I p. m.

Ethicam Christianam docebit H. I. ROYAARDS, d. lun., mart. et merc., horâ I.

Theologiam pastoralem tradet H. E. VINKE, d. mart., iov. et ven., horâ VIII.

Puerorum doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationem instituet H. E. VINKE, die veneris, horâ XI.

Commilitonibus, *orationes sacras* habentibus, praesides aderunt H. BOUMAN, H. I. ROYAARDS et H. E. VINKE, diebus et horis, tum sibi, tum commilitonibus maxime commodis.

Publicis *disputandi* exercitationibus praeerunt alternatim, die mercurii, horâ I, H. BOUMAN, H. I. ROYAARDS et H. E. VINKE.

IN FACULTATE IURIDICA.

Ius Pandectarum tradet A. C. HOLTIUS, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, horâ XII.

Institutiones Iustiniani interpretabitur B. J. L. DE GEER, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, horâ VIII.

Historiam Iuris Romani tradet B. J. L. DE GEER, diebus lunae et saturni horâ VIII, die iovis, horâ X.

Encyclopaediam Iuris B. J. L. DE GEER, diebus lun., merc. et vener., horâ I.

Ius civile Neerlandicum docebit J. VAN HALL, d. lun., mart., merc. et iov., horâ I.

Rem iudiciariam et Rationem procedendi in causis civilibus explicabit J. VAN HALL, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ IX.

Ius mercatorium et maritimum exponet J. VAN HALL, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ X.

Locum *de Decoctoribus*, qui est L. III. Codicis Mercatorii, explicabit A. C. HOLTIUS, die saturni, horâ XII.

Historiam gentium recentiorum politicam tradet I. ACKERSDYCK, diebus martis, iovis et saturni, horâ IX.

Statisticam I. ACKERSDYCK, iisdem diebus, horâ XI.

Oeconomiam politicam docebit I. ACKERSDYCK, d. lun., merc. et ven., horâ XI.

Disciplinae Iuris naturalis fata et praecipua placita exponet G. G. VREEDE, duce compendio Cl. *Warnkönig*, cui titulus: *Rechtsphilosophie als Naturlehre des Rechts* (Friburgi Brisg. 1839) diebus lun., merc. et ven., horâ IX.

Ius publicum Batavum tradet G. G. VREEDE, dieb. lunae et martis, horâ VIII.

Ius gentium Europaeum G. G. VREEDE, diebus martis et saturni, horâ X.

Ius criminale, tam *Batavum* quam *commune* docebit G. G. VREEDE, diebus mercurii, iovis et veneris, horâ VIII.

Codicem Quaestionum criminalium, explicabit G. G. VREEDE, diebus veneris et saturni, horâ I, die iovis, horâ X.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

Litteras Latinas A. VAN GOUDOEVER docebit, diebus martis, mercurii, iovis, veneris, horâ XI, interpretando Sallustium *de Bello Iugurthino* et Horatii *Epistolam ad Pisones*.

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, d. mart., merc., iov., ven., horâ X.

Litteras Graecas docebit S. KARSTEN, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, horâ XII, interpretando Sophoclis *Oedipum Regem* et Demosthenis orationem *de Corona*.

Antiquitatem Graecam S. KARSTEN, diebus mercurii et veneris, horâ IX.

Litteras Hebraicas tradet I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, cum interpretanda *Grammatica*, tum *hujus* ut et *Syntaxeos* usu in legendis quibusdam V. F. capitibus historicis monstrando, diebus lunae, horâ I, martis, horâ II, mercurii, horâ X et II.

Litteras cum *Aramaeas* tum *Arabicas* I. C. Swyghuisen Groenewoud, die mercurii, horâ XII, die iovis, horâ XI.

Antiquitatem Hebraicam I. C. Swyghuisen Groenewoud, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, horâ IX.

Ceterum provectiorum commilitonum desideriis, quoad poterit, satisfaciet libentissime I. C. Swyghuisen Groenewoud.

Litteras Belgicas et litterarum Belgicarum Historiam exponet L. G. Visscher, diebus lunae, martis, veneris et saturni, horâ X.

Praecepta Stili bene Belgici L. G. Visscher, dieb. mart., iov. et sat., horâ II.

Historiam gentium antiquarum enarrabit S. Karsten, d. mart. et iov., horâ I.

Historiam medii aevi et recentiorum temporum I. Ackersdyck, diebus mercurii et veneris, horâ I.

Historiam Patriae L. G. Visscher, d. lun. et mart., h. XI, iov., h. X, sat., h. XI.

Logicen docebit C. G. Opzoomer, diebus lun., horâ XI, ven. et sat., horâ IX.

Metaphysicen C. G. Opzoomer, diebus lun., horâ IX, vener. et sat., horâ X.

Spinozam interpretari perget C. G. Opzoomer, die lunae, horâ p. m. V—VII.

Historiam Philosophiae veteris, praecipue *post Socratem*, enarrabit S. Karsten, diebus lunae et iovis, horâ II, aliave commoda.

Exercitationes Oratorias moderabitur A. van Goudoever, die sat., horâ I.

Institutiones Paedagogicas habebit S. Karsten, die saturni, horâ XI et XII, partim *Paedagogiae historia* enarranda, partim moderanda interpretatione selectorum *Pindari* carminum et Satirarum *Persii*.

Disputandi exercitationibus praeerunt, alternis hebdomadibus, die saturni, horâ I, A. van Goudoever et S. Karsten.

G. Dorn Seiffen, Litt. Hum. Lector, aliquam antiquae, medii aevi, vel recentioris historiae partem, ut auditoribus lubitum erit, enarrabit diebus mercurii et saturni, horâ XI.

IN FACULTATE MEDICA.

Anatomen docebit I. L. C. Schroeder van der Kolk, quater per dierum hebdomadem, horâ IV.

Physiologiam I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, diebus lunae, martis et iovis, horâ VIII matutinâ, die mercurii, horâ IX.

Anatomen pathologicam, bis per dierum hebdomadem, I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, horâ auditoribus commoda.

Dissectionibus cadaverum anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeerit quotidie I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.

Pathologiam exponet B. F. SUERMAN, ter per dierum hebdomadem, horâ IX.

Materiem Medicam et praecipua *Therapiae generalis* capita exponet G. I. LONCQ, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ II.

Pharmaciam G. I. MULDER, die veneris, horâ X—XII.

Pharmacologiam tradet P. HARTING, diebus iovis et veneris, horâ XI.

Nosologiam et Therapiam specialem G. I. LONCQ, diebus martis, iovis et saturni, horâ IX.

Exercitationes Clinicas in arte Medica quotidie moderabitur G. I. LONCQ, horâ XI, in Nosocomio Academico.

Theoriam disciplinae Chirurgicae tradet B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, horâ VIII.

Historiam Chirurgiae exponet B. F. SUERMAN, diebus et horis dein indicandis.

Institutionibus Clinicis in arte Chirurgica quovis die vacabit, horâ X, E. J. G. VON BAUMHAUER.

Exercitationes Clinicas in ophthalmiatria et otoiatria moderabitur E. J. G. VON BAUMHAUER, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ XII.

Materiem Chirurgicam mechanicam exponet diebus mercurii et saturni, horâ I; *Operationibus Chirurgicis*, opportuno tempore in cadavere instituendis, quotidie praeerit E. J. G. VON BAUMHAUER.

Artis Obstetriciae theoriam exponet diebus martis et iovis, horâ I; *Operationibus obstetriciis*, tum in pelvi facticia, tum in cadavere instituendis, praeerit die veneris, horâ I, E. J. G. VON BAUMHAUER.

Exercitationes Obstetricias practicas ad gravidarum lectos, die lunae, horâ I, ad parturientium autem, in tococomio Academico, quavis oblata opportunitate, moderabitur E. J. G. VON BAUMHAUER.

Biologiam generalem exponet F. C. DONDERS, diebus mercurii et iovis, horâ X.

Ophthalmologiam docebit F. C. DONDERS, diebus merc. et sat., horâ VIII.

Anthropologiam, praecipue ut iuris studiosis propaedeusis sit ad medicinam forensem, docebit F. C. DONDERS, diebus et horis auditoribus commodis.

Medicinam forensem exponet F. C. DONDERS, diebus merc. et ven., horâ II.

Politiam medicam, diebus et horis auditoribus commodis, F. C. DONDERS.

Experimentis et *Indagationibus physiologicis* quotidie praeerit F. C. DONDERS.

Sectionibus cadaverum, in usum tum anatomico-pathologicum, tum medico-forensem, datâ occasione, praeerit quotidie F. C. DONDERS, horâ XII½.

I. I. WOLTERBEEK, quamvis munere suo defunctus sit, civibus tamen Academicis officia humanitatis praestare, praesertim Medicinae studiosis qualibet opportunitate prodesse, haud recusabit.

J. H. HISGEN, litterarum Germanicarum Lector, diebus et horis auditoribus commodis, *Litteras Germanicas et Litterarum Germanicarum historiam, inde a sec. XVIII*, exponet.

J. VENNING, litterarum Anglicarum Lector, *Litteras Anglicas* docebit, horâ auditoribus commoda.

L. DE FRANCE, Academicus Gladiatoriae artis Magister, quotidie aptum et elegantem gladii usum docebit.

Bibliotheca Academica diebus lunae, martis, mercurii, iovis, veneris et saturni, ab horâ XI in III, feriarum autem tempore, singulis diebus iovis, ab horâ I in III, unicuique patebit. Museum Zoologicum quotidie patebit.

CIVIUM ACADEMICORUM NUMERUS.

In Album relata sunt studiosorum nomina 323; ex his 301 in hac ipsa Academia diversis disciplinis operam dederunt: nempe

Mathesi et Philos. Nat.	8	24.
〃 〃 〃 propaedeusis gratia	12	
Theologiae		72.
Jurisprudentiae		82.
Litteris	10	102.
〃 propaedeusis gratia	92	
Medicinae		21.
		301.

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA;

A. 1848—1849,

DOCTORES CREATI SUNT HI:

IN MATHESI ET PHILOSOPHIA NATURALI.

1848.

d. 24 Junii. Janus Henricus Croockewit, Henr. F., Amstelodamensis, defensa privatim Dissertatione *de Conjunctionibus chemicis Metallorum.*

IN THEOLOGIA.

d. 12 Octobris. Theodorus Carolus Matthaeus von Baumhauer, Bruxellensis, defensa publice Dissertatione, *qua vindicatur Lucae, Apostolorum conventum referentis Act. Apost. cap. XV, contra recentissimas dubitationes fides historica.*

IN JURE ROMANO ET HODIERNO.

d. 30 Martii. Philippus Alexander Haas, A. Fil., Amstelodamensis, defensis privatim Thesibus Juridicis.

d. 14 Aprilis. Nicolaus Janus Hoffman, Roterodamensis, defensis privatim Thesibus Juridicis.

d. 10 Maji. Theodorus Gisbertus Jacobus Woldringh, Groninganus, defensis privatim Thesibus Juridicis.

d. 30 Maji. Cornelius Marius van Hees, Rheno-Trajectinus, defensis privatim Thesibus Juridicis.

d. 8 Junii. Gozewinus Henricus Gerardus Ras, Rheno-Trajectinus, defenso privatim Specimine Juridico *de vinculi cognationis et affinitatis vi et efficacia in Jure Criminali.*

d. 15 Junii. Guilielmus Mulder, Amstelodamensis, defensa publice Dissertatione *de crimine aggeris rupti secundum leges populorum Europaeorum.*

d. 21 Junii. Henricus Dikkers, Transisalanus, e pago Ryssen, defensis privatim Thesibus Juridicis.

d. 23 Junii. Paulus Johannes Bosch van Drakestein, Amstelodam., defensa publice Dissertatione *de Consilio Nautico.*

d. 24 Junii. Guilielmus Christianus Borsius, Zeelandus, e pago de Bildt, defensis privatim Thesibus Juridicis.

d. 26 Junii. Johannes van Wyngaarden, ex urbe Willemstad, defensis privatim Thesibus Juridicis.

Janus van Voorthuysen Jun., e pago Vreeland, defensis privatim Quaestionibus Juridicis.

d. 28 Junii. Didericus Johannes Henricus van Eeden, Rheno-Traject., defensis privatim Thesibus Juridicis.

Eduard Hugo Maria von Daehne van Varick, Haganus, defenso priv. Specimine Juridico *de Jure quod conjuges in bona communia habent.*

d. 29 Junii. Carolus Guilielmus Henricus van Schelle, Indo-Batavus, defensis privatim Thesibus Juridicis.

d. 30 Junii. Egbertus Henricus Justinus van Naegell, Haganus, defensis privatim Thesibus Juridicis.

d. 1 Julii. Theodorus Schuurman, Rheno-Trajectinus, defensa privatim Dissertatione *de munere Graphiarii.*

Janus Ludovicus Anne Martens, Rheno-Trajectinus, defensis privatim Thesibus Juridicis.

d. 30 Septembris. Cornelius Vinju, Indo-Batavus, def. priv. Thes. Jurid.

d. 10 Octobris. Constantius Theodorus van Lynden, Rheno-Trajectinus, defenso privatim Specimine *an matrimonio Ducis* de Montpensier *Pax Rheno-Trajectina violata dici possit?*

d. 24 Octobris. Johannes Adrianus Molster, Amstelodamensis, defenso publice Specimine *de solidaria in rebus mercatoriis obligatione.*

d. 31 Octobris. Everardus van Voorthuysen, Amstelodamensis, defenso publice Specimine *de tributis directis, praesertim de tributo redituum.*

d. 16 Decembris. Petrus Caan, Haganus, defensis privat. Thesibus Jurid.

d. 21 Decembris. Evertius Janus Eekhout, Zwollensis, defensis privatim Thesibus Juridicis.

1849.

d. 6 Februarii. Petrus Rudolphus van den Berg, Vianensis, defensis privatim Thesibus Juridicis.

d. 20 Februarii. Guilielmus Joannes Bernhardus Besier, Indo-Batavus, ex Soerabaya, defenso privatim Specimine *de Legum Fundamentalium indole et ambitu.*

IN PHILOS. THEOR. ET LITTERIS.

1848.

d. 1 Julii. Albertus Ascanius van Heusden, Haganus, in Academia militari Historiae et Litt. Lector, honoris caussa Philosophiae theor. Magister et litterarum hum. Doctor creatus est.

d. 17 Julii. Antonius Kisselius, Dordracenus, defensa privatim Dissertatione exhibente *A. Persii Flacci Codd. Mss. Leidensium collationem, cum Animadvv. in Sat. I.*

1849.

d. 20 Martii. Albertus Henricus Arnoldus Ekker, Vollenhovia-Transisalanus, defensa publice Dissertatione *de Choro Aeschyleo.*

IN DISCIPLINIS MEDICIS.

1848.

d. 19 Junii. Gerardus Johannes Boodt, Med. Doct, creatus est Artis Obstetriciae Doctor, defensis privatim Quaestionibus.

d. 29 Junii. Theodorus Johannes Hendriksen, Rotterodamensis, creatus est Medicinae Doctor, defenso privatim Specimine *de Scarlatina, sic dicta, puerperali et puerperarum probe distinguendis.*

d. 30 Junii. Engbertus Oudenhoff, Amstelodam., creatus est Medicinae Doctor, def. privatim Dissertatione exhibente *casus apoplexiae selectos.*

d. 1 Julii. Ludovicus Christianus van Goudoever, Rheno-Trajectinus, Med. et Art. Obst. Doct., honoris caussa Chirurgiae Doctor creatus est.

d. 19 Julii. Justus Alderts Mensonides, Koudumo-Frisius, Medicinae Doctor creatus est, defensa privatim Dissertatione *de absorptione molecularum solidarum.*

d. 12 Octobris. Guilielmus Johannes Kuypers, Med. Doct., creatus est Doctor Artis Obstetriciae, defensis privatim Thesibus.

d. 1 Novembris. Julius Jacobus Juda, Surinamensis, Med. Doct., creatus est Doctor Artis Obstetriciae, defensis privatim Thesibus.

d. 13 Novembris. JACOBUS ROOSENBURG, Schoonhoviensis, creatus est Medicinae Doctor, defensa privatim Dissertatione exhibente *historiam hydropis ovarii.*

d. 12 Decembris. PETRUS PEELEN, Rheno-Trajectinus, e pago Zuilen, creatus est Medicinae Doctor, defensa privatim Dissertatione *de Febris natura.*

d. 19 Decembris. FRANCISCUS SEBASTIANUS HERMUS, creatus est Artis Obstetriciae Doctor, defensis privatim Thesibus.

d. 22 Decembris. DANIEL GUALTERUS WINKLER, Vianensis, creatus est Medicinae Doctor, defensa privatim Dissertatione exhibente *momenta quaedam ex Haemorrhagiarum aetiologia.*

THOMAS TEMPLEMAN VAN DER HOEVEN, Med. et Art. Obst. Doct., creatus est Doctor Chirurgiae, defensis privatim Thesibus.

1849.

d. 29 Januarii. BALDUINUS DITHMARUS FRANCISCUS HUYSMAN, Brielanus, creatus est Medicinae Doctor, defensa privatim Dissertatione *de Henrico Roonhusio, praeclaro seculi XVII chirurgo Neerlandico.*

d. 20 Februarii. ANTONIUS THOMAS WINKLER, Vianensis, Med. Doct., creatus est Doctor Artis Obstetriciae, defensis privatim Quaestionibus.

d. 2 Martii. JANUS GUILIELMUS REGNERUS TILANUS, Arnhemiensis, Medicinae Doctor creatus est, defenso privatim Specimine *de Saliva et muco.*

d. 12 Martii. JUSTUS ALDERTS MENSONIDES, Koudumo-Frisius, Med. Doct., creatus est Artis Obstetriciae Doctor, defensis privatim Quaestionibus.

d. 20 Martii. GOVERTUS ADRIANUS JOHANNES BECKERS, ex ins. Sti. Martini Indiae Occid. creatus est Medicinae Doctor, defensa publice Dissertatione *de alvo et urina, spinae medulla affecta, vel suppressis vel sine voluntate prorumpentibus.*

d. 24 Martii. JULIUS JACOBUS JUDA, Surinamensis, Med. et Art. Obst. Doct., creatus est Doctor Chirurgiae, defensis Quaestionibus.

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM

QUI

ANNO MDCCCXL—MDCCCXLI

RECTORE MAGNIFICO

JACOBO BAART DE LA FAILLE

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCUERUNT.

IN FACULTATE MEDICA.

SIBRANDUS ELZO STRATINGH.
AUGUSTUS ARNOLDUS SEBASTIAN.
JACOBUS BAART DE LA FAILLE.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

THEODORUS VAN SWINDEREN.
HERMANNUS CHRISTIANUS VAN HALL.
JANUS GUILIELMUS ERMERINS.
NICOLAUS MULDER.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

PETRUS HOFSTEDE DE GROOT.
LUDOVICUS GERLACHUS PAREAU.
GUILIELMUS MUURLING.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

CORNELIUS DE WAAL.
BARTHOLDUS HENRICUS LULOFS.
GERARDUS JOANNES MEYER.
FREDERICUS CHRISTIANUS DE GREUVE.
PETRUS VAN LIMBURG BROUWER.
JOANNES LENTING.
THEODORUS GUILIELMUS JOHANNES JUYNBOLL.

IN FACULTATE JURIDICA.

HENRICUS NIENHUIS.
JACOBUS HERMANNUS PHILIPSE.
CORNELIUS STAR NUMAN.

ORATIONES

HABITAE

IN ACADEMIA GRONINGANA

ANNO MDCCCXL—MDCCCXLI.

Rectore Cl. JACOBO BAART de la FAILLE.

Die 25 Martii 1841 Cl. Th. G. J. Juynboll munus Professoris Ordin. in Fac. Phil. Theor. et Lit. Hum. auspicatus est, solenni habita oratione *de gente Samaritana.*

Die 30 Junii 1841 Cl. N. Mulder munus Professoris Ordin. in Fac. Disc. Math. et Physic. auspicatus est, habita oratione *de Chemiae usu in illustrandis vitae phaenomenis.*

Die 14 Octobris 1841 Cl. J. Baart de la Faille, quum Rectoris Magnifici provinciam deponeret, orationem habuit, qua disquiritur *num generi humano major vitae cultus sit causa perpetuo increscentis debilitatis et degenerationis, tam corporis quam mentis; an vero humanum genus per ipsum illum cultum huc usque progressum fuerit et in posterum ulterius sit progressurum.*

ORDO LECTIONUM

IN ACADEMIA GRONINGANA

ANNO CIƆIƆCCCXLI—CIƆIƆCCCXLII.

IN FACULTATE MEDICA.

S. E. Stratingh, d. Lunae, Martis, Iovis et Veneris, h. X, *Medicinam Practicam;* d. Veneris, h. XI, et Saturni, h. X, *Diaeteticam cum Medicina Politica* coniunctam; d. Lunae, Martis et Iovis, h. XI, *Materiam Medicam* cum *Pharmacia Medica* coniunctam et *Semeioticam* diebus postea indicandis tradere constituit.

A. A. Sebastian, *Physiologiam* docebit d. Lunae, Martis, Mercurii, h. VIII atque alternis d. Saturni h. IX; *Chirurgiam* exponet d. Iovis, Veneris, h. IX et Saturni h. VIII; *Clinicis Exercitationibus* in Nosocomio Academico vacabit quotidie h. XII$\frac{3}{4}$; doctrinam de inflammationibus chirurgicis tradet d. Iovis h. VIII; *Anatomen Pathologicam* morborum pectoris d. Veneris h. VIII; *Anatomen corporis humani* exponet d. Martis, Iovis et Veneris, h. media V, et Mercurii, h. III; dissectionibus cadaverum Anatomicis tempore hiemali instituendis quotidie praeërit.

I. Baart de la Faille, d. Lunae, h. VIII et IX, Martis et Mercurii, h. IX, *Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam* exponet; et in Nosocomio Academico, ad parturientium lectos, qualibet oblata occasione, practice instituet. D. Lunae, h. XI, et Saturni, h. IX, *Artis Obstetriciae partem Technicam* de industria fusius docebit. D. Lunae, h. X, Mercurii et Saturni, h. XI, *Pathologiam Generalem* explicabit. D. Mercurii et Saturni, h. X, *Medicinam Forensem* tradet. D. Martis et Mercurii, h. VIII, *Morbos Infantum* docebit. Singulis quoque diebus h. XII in Nosocomio Academico aegrotis curandis vacabit, morbosque ibi tractatos uberius exponet. — Disputationum exercitiis lubens vacare perget.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

TH. VAN SWINDEREN, d. Lunae et Martis, h. VIII, *Encyclopaediam Philosophiae naturalis* tradet, cui praemittet praecepta *Hodegetica*, sive *de studii ratione recte instituenda*, additis *Paedagogices principiis*. Iisdem diebus h. X et d. Mercurii h. VIII, *Historiam Naturalem Animalium* et *Fossilium*, *inprimis patriae*, et *Animalium*, cum *Anatome comparata* coniunctam, docebit; d. Lunae et Martis, h. III, vel verno tempore VII matutina *Mammalium Historiam Naturalem* fusius explicabit.

H. C. VAN HALL, d. Martis, h. XII et Veneris h. VIII et IX, aestivo tempore etiam Saturni h. VIII, *elementa Botanices* illustrabit. *Botanices sublimioris* capita quaedam tradet horis auditoribus commodis. Die Mercurii h. IX et X aget de plantis *medicinalibus* aliisque vario respectu *utilibus*, sive de *Botanica applicata*, ordine Familiarum naturalium. Die Saturni autem, h. X et XI, *Oeconomiam ruralem* docebit.

I. G. ERMERINS, d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XI, *Arithmetices*, *Algebrae*, *Geometriae* et *Trigonometriae planae* elementa explicabit; d. Iovis et Saturni, h. IX, *Stereometriam* et *Trigonometriam Sphaericam* tradet: *Physicam experimentalem* docebit d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XII. Selecta *Matheseos sublimioris*, *Physicae et Astronomiae* capita quaedam horis auditoribus commodis exponet. *De Matheseos elementis disquisitio* habebitur d. Iovis, Veneris et Saturni, h. III.

N. MULDER, d. Lunae et Martis, h. IX et Mercurii, h. XII, lectiones habebit de *Chemia generali et anorganica*. D. Lunae et Martis, h. dein indicanda, *Chemiam pharmaceuticam* tradet. D. Lunae et Martis, h. VI p. m., *Chemiae technologicae capita selecta* in usum publicum illustrabit. *Exercitiis* denique *Chemicis practicis*, diebus et horis commodis, lubens praeërit.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT, d. Lunae, Martis, Iovis, h. X, *Dogmaticam Christianam* tradet; d. Lunae, Martis et Mercurii, h. XI, *Historiam Ecclesiae Christianae*, inde ab initio usque ad nostra tempora, secundum *In-*

stitutiones suas, typis divulgatas. sic enarrabit, ut hoc anno inprimis *historiam Ecclesiae propagatae* sit traditurus; d. Iovis et Veneris, h. XI, *Institutiones* a se editas secuturus, *Theologiam Naturalem* exponet; d. Veneris h. X, interpretabitur *Pauli Epistolam ad Philippenses*, adhibito Commentario a Viro Cl. v. Hengel edito.

L. G. Pareau, d. Martis, Mercurii et Iovis, h. XII, secundum Compendium suum typis edendum, *Theologiam Christianam moralem* exponet; d. Lunae atque Veneris, h. XII, et d. Iovis, h. I, loca nonnulla *Hermeneutices sacrae* exponet et *Carmina* quaedam, etiam *Prophetica*, *Veteris Testamenti* cum Commilitonibus interpretabitur; d. Martis et Veneris, h. I, *Encyclopaediam Theologi Christiani* tradet.

G. Muurling, d. Lunae, h. IX, Martis et Veneris, h. VIII, interpretabitur *Euangelium* Marci et *primam* Iohannis *Epistolam;* d. Martis, Iovis et Veneris, h. IX, *praecepta Homiletices* tradet et *Officia Antistitis in coetu Christiano* exponet; d. Mercurii, h. X, *Theologiae Christianae*, ex Novo Testamento haustae, tractare perget *Loca selecta;* die et horâ deinceps indicandâ, *exercitationes* cum *Oratorias sacras*, tum provectiorum *exercitationes Catecheticas cum pueris* instituendas, moderabitur.

Disputationibus, cum publicis tum privatis, de *Locis Theologicis*, d. Mercurii, h. III, suis vicibus praeërunt Theologiae Professores.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

C. de Waal, d. Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, h. IX, *Metaphysicam* tradet; h. XII, *Philosophiae Moralis* partem alteram, id est *Ethicam* exponet; h. X, *Historiam Philosophiae recentioris per saecula aerae Christianae* enarrabit. Ceterum, si sint, qui *Theologiam Naturalem* tradi sibi cupiant, de hac cum discipulis consilium inibit.

B. H. Lulofs, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. XII, secundum manuductionem suam et alium libellum, typis nunc fere excussum, *Fundamenta stili bene Belgici* exponet, *quaeque nonnulla ad scientiam originis, indolis atque grammatices linguae Belgicae, nec non ad historiam literarum Belgicarum pertinent;* additis *recte Belgice scribendi exercitationibus.* —

Iisdem diebus, h. V, alterum suum compendium secuturus, e *Rhetorica Belgica*, sive ex *Eloquentiae* atque *Poëseos Belgicae* praeceptis, selecta tradet, exemplis ex optimis, cum Belgicis, tum Graecis et Latinis recentiorumque gentium oratoribus atque poëtis illustrata, et adiunctis exercitiis, quae *Actioni*, i. e. *Eloquentiae exteriori*, sive vocis et gestuum moderationi, inserviant.

G. I. Meyer, d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XII, *Historiam patriae* exponet.

F. C. de Greuve, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. X, *Encyclopaediam Philosophiae* explicabit; iisdem diebus, h. XI, *Logicam* docebit; d. vero Iovis, Veneris et Saturni, h. I, *Historiam Philosophiae antiquae* exponet.

P. van Limburg Brouwer, d. Lunae, Martis, Mercurii, h. IX, *Historiam Recentiorem* tradet; iisdem diebus, h. X, *Antiquitatem Romanam;* d. Iovis, Veneris et Saturni, h. IX, *Antiquitatem Graecam.*

I. Lenting, d. Iovis, Veneris et Saturni, h. X, Herodoti *Historiarum* librum primum, Homeri O*dysseae* l. IX, h. I, Horatii *Carmina* selecta, Ciceronis orationem pro *Aulo Cluentio* discipulis explicaturus est. Si erunt, qui privata disciplina Homeri *Iliadem* vel *Odysseam*, Xenophontis aliquod opus, Sallustii *Catilinam* aut *Iugurtham* cursim transire legendo velint, neque his deërit studii dux et adiutor. Disputationibus aderit, munus et officium doctoris in Gymnasiis tradet, quo conveniet die ac tempore.

T. G. I. Iuynboll, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. VIII, *initia* docebit *linguae Arabicae* et *Syriacae;* d. Iovis, Veneris et Saturni h. VIII, *Antiquitatem Hebraeorum;* d. Iovis et Veneris h. X, *lectionem cursoriam* instituet *posterioris Samuëlis libri;* d. Saturni h. X, vaticinium *Nahumi* philologice et critice explicabit; d. Iovis, Veneris et Saturni h. XII, *Grammaticam Hebraeam* tradet, adiunctis *exercitiis Analyticis.* Cum provectioribus Cl. Kosegartenii Chrest. *Arabicam* et *Kirschii* Chrest. *Syriacam*, a Cl. Bernsteinio denuo editam, legere paratus est horis deinde indicandis.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. Nienhuis, d. Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, h. XII, *Ius Civile*, iisdemque diebus, excepto d. Iovis, h. X, *Ius Mercatorium*, et XI, *Ordinem Iudiciorum viamque et rationem experiundi in causis civilibus* exponet.

I. H. Philipse, d. Lunae, h. IX, Iovis et Veneris, h. VIII, *Encyclopaediam ac Methodologiam Iuris*, adhibitâ C. A. den Tex, V. Cl., *Encyclopaediá Iurisprudentiae*, ed. Amstelod. a. CIƆIƆCCCXXXIX, tradet; d. Lunae, Martis et Mercurii, h. VIII, *Historiam Iuris Romani* enarrabit; d. Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, h. IX, *Institutiones* Iustiniani explicabit; d. Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, h. X, *Pandectas* interpretabitur.

C. Star Numan, d. Lunae, Martis, Mercurii, h. VIII, *Codicem poenarum* interpretabitur: h. IX et d. Iovis h. VIII, *Codicem Criminalem*, ita ut praecipuorum locorum et institutorum causas et momenta ex origine et historia inprimis sit illustraturus. D. Mercurii, Iovis, Veneris, h. X, *Iuris Naturalis*, d. Iovis, h. IX, d. Veneris h. VIII et IX, *Iuris Publici* principia exponet.

Disputandi exercitationibus, cum publicis, tum privatis, lubentes praeërunt Iuris Antecessores.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA GRONINGANA

D. XXXI DECEMBRIS CIƆIƆCCCXL.

Medicinae operam navabant	84 [1])
Disciplinis Mathematicis et Physicis	23 [2])
Theologiae	54
Philosophiae Theoreticae et Literis Humanioribus . . .	54 [3])
Jurisprudentiae	51
	266.

[1]) In horum numero censendi 19 operam simul navantes disciplinis Mathematicis et Physicis ad gradum capessendum Doctoris et Magistri Matheseos et Philosophiae naturalis.

[2]) His operam navabant ad praeparanda studia Medicinae.

[3]) In his 19 operam navabant ad praeparanda studia Theologiae, 28 ad studia Jurisprudentiae.

SERIES
DISSERTATIONUM CET. DEFENSARUM
IN ACADEMIA GRONINGANA
CIↃIↃCCCXL—CIↃIↃCCCXLI.

CIↃIↃCCCXL.

d. 22 Oct. DAVID COHEN, Smilda-Drenthinus, Med. D., defensis Thesibus Obstetriciis, Doctor Artis Obstetr. *cum laude*.

d. 31 Oct. LAMBERTUS GULIELMUS VAN DER WEIDE, Doccumo-Frisius, Med. et Art. Obst. D., defensis Thesibus Chirurgicis, Chirurgiae D.

d. 7 Nov. REGNERUS SMIT, ex pago Oostwolde, def. Diss. Medico-Politica *de aphthis epizooticis, inprimis sensu politico consideratis*, M. D. *cum laude*.

d. 5 Dec. GERARDUS TAAPKEN, Amstelodamensis, Med. et Chir. D., defensis Thesibus Obstetriciis, Doctor Artis Obst. *cum laude*.

d. 10 Dec. JOHANNES GOLDSCHMID NANNINGA, ex pago Veendam Groningan., M. D., def. Thesibus Obstetriciis, Doctor Artis Obst. *magna cum laude*.
TJEPKE ULBES NOORDENBOS, ex pago Oudkerk-Frisius, Med. D., defensis Thesibus Obstetriciis, Doctor Artis Obst.

d. 11 Dec. RUDOLPHUS ANTONIUS QUINTUS, Gron., Diss. *de separatione thori et mensae, praesertim de ea, quae fit mutuo conjugum consensu*, J. R. et H. D. *c. laud*.
GULIELMUS JACOBUS FEITH, Groninganus, Diss. exhib. *Animadversiones nonnullas de delicto iterato*, Jur. Rom. et Hod D. *cum laude*.

CIↃIↃCCCXLI.

d. 27 Jan. ALBERTUS VOS, Assena-Drenthinus, Diss. *de Successione ab intestato cognatorum naturalium*, J. R. et Hod. D., *magna cum laude*.

d. 30 Jan. MARCUS VAN DER TUUK, ex pago Anlo-Drenthinus, Med. D., def. Thesibus Obstetriciis, Doctor Artis Obst. *cum laude*.

d. 6 Febr. HENRICUS IMMINK, Ootmarsuma-Trans-Isalanus, Diss. *de magnetismi artificialis vi in morbis*, Med. D.

d. 17 Febr. JACOBUS MARTINUS NIEUBUUR, Harlinga-Frisius, Med. D., defensis Thesibus Obstetriciis, Doctor Artis Obst.

d. 20 Febr. HESSEL MOZES DUPARC, Leovardia-Frisius, Med. D., defensis Thesibus Obstetriciis, Doctor Art. Obst. *magna cum laude*.

d. 3 Mart. JANUS TIEMEN KYMMELL, ex pago Smilde-Drenthinus, def. Specim. contin. *Observationes nonnullas ad locum Juris patrii Hod. de actis status civilis*, Jur. Rom. et Hod. D. *cum laude.*

d. 20 Mart. HENRICUS JANUS CARSTEN, ex pago Hoogeveen-Drenthinus, Diss. *ad locum Jur. hod. patrii, de separatione bonorum sec. art.* 453 *sqq. Cod. Civ.*, Jur. Rom. et Hod. D. *cum laude.*

d. 27 Mart. ALBERTUS VOS HOUWINCK, Meppela-Drenthinus, Specim. Med. exhib. *nonnulla de angina pectoris*, Med. D. *cum laude.*

d. 24 April. POMPEJUS POLMAN GRUYS, Omlandus, def. Quaest. Juris Civil. Hod., Jur. Rom. et Hod. D.

MARTINUS EVERHARDUS CLEVERINGA, Appingedamensis, def. Quaestionibus Jur. Civ. Hod., Jur. Rom. et Hod. D.

d. 30 April. BORGESIUS, Westerwoldanus, Med. D., def. Thesibus Obstetriciis, Doctor Art. Obst., *magna cum laude.*

d. 5 Maji. PETRUS PAULUS KREMER, ex pago Zuidhorn-Groninganus, def. *inquisit. in consilium et modum, quo Plutarchus scripsit vitas parallelas*, Phil. Theor. et Lit. Hum. D. *cum laude.*

d. 15 Maji. SYPKO REINDER OOMKENS, Gron., Diss. *de Pathologia glandularum lymphaticarum, quae bronchiales a sede sua appellantur*, M. D. *cum laude.*

d. 19 Maji. CHRISTIANUS SWALUE, ex pago Gorredyk-Frisius, Diss. *de phtisi laryngea*, Med. D.

d. 29 Maji. EGBERT CORNELIUS CHRISTIANUS VAN LENNEP, Almeloënsis, Diss. *de natura contagionum*, M. D. *magna cum laude.*

JOHANNES HENDRICUS ADOLPHUS HINTZEN, ex pago Eenrum-Omlandus, Diss. *de usu externo medicaminum in morbis neonatorum*, Med. D.

d. 2 Junii. TIDDO WALDRIK SIERTSEMA, Groninganus, def. Spec. exhib. *Quaestiones Jur. Civ. Hod.*, Jur. Rom. et Hod. D.

d. 7 Junii. JANUS HENRICUS WILLINGO TONCKENS, ex pago Eelde-Drenthinus, sel. Observatt. *de Curatore ventris*, J. R. et H. D. *cum laude.*

d. 16 Junii. WIGLIUS SCHULTETUS AENEAE, St. Jacobi Parochi Frisius, Specim. *de Haemorrhagiis uteri in graviditate*, Med. D.

BERNARDUS VERVER, Meppelâ-Drenthinus, publ. def. Diss. Politico-Med., *qua inquiritur, num publicae sanitati noceant venena metallica, quibus conseruntur agri ad occidenda animalia nociva*, M. D. *cum laude.*

d. 16 Junii. Nolle Dirks Sybrandi, Harlemensis, publice def. Diss. Historico-Medica *de necessitudine, quae fuit apud veteres inter religionem et medicinam*, Med. D. *magna cum laude.*

d. 17 Junii. Janus Albertus Willinge Gratama, Assena-Drenthinus, def. Spec. Jurid. *de eo quod Juris est circa immobilia, aetate majores inter et minores communia, quae divisionem non recipiunt, sec. artt.* 451, 455, 1112 *et* 1119 *Cod. Civ. patrii*, J. R. et H. D. *magna cum laude.*

Cornelius Wiersma, Snecâ-Frisius, Specim. contin. Quaestiones Juris Civilis ex titulo *de absentia*, Jur. Rom. et Hod. D.

d. 19 Junii. Eelco Nicolaus van Kleffens, Doccumo-Frisius, Diss. Med. *de cancro pulmonum*, Med. D. *cum laude.*

Johan Leopold Siemens, ex pago Scheemda-Oldambtinus, Specim. Med. *de morbosa gazorum secretione*, Med. D. *cum laude.*

d. 26 Junii. Marcus van der Tuuk, ex pago Veendam-Oldambtinus, publ. def. Diss. Jur. *de actionibus, quibus antiquo Jure Romano dolus malus tutoruw vindicatus sit*, Jur. Rom. et Hod. D. *magna cum laude.*

d. 28 Junii. Guilielmus Cornelius Goedbloed, Harderovicensis, Diss. Chirurgico-Med. sistent. *rationem medendi hernias inguinales* Doctissimi Sotteau, Med. D. *cum laude.*

Franciscus Laurentius van Romunde, Campensis, Diss. Jur. *de modo acquirendae hereditatis ex pactis antenuptialibus jure patrio statuario*, Jur. Rom. et Hod. D. *cum laude.*

d. 1 Julii. Hermannus Henricus Tjeerd Cannegieter, ex pago Solwerd, Sp. Pract.-Med. *de methodi* Niemannianae *utilitate in morbis acutis,* M. D.

Egbertus Henricus van Borssum Waalkes, Worcumo-Fris., publ. def. Sp. Path. exhib. *nonnulla de causis et natura febrium intermittentium,* M. D.

d. 13 Sept. Johannes Goldschmid Nanninga, ex pago Veendam-Groninganus, Med. et Art. Obst. D., def. Thes. Chirurg., Chir. D. *cum laude.*

d. 9 Oct. Albertus Egges Post, Winschotanus, Diss. Med. *de Erysipelate neönatorum*, Med. D.

d. 13 Oct. Rudolphus Bennink Janssonius, Groninganus, publice def. Specim. *de Romano-Catholicorum, qui vulgo Jansenistae dicuntur, historia et principiis*, Theol. D. *magna cum laude.*

JUDICIA

DE COMMENTATIONIBUS AD QUAESTIONES

D. VIII OCTOBRIS A. CIƆIƆCCCXL

PROPOSITAS.

Ordo Medicorum nullam accepit responsionem.

A. A. SEBASTIAN,
ordini ab actis.

Ordo disciplinarum Mathematicarum et Physicarum ad quaestionem anno CIƆIƆCCCXL propositam „Quaeritur expositio discriminis geologici inter alluvies fluviatiles et marinas, et determinatio limitum harum formationum in nostra patria," unum tantummodo accepit responsum, inscriptum lemmate: *Enkele nasporingen op het gebied onzer Vaderlandsche Delfstofkunde hebben doen zien, dat er ook in dit opzigt bij ons nog veel belangrijks te doen is, dat ook onze gronden..... het onderzoek overwaardig zijn*, enz. VAN HALL.

Quamvis igitur certamen proprie ita dictum locum habere non potuerit, ordo tamen judicavit, in hacce disceptatione quaestionem propositam ita esse pertractatam, ut illius auctori praemium adsignare non dubitaverit. De argumento proposito enim ita egit, ut magna industria collegerit fere omnia quae, pro hodierna Geologiae conditione, in Patria nostra hac de re innotuerint. Tabulis insuper geologicis, commentationi additis, et sectionibus idealibus variarum regionum in nostra patria, antea nondum sic propositis, omnem rem eximie illustravit.

Apertâ schedulâ nomen exiit L. A. COHEN, Med. Doctoris et in hac Academia Chirurgiae adhuc et Artis Obstetriciae studiosi. Qui solemniter de disceptatione ab ordine interrogatus abunde probavit, se illius auctorem esse potuisse.

Ad alteram quaestionem nullum responsum accepit Ordo.

Ordini h. t. ab actis,
NIC. MULDER.

Ordo Theologorum hanc proposuerat quaestionem: *Quid ex Jesu et Apostolorum mente in religione Christiana sunt μυστήρια? Quo alio sensu de his deinceps in Ecclesia fuit existimatum? Diversitatis quaenam est origo? Quodnam loci in re dogmatica pretium?*

Ad hanc quaestionem duas accepit Responsiones, alteram insignitam Pauli: *τὸ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ κ. τ. λ.*, alteram verbis Hauptii: *Zuletzt glaubte fast Niemand an diese Göttes-mythen, etc.*, utramque ad ordinem in ipsa quaestione exhibitum dispositam, et tam bene elaboratam, ut, nisi altera accessisset, prius acceptam praemio ornandam decrevisset Ordo. Haec enim pariter atque illa Quaestionem satis bene solvere reperta est, exhibetque tam ingenii, quam studii atque doctrinae egregia specimina.

Attamen altera priorem excellere reperiebatur.

Et quidem in *exegetica* parte subacti judicii acumine et argumenta producendi felicitate; in parte *historica* pariter atque *Philosopha* genetica idearum expositione et critica dogmatum distinctione; in parte *dogmatica* minus excellebat altera priorem, sed tamen admodum bene scripta erat. Denique in utriusque dictione Latina, tam ad puritatem quam elegantiam, aliquid desiderabat Ordo, sed in prima plus quam in secunda.

Quibus de causis alteram judicavit priori praeferendam ac praemio ornandam; prioris autem auctorem excitandum, ut nomen suum, quippe honorifica commemoratione omnino dignum, patefaceret.

Apertâ schedulâ; secundae addita Commentationi, prodiit nomen juvenis ornatissimi Jetzo Boeles, *Philos. Theor. Litt. Hum. et Theologiae hac in Academia Candidati*, qui instituto ex lege examine, hujus scripti auctorem satis superque se probavit. Hujus autem laudibus qui proxime accederet, prodidit se juvenis ornatiss. Abrahamus Diemont, item *hac in Academia Theologiae Candidatus*.

GUIL. MUURLING,
Ord. h. t. ab actis.

Ordo Philosophiae Theoreticae et Literarum humaniorum ad quaestionem „*Ratio explicetur quam in historia conscribenda* Polybius *tenuit, ab ipso πραγματικὴν dictam; exponatur, quatenus hac ratione priores historicos superaverit, quatenus hi ipsi praeferendi sint.*" Unam responsionem accepit, lemmate insignitam

τῶτ πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' αγαθ' οἱ Θεοί.
EPICHARMIS.

Haec commentatio ordini praemio digna visa est, quia quaestionem propositam probe solvit, primum luculenta expositione rationis, quam in historia conscribenda POLYBIUS tenuit, deinde accurata demonstratione, qua efficitur, HERODOTUM, THUCYDIDEM, XENOPHONTEM melius et aptius historici officio functos fuisse, quam POLYBIUM; multa quae ad ita dictam methodum *πραγματικὴν* a POLYBIO relata sint vel ab historica narratione aliena esse, vel ex ipsa narratione absque perpetua adnotatione, aut praeceptis ad fastidium usque inculcatis, lectori manifesta reddi oportere; POLYBIUM vero superare historicos ita dictos rhetoricos, EPHORUM, THEOPOMPUM, TIMAEUM, PHYLARCHUM.

At vero, etiamsi ordo propter eximia hujus commentationis merita eam praemio dignam existimaverit, nonnulla tamen animadvertit, quae, etsi improbanda, non tanti videbantur, ut propterea totam commentationem condemnaret.

Praecipuum erat quod disputationis illa pars, quae de auctoribus deperditis, EPHORO, THEOPOMPO, TIMAEO agit, parum firmo niti fundamento videbatur. Etenim quum judicium de his auctoribus plerumque ipsius POLYBII testimonio comprobetur, hic in propria causa actor fuerit et judex, quod sane non admittendum; praesertim quum ex comparatione hujus testimonii cum aliorum auctorum judicio pateat POLYBIUM, nisi semper injustum, certe saepius iniquum fuisse in alios scriptores, praesertim in THEOPOMPUM et PHYLARCHUM. Auctor ipse hoc subinde agnovit.

Id ipsum vero quod in hoc loco nostram ignorantiam alieno judicio compensare coacti sumus, hanc commentationis partem minus necessariam reddit; comparatio enim quaerebatur inter libros, quos ipsi legere possimus, comparatio, quae judicando, non divinando confici possit.

At praeterea tanta doctrinae ubertate, tanto judicii acumine, tanta praesertim auctoris modestia et ingenuitate haec scriptio commendatur, ut ordo ipso POLYBIO severior videretur, nisi illam palma dignam proclamaverit.

Schedula aperta nomen retulit MATTHIAE DE VRIES, *Harlemensis, in Acad. Lugd.-Bat. Philos. Theor. et Litt. Hum. Candidati;* qui examini a lege praescripto satisfecit.

Ad alteram quaestionem, *„Philosophorum Criticorum de Spatio et Tempore sententia accurate proponatur, et argumenta quibus eam confirmarunt, diligenter exponantur."* Una item oblata est commentatio, hisce CICERONIS verbis inscripta *„Philosophia tanto in honore numquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus dissensionibusque viguisset." Tuscul. Quaest.* L. II. c. 2.

Quamvis in hac commentatione stili bene Latini puritas sermonisque elegantia passim desideretur (quod maximam partem ex ipsa materiae pertractatu difficillimae, et terminologiae Criticorum Philosophorum prorsus barbarae imputandum videtur) vitia tamen inde exorta satis compensantur doctrinae ubertate, judicandi acumine, aliisque ingenii dotibus. Scriptor enim in solvenda quaestione eum secutus ordinem, quem historica argumenti expositio, inter ipsius quaestionis limites postulat, primum KANTII *de Spatio et Tempore* sententiam, ejusdemque Philosophi argumenta accurate proposuit, diligenterque exposuit; deinde aliorum Criticorum hac de re placita recensuit, illorum scilicet, qui aut *Kantianam* doctrinam novis argumentis illustrarunt, aut ab ea, quo melius adversariorum dubia refellerent, paululum deflexerunt. Ordo igitur, haud offensus in hoc opere quibusdam inventis maculis, universim solutam esse quaestionem scriptoremque aureo praemio dignum censuit.

Apertâ autem schedulâ nomen retulit GERARDI L. J. VAN DER PLOEG, *Phil. Theor. et Lit. Hum. atque Juris Candidati*, nostrae Academiae civis, cui vero Ordo numum aureum decernere non potuit, quia ei propter nondum transactum in Academia tempus, ex Decreto Regio non licebat inire ejusmodi certamen literarium.

Ordini ab actis,
P. VAN LIMBURG BROUWER.

Ordo Jurisconsultorum ad propositam quaestionem nullum accepit responsum.

C. STAR NUMAN,
Ordini ab actis.

ORATIO

HABITA

IN ACADEMIA GRONINGANA

ANNO MDCCCXLI—MDCCCXLII.

RECTORE CL. JANO GUILIELMO ERMERINS.

Die 13 Octobris 1842 Cl. J. G. ERMERINS, quum Rectoris Magnifici provinciam deponeret, orationem habuit, *de ratione, qua Physicus suae disciplinae studio plurimum prodesse possit.*

ORDO LECTIONUM

IN ACADEMIA GRONINGANA

ANNO CIƆIƆCCCXLII—CIƆIƆCCCXLIII.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Th. van Swinderen, d. Lunae et Martis, h. VIII, *Encyclopaediam Philosophiae naturalis* tradet, cui praemittet praecepta *Hodegetica*, sive *de studii ratione recte instituenda*, additis *Paedagogices principiis*. Iisdem diebus h. X et d. Mercurii h. VIII, *Historiam Naturalem Animalium* et *Fossilium*, *inprimis patriae*, et *Animalium*, cum *Anatome comparata* coniunctam, docebit; d. Lunae et Martis, h. III, vel verno tempore VII matutina, aut alia magis commoda, hoc anno, *Avium Historiam Naturalem* fusius explicabit.

H. C. van Hall, d. Martis h. XII et d. Veneris h. VIII et IX, aestivo tempore etiam d. Saturni h. VIII, *elementa Botanices* illustrabit. *Botanices sublimioris* selecta quaedam capita tradet d. Veneris h. XI. Die Mercurii h. IX et X aget de plantis *medicinalibus* aliisque vario respectu *utilibus*, sive de *Botanica applicata*, ordine Familiarum naturalium. Die Saturni autem, h. X et XI, *Oeconomiam ruralem* docebit.

I. G. Ermerins, d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XI, *Arithmetices*, *Algebrae*, *Geometriae* et *Trigonometriae planae* elementa explicabit; d. Iovis et Saturni, h. IX, *Stereometriam* et *Trigonometriam Sphaericam* tradet; *Physicam experimentalem* docebit d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XII, *Astronomiam* vero *popularem*, d. Iovis et Saturni, h. I vel alia. Selecta *Matheseos sublimioris*, *Physicae et Astronomiae* capita quaedam, horis auditoribus commodis, exponet. *De Matheseos elementis disquisitio* habebitur d. Iovis, Veneris et Saturni, hora pomeridiana III.

N. Mulder, d. Lunae et Martis, h. IX et Mercurii, h. XII, lectiones habebit de *Chemia organica*. D. Lunae, h. XII, et Martis, h. III, *Chemiam pharmaceuticam* tradet. D. Iovis et Saturni, h. X, vel aliis commodis, *Chemiam forensem* docebit. D. Lunae et Martis, h. VI p. m., *Chemiae technologicae capita selecta* in usum publicum illustrabit. *Exercitiis* denique *Chemicis practicis*, diebus et horis commodis, lubens praeërit.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. Hofstede de Groot, d. Lunae, Martis, Mercurii, h. IX, *Historiam Ecclesiae Christianae*, inde ab initio usque ad nostra tempora, secundum *Institutiones* suas, typis divulgatas, sic enarrabit, ut hoc anno inprimis *historiam doctrinae Christianae* sit traditurus; d. Lunae et Martis, h. X, *Institutiones* a se editas secuturus, *Theologiam Naturalem* exponet; d. Mercurii et Veneris, h. X, *Encyclopaediam Theologi Christiani* tradet; d. Saturni, h. III, *historiam generis humani Divinitus instituti* enarrabit; tempore Commilitonibus commodo *selecta Patrum loca* cum his leget.

L. G. Pareau, d. Mercurii, Iovis et Veneris, h. XI, *Dogmaticam Christianam* tradet; d. Martis, Mercurii et Iovis, h. XII, secundum Compendium suum typis editum, *Theologiam Christianam moralem* exponet; d. Lunae atque Veneris, h. XII, et d. Martis, h. I, loca nonnulla *Hermeneutices sacrae* exponet et *Carmina* quaedam, etiam *Prophetica*, *Veteris Testamenti* cum Commilitonibus interpretabitur.

G. Muurling, d. Lunae, h. XI, interpretabitur *historiam perpessionum et mortis Iesu*, duce Marco, comparatis caeteris Euangelistis; d. Martis et Veneris, h. VIII, et d. Iovis, h. IX, cum Commilitonibus leget *Epistolas* Pauli *ad Galatas* et *ad Colossenses;* d. Martis, h. XI, d. Iovis, h. X, et d. Veneris, h. IX, *Homileticam* et *Officia Antistitis in coetu Christiano* exponet; d. Martis, h. III; *exercitia Oratoria Sacra*, et d. Saturni, h. XI, *exercitia* provectiorum *Catechetica*, cum pueris instituenda, moderabitur.

Disputationibus, cum publicis tum privatis, de *Locis Theologicis*, d. Mercurii, h. III, suis vicibus praeërunt Theologiae Professores.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

C. de Waal, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. XI, *Metaphysicam* tradet; h. XII, aut alia auditoribus commoda, *Philosophiae Moralis* partem alteram, id est *Ethicam* exponet; h. X, *Historiam Philosophiae recentioris per saecula aerae Christianae* enarrabit. Ceterum, si sint, qui *Theologiam Naturalem* tradi sibi cupiant, de hac cum discipulis consilium inibit.

B. H. Lulofs, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. XII, secundum manuductionem suam suumque de *Kakographia*, quae dicitur, libellum, *Fundamenta stili bene Belgici* exponet, *quaeque nonnulla ad scientiam originis, indolis atque grammatices linguae Belgicae, nec non ad historiam literarum Belgicarum pertinent;* additis *recte Belgice scribendi exercitationibus.* — Iisdem diebus, hora solita V post meridiem, alterum suum compendium secuturus, e *Rhetorica Belgica*, sive ex *Eloquentiae* atque *Poëseos Belgicae* praeceptis, selecta tradet, exemplis ex optimis, cum Belgicis, tum Graecis et Latinis recentiorumque gentium oratoribus atque poëtis illustrata, et adiunctis exercitiis, quae *Actioni*, i. e. *Eloquentiae exteriori*, sive vocis et gestuum moderationi, inserviant.

G. I. Meyer, d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XII, *Historiam patriae* exponet.

F. C. de Greuve, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. X, *Encyclopaediam Philosophiae* explicabit; iisdem diebus, h. XI, *Logicam* docebit; h. I, *Historiam Philosophiae antiquae* exponet.

P. van Limburg Brouwer, d. Lunae, Martis, Mercurii, h. IX, *Historiam Veterem* tradet; iisd. dieb., h. X, *Antiquitatem Romanam;* d. Iov., Ven. et Sat., h. IX, cum litterarum humaniorum studiosis leget Ciceronis libros *de Natura Deorum. Antiquitatem Graecam* explicabit horis auditoribus commodis.

I. Lenting, d. Iovis, Veneris et Saturni, h. X, Herodoti *Historiarum* librum primum, Euripidis *Medeam;* h. I, Ciceronis orationem pro *Aulo Cluentio*, Terentii fabulam *Phormionem* discipulis explicaturus est. Si erunt, qui privata disciplina Homeri *Iliadem* vel *Odysseam*, Xenophontis aliquod opus, Sallustii *Catilinam* aut *Iugurtham* cursim transire legendo velint, neque his deërit studii dux et adiutor. Disputationibus aderit, munus et officium doctoris in Gymnasiis tradet, quo conveniet die ac tempore.

T. G. I. Iuynboll, *Grammaticam Hebraeam*, adiunctis *exercitiis Analyticis*, tradet d. Martis et Veneris, h. VIII, et d. Iovis et Veneris, h. XII. *Zephanjae* vaticinium philologice et critice explicabit d. Lunae, h. I. Lectionem *posterioris libri Samuëlis* perget d. Mercurii et Iovis, h. VIII. *Initia* docebit *linguae Arabicae*, *Syriacae* et *Chaldaïcae*, in Chaldaïcis *alteram Grammaticae Winerianae editionem* secuturus, d. Lunae et Saturni, h. VIII, et d. Martis et Mercurii, h. I. Cum provectioribus Chrestomathias a Kosegartenio et Bernsteinio editas leget d. Iovis, h. IV—VI.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. Nienhuis, d. Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, h. XII, *Ius Civile*, iisdemque diebus, excepto d. Iovis, h. X, *Ius Mercatorium*, et XI, *Doctrinarum Processûs civilis, secundum ius patrium hodiernum*, exponet.

I. H. Philipse, d. Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, h. IX, *Institutiones* Iustiniani explicabit; iisdem diebus, h. X, *Pandectas* interpretabitur; d. Lunae, h. VIII et IX, d. Martis, h. VIII, *Historiam Iuris Romani* enarrabit; d. Mercurii, Iovis et Veneris, h. VIII, *Encyclopaediam ac Methodologiam Iuris* tradet.

C. Star Numan, d. Lunae, Martis, Mercurii, h. VIII, *de delictis et poenis* disputabit; h. IX praecipua capita *Iuris Criminalis* exponet, ratione inprimis habita iuris patrii; d. Mercurii, Iovis, Veneris, h. X, *de Iure Naturali* aget; d. Iovis, h. VIII et IX, d. Veneris, h. VIII, *legem de imperio* explicabit, h. IX et XI, *Ius Gentium* tradet. Alternis d. Martis, h. III, Einharti *vitam Karoli magni* interpretabitur.

Disputationibus cum publicis tum privatis lubentes praeërunt Iuris Antecessores.

IN FACULTATE MEDICA.

S. E. Stratingh, d. Lunae, Martis, Iovis et Veneris, h. X, *Medicinam Practicam;* d. Veneris, h. XI, et Saturni, h. X, *Diaeteticam cum Medicina Politica* coniunctam; d. Lunae, Martis et Iovis, h. IX, *Materiam Medicam* cum *Pharmacia Medica* coniunctam et *Semeioticam* diebus ac horis postea indicandis tradere constituit.

A. A. SEBASTIAN, *Physiologiam* docebit d. Lunae, Martis, Mercurii, h. VIII atque alternis d. Saturni h. IX; *Chirurgiam* exponet d. Iovis, Veneris, h. IX et d. Saturni h. VIII; *Clinicis Exercitationibus* in Nosocomio Academico vacabit quotidie h. XII½; doctrinam de *morbis oculorum* tradet d. Iovis h. VIII; *Anatomen Pathologicam* d. Veneris h. VIII; *Anatomen corporis humani* exponet d. Martis, Iovis et Veneris, h. media V, et d. Mercurii, h. III; dissectionibus cadaverum Anatomicis tempore hiemali instituendis quotidie praeërit.

I. BAART DE LA FAILLE, d. Lunae, h. VIII et IX, Martis et Mercurii, h. IX, *Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam* exponet; et in Nosocomio Academico, ad parturientium lectos, qualibet oblata occasione, practice instituet. D. Mercurii, h. X, et Saturni, h. IX, *Artis Obstetriciae partem Technicam* de industria fusius docebit. D. Lunae et Martis, h. I, et Saturni, h. VIII, *Pathologiam Generalem* explicabit. D. Mercurii, h. I, et Saturni, h. X, *Medicinam Forensem* tradet. D. Martis et Mercurii, h. VIII, *Morbos Infantum* docebit. Singulis quoque diebus ab h. XI in Nosocomio Academico aegrotis curandis vacabit, morbosque ibi tractatos uberius exponet. — Disputationum exercitiis lubens vacare perget.

NUMERUS ADOLESCENTIUM

QUI IN ACADEMIA GRONINGANA

STUDIIS OPERAM NAVANT IPSO DIE 31 DECEMBRIS MDCCCXLI.

E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	E FACULTATE THEOLOGICA.	E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM.	E FACULTATE JURIDICA.	E FACULTATE MEDICA.	CUNCTUS NUMERUS.
31	45	70	54	86	286

Hicce numerus Studiosorum mense Octobris in tabulas censorias relatorum accrevit 31 Dec. 1841 ad 304.

SERIES
DISSERTATIONUM CET. DEFENSARUM
IN ACADEMIA GRONINGANA
MDCCCXLI—MDCCCXLII.

1841.

d. 4 Nov. Vir Doctiss. EGBERTUS CORNELIUS CHRISTIANUS VAN LENNEP, M. D. Almeloënsis, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *cum laude.*

d. 5 Nov. EPPO HENDRICUS HESSE, ex pago Scheemda, def. Spec. ad locum Juris Hod. *de auctoritate mariti uxori cum in plurimis vitae civilis negotiis tum inprimis in mercatura facienda necessaria*, J. R. et H. D.

d. 10 Nov. JOHANNES PETRUS ESCHER, Hallum-Frisius, publice def. Diss. *de Jesu miraculis*, Theol. D. *cum laude.*

d. 20 Nov. Vir Doctiss. ALBERTUS VOS HOUWINK, Med. D. Meppela-Drenthinus, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *cum laude.*

d. 25 Nov. Vir Doctiss. CHRISTIANUS SWALUE, ex pago Gorredyk-Frisius, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obstetr. D.

d. 27 Nov. JACOBUS WORP VAN PEYMA, ex pago Fernaard-Frisius, def. Diss. sistente *brevem conspectum epidemiae variolosae, quae anno* 1840 *Groningae grassata est*, Med. D. *cum laude.*

d. 1 Dec. HENRICUS VOS, Meppela-Drenthinus, def. Spec. exhibente *casum Diabetis Melleti in Nosoc. Acad. observat. cum epicrisi et nonnullis corollariis practicis*, Med. D.

d. 11 Dec. Vir Doctiss. DAVID COHEN, Med. et Art. Obst. D., def. Thes. Chirurgicis, Chir. D.

d. 15 Dec. HUBERTUS MARTINUS SCRINERIUS, Bolsvardia-Frisius, def. Spec. *de partu serotino*, Med. D.

d. 16 Dec. Vir Doctiss. BELCO NICOLAUS VAN KLEFFENS, Med. D. Doccuma-Frisius, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *cum laude.*

d. 18 Dec. JOHANNES FREDERICUS NIEUHOFF, natus in domo Harseveld dicta in prov. Transisalana, def. Spec. *de discrimine inter medicinam legalem et politiam medicam*, Med. D.

d. 20 Dec. Vir Doctiss. SYPKO REINDER OOMKENS, Med. D., def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *cum laude.*

d. 22 Dec. BERNARDUS HAITSEMA VIËTOR, Winschotanus. def. Spec. Jur. *ad art.* 380 *Codicis Poenalis*, Jur. Rom. et Hod. D. *cum laude.*
OENE SCHREUDER, Leovardia-Frisius, def. Spec. Med. *de Cephalaematomate*, Med. D. *cum laude.*
Vir Doctiss. JOHANNES LEOPOLD SIEMENS, Med. D. ex pago Scheemda-Oldambtinus, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *magna cum laude.*

1842.

d. 20 Jan. Vir Doctiss. EGBERTUS HENRICUS VAN BORSSUM WAALKES, M. D. Workumo-Frisius, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *cum laude.*

d. 24 Febr. Vir Doctiss. WIGLIUS SCHULTETUS AENEAE, Med. D. e St. Jacobi Parochia-Frisius, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *cum laude.*

d. 19 Mart. JOHANNES ALBERTUS GULIELMI FILIUS POTT, Pekela-Oldambtinus, def. Diss. *de ratione hominum e phtisi defunctorum ad eos homines, qui ex aliis morbis obierunt in urbe Groningana per annos* 1838, 1839, 1840*; ut et de aeris vi et efficacitate in eos morbos, tabularum statisticarum ope demonstrata*, Med. D. *magna cum laude.*

d. 25 Aprilis. JACOBUS ADRIANUS FONTEIN, Harlinga-Frisius, def. Disp. Jur. *de Legatis ex principiis Juris hodierni*, Jur. Rom. et Hod. D. *cum laude.*
SCATO GOCKINGA, Groninganus, def. Spec. Jur. *de legitimatione per rescriptum principis secundum Jus Hodiernum*, J. R. et H. D. *cum laude.*

d. 30 Aprilis. Vir Doctiss. PETRUS RINSEMA ex Winschoten-Oldambtinus, Med. et Art. Obst. D., def. Thes. Chirurgicis, Chir. D.

d. 2 Maji. FREDERICUS ULRICUS HERMANNUS REIGER, Groninganus, def. Spec. Jur. cont. *Observationes de jure ad poenam sublato per mortem delinquentis ad art.* 446—451 *Codicis patrii quo regitur methodus procedendi in caussis poenalibus*, Jur. Rom. et Hod. D. *cum laude.*

d. 4 Maji. ALBERTUS SLINGENBERG, Coevordiensis, def. Diss. *de Jure patris bona liberorum aetate minorum administrandi, stante matrimonio secundum Jus Civile patrium*, Jur. Rom. et Hod. D. *magna cum laude.*

d. 3 Junii. HENRICUS VEENHOVEN, ex pago Hoogezand, def. Spec. *de testamentis privilegiatis sec. Codicem Civilem Neerlandicum*, Jur. Rom. et Hod. D. *cum laude.*

d. 11 Junii. FOKKE ALTING MEES, Appingedamensis, def. Diss. cont. *Observationes de mora*, Jur. Rom. et Hod. D. *cum laude*.

d. 15 Junii. ALPHONSUS HECKER, Groninganus, publice def. Spec. Lit. exh. *commentationum Callimachearum capita duo*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D., *magna cum laude*.

EGBERTUS PELINCK, ex pago Norg-Drenthinus, def. Spec. cont. *Observationes de medio juris, quod cassationis nomine vocatur in caussis poenalibus*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 17 Junii. Vir Doctiss. JACOBUS WORP VAN PEYMA, Med. D. ex pago Ternaard-Frisius, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obstetr. D. *cum laude*.

d. 20 Junii. Vir Doctiss. EELCO NICOLAUS VAN KLEFFENS, Med. et Art. Obst. D. Doccumo-Frisius, def. Thes. Chirurg., Ch. D. *magna cum laude*.

d. 23 Jnnii. GULIELMUS CORNELIS JOHANNES JOSEPHUS CREMERS, Groninganus, def. Diss. *de fraude, quae poenam meretur inprimis sec. Jus Gallicum*, Jur. Rom. et Hod. D. *magna cum laude*.

d. 24 Junii. JACOBUS VAN DYK, Proc. Jur. apud Tribunal Dioc. Zutphan., def. Thes. J. U. D.

d. 25 Junii. Vir Doctiss. GERHARDUS DIEPHUIS, Jur. Utr. D. ex pago Farmsum-Groninganus, publice def. Disquis. Litter. *de jure et ratione divortiorum apud antiquissimos Romanos*, Phil. Th. M. et Lit. Hum. D. *magna cum laude*.

FREDERICUS LUDOVICUS VAN SONSBEECK, Groninganus, def. Spec. *ad legem 4 digestorum de captivis et de postliminio*, J. R. et H. D. *c. laude*.

d. 29 Junii. RUDOLPHUS YSBRANDUS MULLER, Groninganus, def. Diss. *de jure personarum ad justas nuptias contrahendas sec. Jus Hodiernum*, Jur. Rom. et Hod. D. *cum laude*.

LUCAS WILLINGE, ex pago Emmen-Drenthinus, def. Diss. Chemico-Med. *de Strychnino*, Med. D.

JOACHIMUS LUNSINGH TONCKENS, ex pago Smilde-Drenthinus, def. Diss. *de inversione uteri*, Med. D. *cum laude*.

LUCAS HOMAN, Rolda-Drenthinus, def. Spec. *de rei in jure nostro notione, rerumque distinctione*, Jur. Rom. et Hod. D. *cum laude*.

Vir Doctiss. ALBERTUS EGGES POST, Med. D. Winschotanus, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obstetr. D.

d. 30 Junii. Eppo Hesse Stheeman, ex pago Scheemda-Oldambtinus, def. Diss. exh. *animadversiones de vestigiis Juris antiqui in Codice Poenali A°. 1810 obviis*, Jur. Rom. et Hod. D. *magna cum laude*.
Petrus Hofstede, Assena-Drenthinus, def. Thes. Juridicis, Jur. Rom. et Hod. D. *cum laude*.
Nicolaus van Hasselt, Groninganus, def. Spec. *de art. 9no legis, quae generaliora legislationis Neerlandicae praecepta continet*, J. R. et H.D.

d. 1 Julii. Henricus Hermannus Hesse, ex pago Scheemda, def. Spec. *de morbis simulatis*, Med. D.
Jeremias Fredericus Munniks, Groninganus, def. Diss. *de morbis simulatis et artificialibus*, Med. D. *cum laude*.
Rhynvis Georgius Colonius Feith, Leidensis, def. Diss. *de partu*, Med. D. *magna cum laude*.
Petrus Stinstra, Franequeranus, def. Diss. *de Francici juris legalium hypothecarum systemate comparato cum Neerlandici Juris remediis earum loco concessis*, Jur. Rom. et Hod. D.

d. 2 Julii. Douwe Lubach, Doccumanus, def. Spec. Med. *de oleo jecoris aselli*, Med. D. *cum laude*.
Vir Doctiss. Bernardus Verver, Med. D. Meppelâ-Drenthinus, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *magna cum laude*.
Vir Doctiss. Hermannus Henricus Tjeerd Cannegieter, Med. D. ex pago Solwerd, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D.

d. 10 Oct. Johannes Aeschines Born, Leovardia-Frisius, def. Diss. *de Pericarditide*, Med. D. *cum laude*.

ORATIONES

HABITAE

IN ACADEMIA GRONINGANA

ANNO MDCCCXLII—MDCCCXLIII.

RECTORE MAGNIFICO LUDOVICO GERLACHO PAREAU.

Die 14 Septembris a. 1843 Cl. J. A. C. ROVERS munus Professoris Ordinarii in Facultate Phil. Theor. et Lit. Hum. auspicatus est solenni oratione *de dubitandi prudentia antiquitatis interpreti inprimis commendanda.*

Die 12 Octobris a. 1843 Rector Magnificus L. G. PAREAU habita oratione, *de religionis Christianae vi in doctrinis disciplinisque humanis*, magistratum Academicum deposuit. (Ed. Groningae a. 1843.)

ORDO LECTIONUM

IN ACADEMIA GRONINGANA

ANNO CIƆIƆCCCXLIII—CIƆIƆCCCXLIV.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. Hofstede de Groot, d. Lunae, Martis, Mercurii, h. IX, *Historiam Ecclesiae Christianae*, inde ab initio usque ad nostra tempora, secundum *Institutiones* suas, typis divulgatas, sic enarrabit, ut hoc anno inprimis *historiam doctrinae Christianae post Ecclesiam seculo XVI emendatam* sit traditurus; d. Lunae, h. X, *Institutiones* a se editas secuturus, *Theologiam Naturalem* exponet; d. Martis, Mercurii, Veneris, h. X, *Dogmaticam et Apologeticam religionis Christianae* tradet; d. Saturni, h. III, *historiam generis humani Divinitus instituti* inde ab exsilio gentis Israëliticae Babylonico enarrare perget; tempore Commilitonibus commodo *selecta Patrum loca* cum his leget.

L. G. Pareau, d. Mercurii, h. XI, *Euangelii Iohannei capp. XIII—XVII* cum Commilitonibus leget, d. Iovis et Veneris, h. XI, *Encyclopaediam Theologi Christiani* tradet; d. Martis, Mercurii et Iovis, h. XII, secundum Compendium suum typis editum, *Theologiam Christianam moralem* exponet; d. Lunae atque Veneris, h. XII, et d. Martis, h. I, loca nonnulla *Hermeneutices sacrae* exponet et *Carmina* quaedam difficiliora *Veteris Testamenti* cum Commilitonibus interpretabitur.

G. Muurling, d. Iovis, h. X, interpretari perget *historiam perpessionum, mortis et resurrectionis Iesu*, duce Marco, comparatis caeteris Euangelistis; d. Martis et Veneris, h. VIII, et d. Iovis, h. IX, cum Commilitonibus leget *Epistolam* Pauli *ad Colossenses;* d. Lunae et Martis, h. XI, et d. Veneris, h. IX, *Theologiam Practicam* tradet, praecipue *Catecheticam, Homileticam* et *Liturgicam;* d. Iovis, h. III, *exercitia Oratoria Sacra*, et d. Saturni, h. XI, *exercitia* provectiorum *Catechetica*, cum pueris instituenda, moderabitur.

Disputationibus, cum publicis tum privatis, de *Locis Theologicis*, d. Mercurii, h. III, suis vicibus praeërunt Theologiae Professores.

Cum anno Academico praecedenti variarum Facultatum Studiosi a Facultate Theologica humanissime rogaverint, ut religionis Christianae accuratius et penitius cognoscendae copiam sibi faceret, et huic honestissimae regationi lubentissime satisfecerit Facultas; nunc etiam eidem desiderio lubenter occurret LUDOVICUS GERLACHUS PAREAU lectiones habendo variarum Facultatum Studiosis, diebus et horis, quae Commilitonibus erunt aptissimae.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

C. DE WAAL, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. XI, *Metaphysicam* tradet; h. XII, aut alia auditoribus commoda, *Philosophiae Moralis* partem alteram, id est *Ethicam* exponet; h. X, *Historiam Philosophiae recentioris per saecula aerae Christianae* enarrabit. Ceterum, si sint, qui *Theologiam Naturalem* tradi sibi cupiant, de hac cum discipulis consilium inibit.

B. H. LULOFS, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. XII, secundum manuductionem suam et de *Kakographia*, quae vulgo dicitur, libellum, *Fundamenta stili bene Belgici* exponet, *quaeque nonnulla ad scientiam originis, indolis atque grammatices linguae Belgicae, nec non ad historiam literarum Belgicarum pertinent;* additis *recte Belgice scribendi exercitationibus.* — Iisdem diebus, hora solita V post meridiem, alterum suum compendium secuturus, *Eloquentiae* praecepta tradet, exemplis ex optimis, cum Neerlandicis, tum Graecis et Latinis recentiorumque gentium oratoribus atque poëtis illustrata, et adiunctis exercitiis, quae *Actioni*, i. e. *Eloquentiae exteriori*, sive vocis et gestuum moderationi, inserviant.

G. I. MEYER, d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XII, *Historiam patriae* exponet.

F. C. DE GREUVE, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. X, *Encyclopaediam Philosophiae* explicabit; iisdem diebus, h. XI, *Logicam* docebit; h. I, *Historiam Philosophiae antiquae* exponet.

P. VAN LIMBURG BROUWER, d. Lunae, Martis, Mercurii, h. IX, *Historiam Medii Ævi* tradet; iisdem diebus, h. X, *Antiquitatem Romanam;* d. Iovis, Veneris et Saturni, h. IX, *Antiquitatem Graecam.*

T. G. I. Iuynboll, *Grammaticam Hebraeam*, adiunctis *exercitiis Analyticis*, tradet d. Martis et Veneris, h. VIII, et d. Iovis et Veneris, h. XII. *Antiquitatem Hebraeam* explicabit d. Lunae, Martis et Mercurii, h. I. *Priorem librum Regum* interpretabitur d. Mercurii et Iovis, h. VIII. *Initia* docebit *linguae Arabicae*, *Syriacae* et *Chaldaïcae*, d. Lunae, h. VIII et Saturni, h. VIII et XII. Cum provectioribus lectionem Chrestomathiarum a Kosegartenio et Bernsteinio editarum continuabit d. Iovis, h. IV—VI.

Scholae Latinae et Graecae restaurabuntur diebus et horis, postea indicandis.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. Nienhuis, d. Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, h. XII, *Ius Civile*, iisdemque diebus, excepto d. Iovis, h. X, *Ius Mercatorium*, et XI, *Doctrinarum Processûs civilis, secundum ius patrium hodiernum, additis exercitationibus forensibus*, exponet.

I. H. Philipse, d. Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, h. IX, *Institutiones* Iustiniani explicabit; iisdem diebus, h. X, *Pandectas* interpretabitur; d. Lunae, h. VIII et IX, d. Martis, h. VIII, *Historiam Iuris Romani* enarrabit; d. Mercurii, Iovis et Veneris, h. VIII, *Encyclopaediam ac Methodologiam Iuris* tradet.

C. Star Numan, d. Lunae, Martis, Mercurii, h. VIII, *Codicem poenalem* interpretabitur; h. IX praecipua capita *Iuris Criminalis* exponet, ratione inprimis habita iuris patrii; d. Mercurii, Iovis, Veneris, h. X, *physiologiam iuris* tradet; d. Iovis, h. VIII et IX, d. Veneris, h. VIII, *iuris publici* principia, adhibito inprimis opere Zoepflano: *Grundsaetze des allgemeinen und des constitutionell-monarchischen Staatsrechts*, Heidelberg, 1841: h. IX et d. Saturni, h. VIII et IX, *Oeconomiae politicae* initia explicabit. *Taciti Germaniam* lubenter leget cum commilitonibus, horis vespertinis, post ferias constituendis.

Disputationibus cum publicis tum privatis lubentes praeërunt Iuris Antecessores.

IN FACULTATE MEDICA.

S. E. Stratingh, d. Lunae, Martis, Iovis et Veneris, h. X, *Medicinam Practicam;* d. Veneris, h. XI, et Saturni, h. X, *Diaeteticam cum Medicina*

Politica coniunctam; d. Lunae, Martis et Iovis, h. IX, *Materiam Medicam* cum *Pharmacia Medica* coniunctam et *Semeioticam* diebus ac horis postea indicandis tradere constituit.

A. A. Sebastian, *Physiologiam* docebit ante ferias paschales d. Lunae, Martis, Mercurii, h. VIII atque alternis d. Saturni h. IX; sed post ferias paschales die etiam Mercurii h. VII et d. Iovis h. III; *Chirurgiam* exponet ante ferias paschales ter per dierum hebdomadem, scilicet d. Iovis, Veneris, h. IX et d. Saturni h. VIII sed post ferias paschales quinquies, scilicet diebus quoque Lunae et Martis h. VII; *Clinicis Exercitationibus* in Nosocomio Academico vacabit quotidie h. XII½; *doctrinam de inflammationibus chirurgicis et de morbis auris* tradet d. Iovis h. VIII; *Anatomen Pathologicam* d. Veneris h. VIII; *Anatomen corporis humani* exponet d. Martis, Iovis et Veneris, h. media V, et d. Mercurii, h. III; dissectionibus cadaverum Anatomicis tempore hiemali instituendis quotidie praeërit.

I. Baart de la Faille, d. Lunae, h. VIII et IX, Martis h. VIII et Saturni h. IX, *Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam* exponet; et in Nosocomio Academico, ad parturientium lectos, qualibet oblata occasione, practice instituet. D. Lunae h. X et Martis h. IX, *Artis Obstetriciae partem Technicam* de industria fusius docebit. *Pathologiam generalem* explicabit, ante ferias paschales, d. Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, h. I, post ferias autem paschales d. Iovis et Veneris hora matutina VII, et Saturni h. VII et VIII. D. Mercurii et Saturni, h. X, *Medicinam Forensem* tradet. D. Mercurii, h. VIII et IX, *Morbos Infantum* exponet. Singulis quoque diebus ab h. XI in Nosocomio Academico aegrotis curandis vacabit, morbosque ibi tractatos uberius exponet. — Disputationum exercitiis lubens vacare perget.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Th. van Swinderen, d. Lunae et Mercurii, h. VIII, *Encyclopaediam Philosophiae naturalis* tradet, cui praemittet praecepta *Hodegetica*, sive *de studii ratione recte instituenda*, additis *Paedagogices principiis*. Iisdem diebus h. X et d. Martis h. VIII, *Historiam Naturalem Animalium* et *Fossilium*, *inprimis patriae*, et *Animalium*, cum *Anatome comparata* con-

iunctam, docebit; d. Lunae et Martis, h. III, vel verno tempore VII matutina, aut alia magis commoda, hoc anno, *Animalium* frigidi sanguinis *Historiam Naturalem* fusius explicabit.

H. C. van Hall, d. Martis h. XII et d. Veneris h. VIII et IX, aestivo tempore etiam d. Saturni h. VIII, *elementa Botanices* illustrabit. *Botanices sublimioris* selecta quaedam capita tradet d. Veneris h. XI. Die Mercurii h. IX et X aget de plantis *medicinalibus* aliisque vario respectu *utilibus*, sive de *Botanica applicata*, ordine Familiarum naturalium. Die Saturni autem, h. X et XI, *Oeconomiam ruralem* docebit.

I. G. Ermerins, d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XI, *Arithmetices*, *Algebrae*, *Geometriae* et *Trigonometriae planae* elementa explicabit; d. Iovis et Saturni, h. IX, *Stereometriam* et *Trigonometriam Sphaericam* tradet; *Physicam experimentalem* docebit d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XII. Selecta *Matheseos sublimioris*, *Physicae et Astronomiae* capita quaedam, horis auditoribus commodis, exponet. *De Matheseos elementis disquisitio* habebitur d. Iovis, Veneris et Saturni, hora pomeridiana III.

N. Mulder, d. Lunae et Martis, h. IX, lectiones habebit de *Chemia organica;* d. vero Mercurii, h. XII, de *regni animalis Chemia.* D. Lunae, h. XII, et Martis, h. III, *Chemiam pharmaceuticam* tradet. D. Iovis et Saturni, h. X, vel aliis commodis, *Chemiam forensem* docebit. D. Lunae et Martis, h. VI p. m., *Chemiae technologicae capita selecta* in usum publicum illustrabit. *Exercitiis* denique *Chemicis practicis*, diebus et horis commodis, lubens praeërit.

NUMERUS ADOLESCENTIUM

QUI IN ACADEMIA GRONINGANA

STUDIIS OPERAM NAVANT IPSO DIE 31 DECEMBRIS MDCCCXLII.

E FACULTATE THEOLOGICA.	E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM.	E FACULTATE JURIDICA.	E FACULTATE MEDICA.	E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	CUNCTUS NUMERUS.
47	65	60	79	30	281

Hicce numerus Studiosorum mense Octobris in tabulas censorias relatorum 31 Dec. 1842 accrevit ad 290.

SERIES
DISSERTATIONUM CET. DEFENSARUM
IN ACADEMIA GRONINGANA
MDCCCXLII—MDCCCXLIII.

1842.

d. 22 Oct. Vir Doctiss. OENE SCHREUDER, Med. D. Leovardia-Frisius, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D.
Vir Doctiss. THEODORUS WILHELMUS BERNARDUS RODING, Med. D. 's Heerenberg-Gelrus, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D.

d. 7 Nov. DIDERICUS DE BOER, Holwerda-Frisius, def. Diss. *qua inqueritur in lactis metastases*, Med. D. *cum laude.*

d. 14 Nov. JANUS DOORENBOS, H. FIL., Smilda-Drenthinus, def. Diss. *de Hydrope ovariorum saccato*, Med. D. *cum laude.*
Vir Doctiss. BERNARDUS VERVER, Med. et Art. Obst. D., *praeparata sua chemico-pharmaceutica exhibuit; et his probatis praelegit demonstrationem de quinini cet. praeparatione.* Hac etiam probata, Art. Pharm. D. *magna cum laude.*

d. 22 Nov. Vir Doctiss. HENRICUS VOS, Med. D. Meppela-Drenthinus, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *cum laude.*

d. 19 Dec. ANTONIUS GABRIEL MEDER, Winschotanus, def. Diss. *de Melanosi observata in Nosocomio Academico*, Med. D. *magna cum laude.*
TOBIAS ADOLPHUS HENRICUS SCHONINGH, Ootmarsuma-Transisalanus, def. Diss. *de constrictione funiculi umbilicalis*, Med. D. *cum laude.*
WILHELMUS JOHANNES CHRISTIANUS WIEDENBROEK, ex pago Haaksbergen-Transisalanus, def. Diss. *de compressione arteriorum, praecipue carotidum, comm. sensu therapeutico*, Med. D. *magna cum laude.*

d. 20 Dec. Vir Doctiss. REGNERUS SMIT, Med. D. Oostwolda-Oldambtinus, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *cum laude.*

d. 21 Dec. ULBO JOHANNES NOORDENBOS, e pago Nykerk-Frisius, def. Spec. *de variis hysteriae formis*, Med. D. *cum laude.*

d. 22 Dec. FREDERICUS ROESSINGH, Neohusa-Benthemienses, def. Thes. Juridicis, J. U. D. *cum laude.*

1843.

d. 21 Jan. GERARDUS LOLKES JANSMA VAN DER PLOEG, Leovardia-Frisius, def. publice Disquis. *in Titulos primos et alterum libri primi Codicis Civilis Neerlandici*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 24 Jan. Vir Doctiss. RHYNVIS GEORGE COLONIUS FEITH, Med. D., Leidensis, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *magna cum laude.*

d. 4 Febr. Vir Doctiss. JOHANNES ALBERTUS WILLEMS POTT, Med. D. ex pago Pekela-Oldambtinus, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *cum laude.*

d. 8 Febr. JETZO BOELES, Pingjumo-Frisius, def. publice Comment. *de Mysteriis, in religione Christiana*, Theol. D. *magna cum laude.*
Vir Doctiss. JETZO BOELES, Th. D., def. publice Diatribe *de hominis immortalitate, imprimis secundum Ciceronem*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D. *magna cum laude.*

d. 15 Febr. TONCO MODDERMAN, A. FIL., Hoogezanda-Groninganus, V. D. M. in vico Eelde, def. publice Diss. *de Jesu Christo ex Evang. Johannei cap. XVII cognoscendo*, Theol. D. *magna cum laude.*

d. 18 Febr. ALBERTUS AEMILIUS SYNCO SLUITERMAN, Worcumo-Frisius, def. publice Diss. *de quadam difformitate ultimae phalangis digitorum manus pedisque, ut signo morborum*, Med. D. *cum laude.*

d. 4 Martii. Vir Doctiss. JOACHIMUS LUNSINGH TONCKENS, Med. D., def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *cum laude.*

d. 8 Martii. JANUS JACOBUS FRANCISCUS PENNINCK, ex urbe Enschedé-Transisalanus, def. Spec. Med. *de Scrophulosi et Tuberculosi*, M. D. *cum laude.*
ALBERTUS HENRICUS SWAAGMAN, Groninganus, def. Diss. *de osteomalacia universali feminarum, atque de pelvis figurae mutationibus quae ex ea oriuntur*, Med. D. *magna cum laude.*

d. 28 Mart. Vir Doctiss. JOHANNES ALBERTUS WILLEMS POTT, Med. et Art. Obst. D. e pago Pekela-Oldambtinus, def. Thes. Chirurgicis, Chir. D. *cum laude.*

d. 5 April. WARMOLTUS ALING, ex pago Borger-Drenthinus, def. Thes. Juridicis, J. U. D. *cum laude.*
HENRICUS PICCARDT, ex pago Pekela-Oldambtinus, def. Thes. Juridicis, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 8 April. Lambertus Oortwyn, Groninganus, def. Diss. exh. *de typho contagioso, cum morbi casu ejusque epicrisi et corollariis theoretico practicis*, Med. D.

Johannes Everhardus Theodorus Schaepman, Zwolla-Transisalanus, def. Diss. *de Ophtalmia periodica*, Med. D. *cum laude*.

d. 28 April. Eisso Post, G. Fil., e pago Nieuwolda-Oldambtinus, def. Spec. *de formulas conscribendi arte generatim, deque dosibus medicamentorum speciatim*, Med. D.

d. 29 April. Johannes Christophorus Schönfeld, Winschotanus, def. Spec. *de periodo, quae observatur in statu hominis sano et morboso*, M. D.

d. 2 Maji. Antonis Sannes, e pago Noordyk-Groninganus, def. Diss. *de induratione telae cellulosae infantum recens natorum*, M. D. *cum laude*.

d. 18 Maji. Vir Doctiss. Janus Doorenbos, Med. D. Smilda-Drenthinus, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *cum laude*.

d. 27 Maji. Vir Doctiss. Johannes Aeschines Born, Med. D. Leovardia-Frisius, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *cum laude*.

d. 31 Maji. Janus Frico Camphuis, e pago Uithuizer-Meeden Ommelandus, def. Diss. *de urina cruenta*, Med. D. *cum laude*.

Joannes Camphuis, e pago Uithuizer-Meeden Ommelandus, def. Spec. exh. *casum diathesis haemorrhagitae cum epicrisi*, Med. D. *cum laude*.

d. 8 Junii. Bernardus Georgius Ten Pol, Ootmarsuma-Transisalanus, def. Thes. Juridicis, J. U. D. *magna cum laude*.

Gulielmus de Sitter, Groninganus, publice def. Spec. cont. *Collationum Juris antiqui, maxime secundum Grotium et Hodierni patrii, in loco, qui est de tutelis*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 14 Junii. Vir Doctiss. Didericus de Boer, Med. D. Holwerda-Frisius, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *cum laude*.

d. 19 Junii. Vir Doctiss. Antonius Gabriel Meder, M. D. Winschotanus, def. Thes. Obstetriciis, Art. Obst. D. *magna cum laude*.

d. 23 Junii. Bernardus Janus Gratama, Assena-Drenthinus, def. Quaest. Juris, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 24 Junii. Gerrit Wilhelmy, Bergumo-Frisius, publice def. Spec. *de vita et philosophia Francisci Baconis, Philosophi*, Ph. Theor. Mag. et Litt. Hum. D. *cum laude*.

d. 26 Junii. Vir Doctiss. JACOBUS HEPPENER, Med. et Art. Obst. D. Dragtena-Frisius, def. Thes. Chirurgicis, Chir. D. *magna cum laude.*

d. 29 Junii. JOUWERTUS WITTEVEEN, e pago Metslawier-Frisius, def. Quaest. Juris, J. U. D. *cum laude.*

JACOBUS GULIELMUS FRANCISCUS JOHANNES DE PEYROU VAN BREUGEL, Samarangensis, publice def. Spec. cont. *Quaest. ad art.* 209 *Codicis qnaestionum criminalium*, J. U. D. *cum laude.*

d. 20 Dec. Henricus Theodorus Mauritius Johannes Guilielmus Fuhrman Meyeringh, Dedemsvaart-Transisalanus, def. Spec. *de usu Acetitis plumbi praesertim in phthisi pulmonali*, Med. D. *magna cum laude*.

Jacobus Regnerus Carolus Penninck, e pago Twello-Gelrus, def. Diss. *de pulmonum fistulis*, Med. D. *cum laude*.

Henricus Sibrandus Steenstra Toussaint, Cliviensis, def. Quaest. Juris inauguralibus, J. U. D. *cum laude*.

Tjeerd Banga, Franequeranus, def. Quaest. Juris inauguralibus, J. U. D.

d. 20 Dec. JANUS GUILIELMUS VAN DOORNINCK, Daventriensis, def. Quaest. Juris inauguralibus, J. U. D.

d. 22 Dec. JOHANNES ALBERTUS RYKENS, M. D., def. Thes., Chir. D. *cum laude.*
SIMON PETRUS KROS, def. Diss. *de spira in plantis conspicua*, Math. Mag. et Phil. Nat. D. *cum laude.*

1846.

d. 25 Mart. JACOBUS JOHANNES ARITIUS QUINTUS, Groninganus, def. Quaest. Juris inauguralibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 1 April. PETRUS SMIT DE KLEMP, Groninganus, def. Diss. *de induratione telae cellulosae adultorum*, Med. D. *cum laude.*

d. 4 April. ADOLPHUS JACOBUS JOSEPHUS SCHONINGH, Ootmarsuma-Transisalanus, def. Diss. *de tuberculis cerebri*, Med. D.
THOMAS CORNELIUS MAURITIUS HANEGRAAT, Dordracenus, def. Diss. *de temporum computatione, quam in libri de conjuratione Catilinae capito* 18[vo] *sequi videtur Sallustius*, Ph. Th. Mag. et Lit. Hum. D.

d. 22 April. PETRUS JOHANNES SMID, M. D., def. Thes., A. O. D. *cum laude.*

d. 29 April. SYWKO BLEEKER, Med. D., def. Thes., A. O. D. *magna cum laude.*

d. 9 Maji. RUDOLPHUS PABUS CLEVERINGA J. FIL., Appingedamensis, def. Quaest. Juris inauguralibus, J. U. D. *cum laude.*
JACOBUS MEDER, def. Quaest. Juris inauguralibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 13 Maji. UBBO PETRUS OKKEN, Lera-Frisius Orientalis, def. Diss. *de priva religionis Christianae medio aevo inter Neerlandos progressae natura*, Theol. D. *magna cum laude.*

d. 16 Maji. RICHOLDUS LONNEMAN, M. D., def. Thes., A. O. D. *magna cum laude.*

d. 20 Maji. GUILIELMUS AUGUSTINUS OPPERHAUS, Groninganus, def. Quaest. Juris inauguralibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 4 Junii. JACOBUS EINTHOVEN, Med. et Art. Obst. D., def. Thesibus, Chir. D.

d. 6 Junii. RHYNVIS FEITH, Appingedamensis, def. Quaest. Juris inauguralibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 15 Junii. JACOBUS REGNERUS CAROLUS PENNINCK, Med. D., def. Thes., Art. Obst. D. *magna cum laude.*

d. 18 Junii. ANTONIUS CRAMER, Med. et Art. Obst. D., def. Thesibus, Art. Chir. D. *cum laude.*

d. 20 Junii. JOHANNES JACOBUS DAMSTÉ, e pago Burum-Frisius, def. Diss. exhibente *casum morbi cum adnotatione pathologica de asthmate*, Med. D.

d. 22 Junii. HENRICUS THEODORUS MAURITIUS JOHANNES GUILIELMUS FUHRMAN MEYERINGH, M. D., def. Thes., Art. Obst. D. *magna cum laude*.

d. 24 Junii. GUILIELMUS ALBARDA, Leovardus, def. Quaest. Juris inaug., J. U. D.

d. 3 Oct. FOKKO KOERTS AMSHOFF, M. D., def. Thes., A. O. D. *cum laude*.

HONORIS CAUSA.

1845.

d. 7 Nov. Vir Clar. B. H. LULOFS, J. U. D. et in Academiae Groninganae Facultate Phil. Theor. et Lit. Hum. Prof., Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D.

d. 8 Dec. Vir Doctiss. LUDOVICUS PHILIPPUS JACOBUS SNABILIÉ, M. D., Medicus Militaris in regno Nederlandico primarius, Art. Chirurg. D.

ORATIO

HABITA

IN ACADEMIA GRONINGANA

ANNO MDCCCXLVI—MDCCCXLVII.

Die 14 Octobris anni 1847 Vir Clar. NICOLAUS MULDER magistratum Academicum deposuit, habita oratione *de nostra Naturae cognitione efficacius investigationis diligentiâ, quam inveniendi studio augenda et perficienda.*

ORDO LECTIONUM

IN ACADEMIA GRONINGANA

ANNO CIƆIƆCCCXLVII—CIƆIƆCCCXLVIII.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

TH. VAN SWINDEREN, d. Lunae et Martis, h. X et d. Martis h. VIII, *Historiam Naturalem Animalium* et *Fossilium*, *inprimis patriae*, et *Animalium*, cum *Anatome comparata* coniunctam, docebit; d. Lunae et Martis, h. III, vel verno tempore VII matutina, aut alia magis commoda, hoc anno, *Avium Historiam Naturalem* fusius explicabit.

H. C. VAN HALL, d. Martis h. XII et d. Veneris h. VIII et IX, aestivo tempore etiam d. Saturni h. VIII, *elementa Botanices* illustrabit. *Botanices sublimioris* selecta quaedam capita tradet d. Veneris h. XI. Die Mercurii h. IX et X aget de plantis *medicinalibus* aliisque vario respectu *utilibus*, sive de *Botanica applicata*, ordine Familiarum naturalium. Die Saturni autem, h. X et XI, *Oeconomiam ruralem* docebit.

I. G. ERMERINS, d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XI, *Arithmetices*, *Algebrae*, *Geometriae* et *Trigonometriae planae* elementa explicabit; *Physicam experimentalem* docebit d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XII. *Physicam theoreticam* universe, aut selecta eius capita, provectioribus discipulis exponet. *De Matheseos elementis disquisitio* habebitur d. Iov., Ven. et Sat., h. p. III.

N. MULDER, d. Lunae et Martis, h. IX, d. vero Mercurii, h. XII, lectiones habebit de *Chemia generali et corporum anorganicorum*. D. Lunae, h. XII, et Iovis, h. X, *Chemiam pharmaceuticam* tradet. Diebus horisque Commilitonibus aptis, *Chemiae physiologicae vegetabilium* selecta capita tractabit. D. Lunae et Martis, h. VI p. m., *Chemiae technologicae capita* in usum publicum illustrabit. *Exercitiis* denique *Chemicis practicis* varii generis, horis commodis, quotidie praeërit.

G. A. Enschedé, d. Iovis et Saturni, h. IX, *Stereometriam* et *Trigonometriam sphaericam* docebit. *Exercitia mathematica* futurorum in Gymnasiis Praeceptorum moderabitur, horis Commilitonibus aptissimis. *Geometriam analyticam*, *Calculum differentialem* et *integralem*, *Mechanicam analyticam* exponere perget. Cum provectioribus privatim leget Moigno, *leçons de calcul intégral*, et de Pontécoulant, *théorie analytique du système du monde.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. Hofstede de Groot, d. Lunae et Martis, h. IX, et Mercurii h. VIII, *Historiam Ecclesiae Christianae*, inde ab initio usque ad nostra tempora, secundum *Institutiones* suas, typis divulgatas, sic enarrabit, ut hoc anno inprimis *historiam doctrinae Christianae* inde ab Ecclesia seculo XVI emendata sit traditurus; d. Lunae et Martis, h. X, et d. Mercurii, h. IX, *Dogmaticam et Apologeticam religionis Christianae* exponet, secundum *Compendium* a L. G. Pareau et se editum; d. Mercurii et Veneris, h. X, *Theologiam Naturalem*, secundum *Compendium* a se editum, tradet; d. Saturni, h. III et dimidiâ, *Historiam generis humani Divinitus instituti* inde a Iesu Christi missione in terras enarrabit; diebus et horis, quae Commilitonibus erunt opportunae, tam *Loca Patrum Ecclesiae* selecta cum iis leget quam *Historiam Euangelii nostris diebus propagati*, duce Walmanno, enarrabit.

L. G. Pareau, d. Iovis et Veneris, h. XI, *Encyclopaediam Theologi Christiani*, secundum *Compendium* a P. Hofstede de Groot et se editum, tradet; d. Martis, Mercurii et Iovis, h. XII, secundum *Compendium* suum typis expressum, *Theologiam Christianam moralem* exponet; d. Lunae atque Veneris, h. XII, et d. Martis, h. XI, loca nonnulla *Hermeneutices sacrae*, secundum *Compendium* suum typis editum, tractabit et quaedam *Carmina*, etiam *Prophetica*, cum Commilitonibus interpretabitur.

G. Muurling, d. Iovis, h. X, tractabit *Criticam Novi Testamenti;* d. Martis et Veneris, h. VIII, et d. Iovis, h. IX, cum Commilitonibus legere perget *scripta* Iohannea; d. Lunae et Martis, h. XI, et d. Veneris, h. IX, *Theologiam Practicam* tradet, praecipue *Curam pastoralem* et *Regimen Ecclesiasticum;* d. Iovis, h. III, *exercitia Homiletica*, et d. Saturni, h. XI, *exercitia* provectiorum *Catechetica*, cum pueris instituenda, moderabitur.

Disputationibus cum publicis tum privatis de *Locis Theologicis*, d. Mercurii, h. III, suis vicibus praeërunt Theologiae Professores.

Ut religionis Christianae accuratius et penitius cognoscendae copia fiat omnibus, qui huius rei desiderio tenentur, Academiae alumnis, a Theologiae Professore pars Novi Foederis legetur cum variarum Facultatum Studiosis, diebus et horis, quae Commilitonibus erunt aptissimae.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

B. H. Lulofs, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. XII, secundum manuductionem suam et suum de *Kakographia*, ut dicitur, libellum, *Fundamenta stili bene Belgici* exponet, *quaeque ad scientiam linguae Belgicae, nec non ad historiam literarum Belgicarum pertinent;* additis *recte Belgice scribendi exercitationibus.* Simul (si vacabit) peculiarius explicaturus est aut Hooftium et Vondelium, aut scriptores et Grammaticam seculi XIII et XIV ad librum, quem de his edidit. — Iisdem diebus, h. V, suum de Rhetorica compendium secuturus, *Eloquentiae* praecepta tradet, exemplis ex optimis poëtis atque oratoribus illustrata, et adiunctis exercitiis, quae *Actioni*, i. e. vocis et gestuum moderationi, inserviant.

G. I. Meyer, d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XII, *Historiam patriae* exponet.

F. C. de Greuve, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. X, *Metaphysicam* tradet; iisdem diebus, h. XI, *Logicam* docebit; h. I, *Historiam Philosophiae* exponet. *Ethicam*, aliamve *Philosophiae* partem, hora auditoribus commoda explicabit.

P. van Limburg Brouwer, d. Lunae, Martis, Mercurii, h. IX, *Historiam Recentiorem* tradet; iisdem diebus, h. X, *Antiquitatem Romanam;* d. Iovis, Veneris et Saturni, h. IX, *Antiquitatem Graecam.*

I. A. C. Rovers, interpretabitur selectos Thucydidis locos et Plutarchi *vitam Periclis*, d. Iovis, Veneris et Saturni, h. X; explicabit Ciceronis *Paradoxa* et Taciti *Annalium* Lib. I, iisdem diebus, h. I; privatim exponet Aristophanis *Nubes*, iisdem diebus, h. XI.

I. I. P. Valeton, *elementa grammatices Hebraeae*, additis exercitiis analyticis, tradet d. Lunae, Martis et Mercurii, h. VIII. *Grammaticam dialectorum Semiticarum comparatam*, additis exercitiis analyticis cum Arabicis tum Aramaeis, exponet d. Iovis, Veneris et Saturni, h. VIII. E libris V. T. *historicis* interpretabitur *priorem Samuelis librum* d. Iovis et Veneris, h. XII. *Antiquitatem Hebraeam* explicabit d. Lunae, Martts et Mercurii, h. I. Cum provectioribus Bidpaii *Fabulas a* de Sacyo *editas* privatim leget d. Veneris, h. IV et *Chrestomathiam Kirschianam a* Bernsteinio *editam* eodem die, h. V.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. Nienhuis, d. Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, h. XI, *Ius Civile* interpretabitur, iisdemque diebus, excepto d. Saturni, h. XII, selecta *Iuris Mercatorii* capita tractabit; d. Mercurii h. X, et Saturni h. X et XII, *Doctrinam Processûs Civilis, secundum ius patrium hodiernum, additis exercitationibus forensibus*, exponet.

I. H. Philipse, d. Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, h. IX, *Institutiones* Iustiniani explicabit; d. Lunae. h. XI, d. Martis, Iovis et Veneris, h. X, mense vero Aprili, Maio, Iunio et Septembri, iisdem diebus, horâ matutinâ VII, selectos *Pandectarum* locos tractabit; d. Lunae, h. VIII et IX, d. Martis, h. VIII, *Historiam Iuris Romani* enarrabit; d. Mercurii, Iovis et Veneris, h. VIII, *Encyclopaediam ac Methodologiam Iuris* tradet.

C. Star Numan, d. Lunae, Martis, Mercurii, h. VIII, ius poenale in patria adhuc vigens interpretabitur, ratione perpetuo habita iuris novi in patria rogati vel conditi; imo si *Codex poenarum*, quem exspectamus, non legis tantum sed iuris in foro auctoritatem nactus fuerit, aut proximo anno nanciscetur, hunc explicabit, cumque iure, quo adhuc utimur, comparabit; iisdem diebus, h. IX, *de iure publico* disputabit; d. Martis, Mercurii, Iovis, h. XII, *de natura iuris* aget; d. Lunae, h. XII, Iovis, Veneris, h. VIII, praecipuos locos *Iuris Criminalis patrii* exponet; d. Iovis, h. IX et X, Veneris, h. IX, *Oeconomiae politicae* initia explicabit.

Disputationibus, cum publicis, tum privatis, de iuris quaestionibus lubenter praeërunt Iuris Professores.

IN FACULTATE MEDICA.

A. A. Sebastian, *Physiologiam* docebit d. Lunae, Martis, Mercurii, h. VIII atque alternis d. Saturni h. IX; *Chirurgiam* exponet ter per dierum hebdomadem, scilicet d. Iovis, Veneris, h. IX et d. Saturni h. VIII; *Clinicis Exercitationibus* in Nosocomio Academico vacabit quotidie h. I; *doctrinam de inflammationibus chirurgicis et morbis aurium* tradet d. Veneris h. VIII; *Anatomen corporis humani* exponet d. Martis, Iovis et Veneris, h. V, et d. Mercurii, h. III; *dissectionibus cadaverum Anatomicis* tempore hiemali instituendis quotidie praeërit.

I. Baart de la Faille, d. Mercurii et Iovis, h. VIII, et Saturni, h. IX, — sed post ferias Paschales, d. Mercurii et Iovis h. VIII, Veneris et Saturni h. VII, — *Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam* exponet; et in Nosocomio Academico, ad parturientium lectos, qualibet oblata occasione, practice instituet. D. Lunae et Martis, h. VIII, *Artis Obstetriciae partem Technicam* de industria fusius docebit. *Medicinam Practicam* tradet, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. IX, et post ferias Paschales etiam d. Mercurii et Iovis, h. VII. D. Mercurii et Saturni, h. X, *Medicinam Forensem* docebit. D. Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab h. X ad XII, d. Mercurii et Saturni ab h. XI ad XII, in Nosocomio Academico aegrotis curandis vacabit, morbosque ibi tractatos uberius exponet. — Disputationum exercitiis lubens vacabit.

F. Z. Ermerins, *disciplinam Pathologicam* tradet d. Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, h. IX. — *De apparatu pharmaceutico et diaetetico* aget d. Lunae, Martis et Mercurii h. X. — Exercitationibus clinicis in Nosocomio Academico, h. XII, quotidie vacabit.

G. Hecker, Paedagogices Lector, d. Lunae et Martis, h. I, Literarum aliarumque disciplinarum studiosis elementa tradet *Paedagogices*, sive *de discendi docendique methodo* praecepta dabit.

NUMERUS ADOLESCENTIUM

QUI IN ACADEMIA GRONINGANA

STUDIIS OPERAM NAVANT IPSO DIE 31 DECEMBRIS MDCCCXLVI.

IN FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	IN FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM.	IN FACULTATE MEDICA.	IN FACULTATE JURIDICA.	IN FACULTATE THEOLOGICA.	CUNCTUS NUMERUS.
19	59	59	75	37	249
4 qui doctoratum petunt. 15 Medic. fut.	13 qui doct. pet. 20 Jurid. fut. 26 Theol. fut.				

SERIES
DISSERTATIONUM CET. DEFENSARUM
IN ACADEMIA GRONINGANA
MDCCCXLVI—MDCCCXLVII.

1846.

d. 14 Oct. GUSTAVUS GUILIELMUS VAN DER FELTZ, Assena-Drenthinus, def. Quaest., Jur. R. et H. D.

d. 23 Nov. GUILIELMUS CORNELIUS GOEDBLOED, Harderovicensis, M. D., def. Thes., Art. Obst. D. *cum laude.*

GUILIELMUS CORNELIUS GOEDBLOED, Harderovicensis, Med. et Art. Obst. D., def. Thes., Chir. D.

d. 16 Dec. RUDOLPHUS PABUS CLEVERINGA, R. F., Appingedamensis, def. Diss. *de Gangraena pulmonum*, Med. D. *cum laude.*

JACOBUS BAART DE LA FAILLE, Groninganus, publice def. Diss. *de digitali purpurea et de digitalino in specie*, M. D. *magna cum laude.*

d. 19 Dec. NICOLAUS PEL, Dragtena-Frisius, def. Diss. *de Ulcere noma*, Med. D. *magna cum laude.*

1847.

d. 13 Febr. EGIDIUS BERNARDUS SILVERIUS LANGEMEYER, Leovardiensis, M. D., def. Thes., Art. Obst. D. *cum laude.*

d. 23 Febr. JANUS LEEMHUIS, ex pago Zellinge, publice def. Diss. *de libertate volendi, quae hominibus est, ex Jesu Apostolorumque mente*, Theol. D. *magna cum laude.*

d. 20 Martii. SYMON TONCKENS, ex pago Eelde, Drenthinus, def. Diss. *de Mania puerperali*, Med. D.

d. 21 April. DIDERICUS HERMANNUS HENRICUS TYSSEN, Leovardia-Frisius, publice def. Diss. *Pauli anthropologiam exhibente*, Th. D. *magna c. laude.*

d. 28 April. WILHELMUS AUGUSTINUS THEODORUS WARREN, Groninganus, def. Diss *de Typho*, Med. D.

d. 30 April. GUILIELMUS CAROLUS ANTONIUS ALBERDA AB EKENSTEIN, Appingedamensis, def. Quaest., Jur. R. et H. D. *magna cum laude.*

d. 5 Maji. JOHANNES JACOBUS DAMSTÉ, M. D., def. Thes., A. O. D. *cum laude.*
d. 12 Maji. RENEKE MEINARD ADRIANUS DE MAREES VAN SWINDEREN, Groninganus, def. Quaest., Jur. R. et H. D. *magna cum laude.*
JANUS GUILIELMUS JACOBUS DE MAREES VAN SWINDEREN, Groninganus, def. Quaest., Jur. R. et H. D. *cum laude.*
d. 15 Maji. GERHARDUS HENRICUS MEYER, ex pago Feerwert, def. Diss. *de Gangliis*. Med. D.
d. 19 Maji. JOHANNES OPPERHAUS, Groninganus, def. Quaest., J. R. et H. D.
LUCAS OLDENHUIS TONCKENS, ex pago Westerveld, Drenthinus, def. Quaest., Jur. R. et H. D.
d. 9 Junii. PETRUS CASPARUS RÖMER, e pago Grouw, Frisius, def. Diss. *de proprietatibus corporis et animi, quae a parentibus in sobolem propagantur*, Med. D. *cum laude.*
d. 23 Junii. MEINARDUS ADRIANUS EEKHOUT, Groninganus, def. Quaest., Jur. R. et H. D. *magna cum laude.*
JACOBUS BAART DE LA FAILLE, Groninganus, M. D., def. Thes., Art. Obst. D. *magna cum laude.*
d. 24 Junii. WARMOLDUS TONCKENS, ex pago Eelde, Drenthinus, def. Quaest., Jur. R. et H. D. *cum laude.*
SYBRANDUS HELLINGA TONCKENS, ex pago Smilde, Drenthinus, def. Quaest., Jur. R. et H. D. *cum laude.*
d. 25 Junii. CAROLUS ALEXANDER GUILIELMUS PHILIPPUS ALOYSIUS VAN BAERLE, Coevordiae natus, def. Quaest., Jur. R. et H. D. *cum laude.*
GUSTAVUS GUILIELMUS HORA SICCAMA, Groninganus, def. Quaest., Jur. R. et H. D.
DANIEL LUDOVICUS FRIDERICIUS DE PAULY, ex Amboina, def. Quaest., Jur. R. et H. D. *magna cum laude.*
d. 26 Junii. JOHANNES HERMANNUS ALBARDA, Leovardia-Frisius, def. Quaest., Jur. R. et H. D. *magna cum laude.*
BERNARDUS DOMINICUS HUBERTUS TELLEGEN, Groninganus., def. Diss. *de Jure in mare, inprimis proximum*, Jur. R. et H. D. *magna cum laude.*
DANIEL JANUS STEYN PARVÉ, publice def. Diss. *de curvis funicularis*, Math. Mag. et Phil. Nat. D. *magna cum laude.*
d. 28 Junii. ONNO PETRUS DE HOOP, ex pago Nieuwland, Fris., def. Th., J. R. D.

d. 28 Junii. CORNELIUS VAN DER LEY, J. F., ex pago Lieve-Vrouwen Parochie, def. Diss. *de Ileïtide*, M. D. *cum laude.*

PETRUS VAN BLOM, Dragtena-Frisius, def. Diss. *exh. casum Typhi exanthematici cum adnotationibus nonnullis*, Med. D. *cum laude.*

d. 1 Julii. TACO MESDAG, Groninganus, def. Diss. *de Duodenitide*, Med. D.

d. 2 Julii. JACOBUS FRIDERICIUS COHEN, Groninganus, def. Diss. *de Myelitide*, Med. D. *cum laude.*

JOHANNES HERMANNUS DAMMAN DE WITT, Bloxyla-Transisalanus, def. Diss. *contin. experimenta nonnulla circa effectum venenatum tartari stibiati*, Med. D. *magna cum laude.*

d. 25 Sept. NICOLAUS PEL, M. D., def. Thes., Art. Obst. D. *magna cum laude.*

d. 1 Oct. FELIX ROBERTUS PENNINCK, ex pago Twello, Gelrus, def. Quaest., Jur. R. et H. D. *cum laude.*

d. 11 Oct. NOMDO LUCAS REINDERS, ex castello Delfzyl, Groninganus, def. Quaest., Jur. R. et H. D. *cum laude.*

DOCTOR HONORIS CAUSA CREATUS.

d. 25 Sept. FRANCISCUS ZACHARIAS ERMERINS, Med. D. et in Facult. Med. Prof. Ord., Phil. Theor. Mag. et Litt. Hum. Doctor.

ORATIONES

HABITAE

IN ACADEMIA GRONINGANA

ANNO MDCCCXLVII—MDCCCXLVIII.

Die 11 m. Novembris 1847 munus Professoris Ordinarii in Facult. Phil. Theor. et Litt. Hum. auspicatus est, JOANNES ADOLPHUS CAROLUS VAN HEUSDE, solenni habita oratione *de studiorum propaedeuticorum usu nondum obsoleto.* (Ed. Groningae, apud A. Oomkens J. Fil. 1847.)

Die 10 m. Octobris 1848 Vir Cl. GUILIELMUS MUURLING magistratum Academicum deposuit, habita oratione *de antiquissimae Ecclesiae in Nederlandia Reformatae principiis vere Christianis, postea quidem oppressis, nostris autem temporibus vim suam denuo recuperantibus.* (Haec oratio, Nederlandice versa et variis locis aucta prodiit in opere period. Waarheid in liefde 1849, et separatim edita est titulo: *Over de echt Christelijke beginselen der oorspronkelijke Nederlandsche Hervormde Kerk.* Gron. Oomkens, 1849.)

ORDO LECTIONUM
IN ACADEMIA GRONINGANA
ANNO CIƆIƆCCCXLVIII—CIƆIƆCCCXLIX.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. Hofstede de Groot, d. Lunae et Martis, h. IX, et Mercurii h. VIII, *Historiam Ecclesiae Christianae*, inde ab initio usque ad nostra tempora, secundum *Institutiones* suas, typis divulgatas, sic enarrabit, ut hoc anno inprimis *historiam vitae Christianae* sit traditurus; d. Lunae et Martis, h. X, *Encyclopaediam Theologi Christiani* exponet, secundum *Compendium* a L. G. Pareau et se editum; d. Mercurii et Veneris, h. X, *Theologiam Naturalem*, secundum *Compendium* a se editum, tradet; d. Mercurii h. IX *Loca Patrum Selecta* cum Commilitonibus leget; tempore postea indicando *Historiam generis humani Divinitus instituti* inde a Iesu Christi missione in terras enarrabit; diebus et horis, quae Commilitonibus erunt opportunae, *Historiam Euangelii nostris diebus propagati*, duce Walmanno, enarrabit.

L. G. Pareau, d. Mercurii, Iovis et Veneris, h. XI, *Dogmaticam et Apologeticam religionis Christianae*, secundum *Compendium* a P. Hofstede de Groot et se editum, tradet; d. Martis, Mercurii et Iovis, h. XII, secundum *Compendium* suum typis expressum, *Theologiam Christianam moralem* exponet; d. Lunae atque Veneris, h. XII, et d. Lunae, h. I, loca nonnulla *Hermeneutices sacrae*, secundum *Compendium* suum typis editum, tractabit et quaedam *Carmina Hebraica* cum Commilitonibus interpretabitur.

G. Muurling, d. Iovis, h. X, tractabit *Criticam Novi Testamenti;* d. Martis et Veneris, h. VIII, et d. Iovis, h. IX, cum Commilitonibus leget Pauli epistolam ad *Galatas;* d. Lunae et Martis, h. XI, et d. Veneris, h. IX, *Theologiam Practicam* tradet, praecipue *Catecheticam*, *Homileticam* et *Liturgicam;* d. Iovis, h. III, *exercitia Homiletica*, et d. Saturni, h. XI, *exercitia* provectiorum *Catechetica*, cum pueris instituenda, moderabitur; die et horâ, auditoribus commodâ, enarrabit *historiam perpessionum et mortis* Iesu, secundum quatuor Euangelistas.

Disputationibus cum publicis tum privatis de *Locis Theologicis*, d. Mercurii, h. III, suis vicibus praeërunt Theologiae Professores.

Ut religionis Christianae accuratius et penitius cognoscendae copia fiat omnibus, qui huius rei desiderio tenentur, Academiae alumnis, a Theologiae Professore pars Novi Foederis legetur cum variarum Facultatum Studiosis, diebus et horis, quae Commilitonibus erunt aptissimae.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

B. H. Lulofs, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. XII, secundum manuductionem suam et suum de *Kakographia*, ut dicitur, libellum, *Fundamenta stili bene Belgici* exponet, *quaeque ad scientiam linguae Belgicae, nec non ad historiam literarum Belgicarum pertinent;* additis *recte Belgice scribendi exercitationibus.* Simul peculiarius explicaturus est aut Hooftium et Vondelium, aut scriptores et Grammaticam seculi XIII et XIV ad librum, quem de his edidit. — Iisdem diebus, h. V, suum de Rhetorica compendium secuturus, *Eloquentiae* praecepta tradet, exemplis ex optimis poëtis atque oratoribus illustrata, et adiunctis exercitiis, quae *Actioni*, i. e. vocis et gestuum moderationi, inserviant. In usum studiosorum aliorumque, de Actione propediem librum editurus est.

G. I. Meyer, d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XII, *Historiam patriae* exponet.

F. C. de Greuve, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. X, *Metaphysicam* tradet; iisdem diebus, h. XI, *Logicam* docebit; h. I, *Historiam Philosophiae* exponet. *Ethicam*, aliamve *Philosophiae* partem, hora auditoribus commoda explicabit.

I. A. C. Rovers, tradet *Historiam Gentium Antiquarum*, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. IX; *Antiquitates Romanas*, iisdem diebus, h. X; *Antiquitates Atticas*, d. Iovis et Veneris, h. IX et d. Saturni, h. VIII. *Disputandi exercitationibus* praeërit alternis hebdomadibus, d. Saturni, h. IX.

I. I. P. Valeton, *elementa grammatices Hebraeae*, additis exercitiis analyticis, tradet d. Lunae, Martis et Mercurii, h. VIII. *Grammaticam dialectorum Semiticarum comparatam*, additis exercitiis analyticis cum Ara-

bicis tum Aramaeis, exponet d. Iovis, Veneris et Saturni, h. VIII. E libris V. T. *historicis* interpretabitur *priorem Samuelis librum* d. Iovis et Veneris, h. XII. *E poëticis* interpretabitur *Psalmos* quosdam selectos iisdem diebus, h. I. *Antiquitatem Hebraeam* explicabit d. Lunae, Martis et Mercurii, h. I. Cum provectioribus Kosegartenii *Chrestomathiam* privatim leget d. Veneris, h. IV, et *Chrestomathiam Kirschianam a* Bernsteinio *editam* eodem die, h. V.

I. A. C. van Heusde, d. Iovis, Veneris et Saturni h. X *Ciceronis de orat.* L. I et selectas *Iuvenalis Satiras;* iisdem diebus h. I *Platonis Gorgiam;* privatim iisdem diebus h. XI *historiam literariam Graecorum* exponet. *Disputandi exercitationibus* praeërit alternis hebdomadibus, d. Saturni h. IX.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. Nienhuis, d. Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, h. XI, *Ius Civile* interpretabitur, iisdemque diebus, excepto d. Saturni, h. XII, selecta *Iuris Mercatorii* capita tractabit; d. Mercurii h. X, et Saturni h. X et XII, *Doctrinam Processûs Civilis, secundum ius patrium hodiernum, additis exercitationibus forensibus*, exponet.

I. H. Philipse, d. Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, h. IX, *Institutiones* Iustiniani explicabit; d. Lunae. h. XI, d. Martis, Iovis et Veneris, h. X, mense vero Aprili, Maio, Iunio et Septembri, iisdem diebus, horâ matutinâ VII, selectos *Pandectarum* locos tractabit; d. Lunae, h. VIII et IX, d. Martis, h. VIII, *Historiam Iuris Romani* enarrabit; d. Mercurii, Iovis et Veneris, h. VIII, *Encyclopaediam ac Methodologiam Iuris* tradet.

C. Star Numan, d. Lunae, Martis, Mercurii, h. VIII, *de delictis ac poenis* disputabit; iisdem diebus, h. IX, *legem de imperio*, quae tunc erit, interpretabitur; d. Mercurii, Iovis, Veneris, h. X, mense vero Aprili, Maio, Iunio et Septembri, iisdem diebus, horâ matutinâ VII, *de natura iuris* aget; d. Lunae, h. X, Iovis, Veneris, h. VIII, praecipuos locos *Iuris Criminalis patrii* exponet; d. Lunae, h. XII, Iovis et Veneris, h. IX, *Oeconomiae politicae* initia explicabit.

Idem cum provectioribus privatim leget, horis vespertinis, autumnali et hiemali tempore, unum alterumque librum *Politicorum Aristotelicorum* et selecta capita ex Dahlmanni opere: *Die Politik, auf den Grund und das*

Mass der gegebenen Zustände zurück geführt. Vol. I. cuius tertia editio prodiit Lipsiae, 1847.

Disputationibus, cum publicis, tum privatis, de iuris quaestionibus lubenter praeërunt Iuris Professores.

IN FACULTATE MEDICA.

A. A. Sebastian, *Physiologiam* docebit d. Lunae, Martis, Mercurii, h. VIII atque alternis d. Saturni h. IX; *Chirurgiam* exponet ter per dierum hebdomadem, scilicet d. Iovis, Veneris, h. IX et d. Saturni h. VIII; *Clinicis Exercitationibus* in Nosocomio Academico vacabit quotidie h. I; *doctrinam de morbis oculorum* tradet d. Veneris h. VIII; *Anatomen corporis humani* exponet d. Martis, Iovis et Veneris, h. V, et d. Mercurii, h. III; *dissectionibus cadaverum Anatomicis* tempore hiemali instituendis quotidie praeërit.

I. Baart de la Faille, d. Mercurii et Iovis, h. VIII, et Saturni, h. IX, — sed post ferias Paschales, d. Mercurii et Iovis h. VIII, Veneris et Saturni h. VII, — *Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam* exponet; et in Nosocomio Academico, ad parturientium lectos, qualibet oblata occasione, practice instituet. D. Lunae et Martis, h. VIII, *Morbos Infantum* docebit. *Medicinam Practicam* tradet, d. Lunae, Martis et Mercurii, h. IX, et post ferias Paschales etiam d. Mercurii et Iovis, h. VII. D. Mercurii et Saturni, h. X, *Medicinam Forensem* docebit. D. Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab h. X ad XII, d. Mercurii et Saturni ab h. XI ad XII, in Nosocomio Academico aegrotis curandis vacabit, morbosque ibi tractatos uberius exponet. — Disputationum exercitiis lubens vacabit.

F. Z. Ermerins, *disciplinam Pathologicam* tradet d. Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, h. IX. — *De apparatu pharmaceutico et diaetetico* aget d. Lunae, Martis et Mercurii h. X. — Exercitationibus clinicis in Nosocomio Academico, h. XII, quotidie vacabit.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Th. van Swinderen, d. Lunae et Martis, h. X et d. Martis h. VIII, *Historiam Naturalem Animalium* et *Fossilium*, *inprimis patriae*, et *Animalium*, cum *Anatome comparata* coniunctam, docebit; d. Lunae et Martis,

h. III, vel verno tempore VII matutina, aut alia magis commoda, hoc anno, *Historiam Naturalem Animalium frigidi sanguinis* fusius explicabit.

H. C. VAN HALL, d. Martis h. XII et d. Veneris h. VIII et IX, aestivo tempore etiam d. Saturni h. VIII, *elementa Botanices* illustrabit. *Botanices sublimioris* selecta quaedam capita tradet d. Veneris h. XI. Die Mercurii h. IX et X aget de plantis *medicinalibus* aliisque vario respectu *utilibus*, sive de *Botanica applicata*, ordine Familiarum naturalium. Die Saturni autem, h. X et XI, *Oeconomiam ruralem* docebit.

I. G. ERMERINS, d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XI, *Arithmetices*, *Algebrae*, *Geometriae* et *Trigonometriae planae* elementa explicabit; *Physicam experimentalem* docebit d. Iovis, Veneris et Saturni, h. XII. *Physicam theoreticam* universe, aut selecta eius capita, provectioribus discipulis exponet. *De Matheseos elementis disquisitio* habebitur d. Iov., Ven. et Sat., h. p. III.

N. MULDER, d. Lunae et Martis, h. IX, d. vero Mercurii, h. XII, lectiones habebit de *Chemia generali et corporum organicorum*. D. Lunae, h. XII, et Iovis, h. X, *Chemiam pharmaceuticam* tradet. D. Lunae et Martis, h. VI, p. m., *Chemiae technologicae capita* in usum publicum illustrabit. *Exercitiis* denique *Chemicis practicis* varii generis, horis commodis, quotidie praeërit.

G. A. ENSCHEDÉ, d. Iovis et Saturni, h. IX, *Stereometriam* et *Trigonometriam sphaericam* docebit. D. Lunae, h. V, et d. Mercurii, h. I, *Astronomiam popularem* tradet. *Geometriam analyticam*, *Calculum differentialem* et *integralem*, *Mechanicam analyticam* et *Astronomiam theoreticam* exponet, horis commilitonibus commodis.

G. HECKER, Paedagogices Lector, d. Lunae et Martis, h. I, Literarum aliarumque disciplinarum studiosis elementa tradet *Paedagogices*, sive *de discendi docendique methodo* praecepta dabit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA GRONINGANA

D. 31 DECEMBRIS 1847

FUIT 237.

In Facultate	Theologicâ	26.
〃 〃	Philosophiae Theor. et Lit. Hum.	
	Qui in hac Facultate Doctoratum petunt	16.
	Qui transituri sunt ad Scholas Theologorum	27.
	〃 〃 〃 〃 Ordinem Jureconsultorum	26.
〃 〃	Juridicâ	75.
〃 〃	Medicâ	52.
〃 〃	Disciplinarum Mathem. et Physic.	
	Qui in hisce disciplinis summos honores petunt	5.
	Qui ad Medicinae studia se praeparant	10.
		237.

SERIES
DISSERTATIONUM CET. DEFENSARUM
IN ACADEMIA GRONINGANA
MDCCCXLVII—MDCCCXLVIII.

1847.

d. 23 Oct. Petrus Smit de Klemp, Groninganus, M. D., def. Thesibus, Art. Obst. D. *magna cum laude.*

d. 25 Oct. Jacobus Roos, Groninganus, publice def. Diss. cont. *Annotationem ad Lucretii Poëmatum Libros tres priores*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D. *cum laude.*

d. 2 Nov. Janus Franciscus Lewe van Nyenstein, Groninganus, def. Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 13 Nov. Isaacus Aron Salomons, Appingedamensis, def. Diss. exhib. *historias morbi nonnullas memorabiles in Clinice internâ Academiae Groninganae, an.* 1846—47, *observatas*, Med. D.

d. 8 Dec. Rudolphus Albertus Cleveringa, Apping., def. Thes., J. U. D.

d. 18 Dec. Hermannus Edelinck, Groning., def. Thes., J. U. D. *cum laude.*

Sjucko Johannes Oosting, Assena-Drenth., def. Thes., J. U. D. *cum laude.*

Lucas Johannes Wichers, A. fil., Groninganus, def. Diss. exhib. *casum fungi medullaris cum epicrisi*, Med. D. *cum laude.*

Petrus Casparus Römer, e pago Grouw-Frisius, M. D., def. Thesibus, Art. Obst. D. *cum laude.*

d. 22 Dec. Leppertus Thelenus Adolphus Hayunga, ex insulâ Curaçao, def. Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

Jisraël Cohen, Assena-Drenth., def. Thes., J. U. D. *cum laude.*

1848.

d. 12 Jan. Johannes Gerardus Josephus Theodorus Ridder, Groning., def. Diss. *de causis partum efficientibus*, Med. D.

d. 7 Febr. T. Mesdag, Groning, M. D., def. Thes., Art. Obst. D.

d. 19 Febr. Gerhardus Cornelius Paulus Poelman, Appingedamensis, def. Thesibus, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 26 Febr. JOHANNES HERMANNUS DAMMAN DE WITT, Bloxyla-Transisal., M. D., def. Thesibus, Art. Obst. D. *magna cum laude.*

d. 18 Mart. TONCO MODDERMAN, H. FIL., ex pago Veendam-Oldambtin., def. Thesibus, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 8 April. CORNELIUS VAN DER LEY, J. FIL., ex pago Lieve-Vrouwen Parochie, Frisius, Med. D., def. Thes., Art. Obst. D. *magna cum laude.*

d. 15 April. REMBT TOBIAS HUGO PETRUS LIEBRECHT ALEXANDER VAN BONEVAL FAURE, Groning., publice def. Diss. contin. *Observationum ad tit. VII libri IV Codicis Civilis capita IV*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 13 Maji. THOMAS ADRIANUS WAGTHO, Thola-Zeelandus, def. Thes., J. U. D. *cum laude.*

d. 17 Maji. HENRICUS AALBERS, M. D., def. Thesibus, Art. Obst. D.

d. 3 Junii. JOHANNES ADAMUS WYNNE, ex pago Hoogeveen-Drenthin., publice def. Diss. contin. *Quaestiones critices de belli Punici secundi parte priori*, Philos. Theor. Mag. et Lit. Hum. D. *magna cum laude.*
JACOBUS FREDERICUS COHEN, Groninganus, M. D., def. Thesibus, Art. Obst. D. *cum laude.*

d. 14 Junii. PETRUS ALTING MEES, Appinged., def. Diss. exhib. *quaedam de usu Galvanismi in praxi medicâ et praesertim de curandi methodo electrolyticâ*, Med. D.

d. 17 Junii. RUDOLPHUS PABUS CLEVERINGA, R. FIL., Appingedamensis, def. Thesibus, Art. Obst. D. *magna cum laude.*

d. 18 Junii. JOANNES JACOBUS HERMANNUS RIDDER, Groning., def. Diss. exhib. *casum atrophiae cerebelli cum epicrisi*, Med. D.
PETRUS LAMBERTUS DE BOER, e pago Goinga-Frisius, publice def. Diss. cont. *Topographiam et Statisticen Medicam Provinciae Drenthinae*, Med. D. *cum laude.*

d. 29 Junii. SEBALDUS GOTHOFREDUS MANGER CATS, Leovardien., def. Thesibus, J. U. D.
GERARDUS BAART DE LA FAILLE, Groning., def. Thesibus, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 30 Junii. JANUS WYCHGEL, Groninganus, def. Thesibus, J. U. D.

d. 1 Julii. HENRICUS STEPHANUS DUSSELDORP, ex pago Onderdendam, def. Diss. *de situ parturientium, in specie de situ laterali*, Med. D.

d. 1 Julii. FRANCISCUS HESSEL, Heerenveeno-Frisius, def. Diss. *de punctione cranii in macrocephalo hydropico*, Med. D. *cum laude*.

JOHANNES VEENHOVEN, ex pago Hoogezand-Groning., def. Diss. *de suppressione et suppositione infantis*, Med. D. *cum laude*.

GYSBERTUS REINDERS, Paterwolda-Drenthinus, def. Thesibus, J. U. D. *magna cum laude*.

GUILIELMUS VAN NAUTA LEMKE, ex pago Warga-Frisius, def. Thes., J. U. D. *magna cum laude*.

PETRUS VAN BLOM, Med. D., def. Thesibus, Art. Obst. D.

d. 25 Sept. BERNHARDUS WALRAAD VAN WELDEREN RENGERS, Leovardia-Frisius, def. Thesibus, J. U. D. *cum laude*.

d. 30 Sept. LUCAS JOHANNES WICHERS, A. FIL., Groning., Med. D., def. Thesibus, Art. Obst. D. *magna cum laude*.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM

QUI

ANNO MDCCCXLVIII—MDCCCXLIX

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

BARTHOLDUS HENRICUS LULOFS.
GERARDUS JOANNES MEYER.
FREDERICUS CHRISTIANUS DE GREUVE.
JACOBUS ADOLPHUS CAROLUS ROVERS.
JOSUA JOANNES PHILIPPUS VALETON.
JOANNES ADOLPHUS CAROLUS VAN HEUSDE.

IN FACULTATE JURIDICA.

HENRICUS NIENHUIS.
JACOBUS HERMANNUS PHILIPSE.
CORNELIUS STAR NUMAN.

IN FACULTATE MEDICA.

AUGUSTUS ARNOLDUS SEBASTIAN.
JACOBUS BAART DE LA FAILLE.
FRANCISCUS ZACHARIAS ERMERINS.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

THEODORUS VAN SWINDEREN.
HERMANNUS CHRISTIANUS VAN HALL.
JANUS GUILIELMUS ERMERINS.
NICOLAUS MULDER.
GUILIELMUS ADRIANUS ENSCHEDÉ.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

PETRUS HOFSTEDE DE GROOT.
LUDOVICUS GERLACHUS PAREAU.
GUILIELMUS MUURLING.

FREDERICI CHRISTIANI DE GREUVE

ORATIO

DE

SPATII AC TEMPORIS NOTIONIBUS QUAM ACCURATISSIME DEFINIENDIS AD RITE AESTIMANDAM INFINITI SUMMAM SIGNIFICATIONEM,

HABITA

DIE XI OCTOBRIS MDCCCXLIX,

QUUM ACADEMIAE GRONINGANAE REGUNDAE MUNUS DEPONERET.

74

VIRI AMPLISSIMI, — CLARISSIMI, — DOCTISSIMI!
JUVENES ACADEMIAE CIVES ORNATISSIMI!
AUDITORES HUMANISSIMI EXOPTATISSIMI!

Interdum in Historia comparari solent universi generis humani progressus cum singularis hominis vitae tempestatibus: ut aliae gentes florem habuisse atque vigorem censeantur puerilem, aliae juvenilem, aliae denique virilem. Quae comparatio inprimis tum studia spectat, illis aetatibus propria, tum maxime internam humanitatis progressionem [1]).

Quod si verum est de omnibus animi dotibus, id sane quoque valet de cognoscendi facultate, quae sensu, intellectu, ratione gradatim perficitur [2]). Quod non ita intelligendum, ac si haec cognoscendi auxilia alterum homini post alterum inferantur; insunt profecto in animo suapte natura latentque initio prorsus abscondita: sed, ut vim suam exerceant, excitari debent, et vero excitantur, increscente corpore, per varios gradus pro diversitate

---

[1]) Quum enim duplex hominis sit naturae ratio: altera magis corporea sive externa, altera magis spiritualis sive interna, ita tamen, ut arctissimum necessitudinis vinculum corpus inter et animum intercedat, interna quoque humanae vitae progressio haud inmerito cum externa comparatur. Scilicet ab infimo vitae gradu singuli homines progrediuntur ad majorem continuo cum corporis, tum etiam animi maturitatem; et per varias illas aetates, una cum corporeis quae exseruntur viribus, animi quoque vigor increscit, ingeniumque ita excolitur, ut in ejus facultatibus majores in dies majoresque progressus cernantur.

[2]) Homo indolem ingeniumque suae convenienter naturae pedetentim explicat: primum externo prorsus sensu, tum etiam interno percipit; deinde comparat, judicando discernit, intelligit; denique suae sibi clare conscius rationis, cujus assiduam in observandis et dijudicandis rebus efficaciam expertus fuerat, hoc divino munere ad investigandum, quid verum, bonum pulcrumque sit, jam studiosius fungitur, ideali modo in rerum causas et nexus naviter inquirens.

rerum cognoscendarum, quibus afficiantur. Itaque primum explicatur *sensus*, deinde *intellectus*, denique *ratio;* ita tamen, ut, quo tempore in rebus cognoscendis adspectabilibus pueri solo sensu regi videantur, in eorum sensis ac verbis tam intelligentiae quam rationis vestigia deprehendantur. Quo magis autem sensus est exercitus, eo magis intellectus perfici potest; et quo magis is excultus est, eo magis suam ratio exserit efficaciam.

Sic igitur homo, licet in alio citius quam in alio cognoscendi facultas perficiatur, in cognoscendo pulcro, vero et bono paulatim progreditur ab inferiori ad superiorem cognoscendi gradum, atque ita fortasse summum tandem humanae scientiae fastigium adtingere poterit, quo tamen ultra progredi nefas.

At vero fatiscentibus corporis viribus mentis etiam acies hebescit, ac tandem descrepitus retro gradi videtur senex ad statum infantiae. Quod ubi fit, nescio quo jure, inquiet aliquis, tanti venditemus illam humanitatis progressionem. Summo, inquam, jure, si immortalem esse animum confidimus [1]). Non enim, sicuti verni temporis gemmulae floribus, hi porro fructibus excipiuntur, prima cognoscendi momenta maturiori aetate abrogantur, sed nova iis sensim majoraque adjunguntur, manetque animus in possessione bonorum, quae sensu primum, dein intellectu, denique rationis efficacia sibi acquisiverit. Fieri autem solet, ut res, quae solo sensu percipi possunt, puerili animo quasi inpressae, aut rerum imagines adolescenti aetate potius phantasia quam intellectu formatae, quo magis antea mentem commovissent, eo diutius pro summa hominis cognitione, immo saepius per totam vitam pro solo veri insigni habeantur; aut e contrario, ut, qui in sublimi scientiae fastigio altiores sibi informaverit notiones, nullius

---

[1]) Ne igitur nimis urgeatur vitae corporeae cum interna mentis vita comparatio, quippe quae ex parte valde claudicat: nam, licet animus dilabentibus corporis viribus, quum in ejus inclusus sit compagibus, vim suam terrenis obstaculis impeditam haud amplius exserere possit, inde tamen minime sequitur ipsum etiam vetustate dilabi; quin immo, quamquam novimus puerilis aetatis venustati fervorem adolescentiae, juvenili porro vigori virilis aetatis firmitatem succedere ac tandem senectutem corporis vires debilitare, magnopere confidimus animum in hisce mutationibus salvum et incolumem perdurare atque in altera vita, cujus spe in praesenti ducimur, scientiae emolumentis, quorum per varias aetates explicanda et perficienda cognoscendi facultate sibi copiam comparaverit, usque fruiturum, iisque continuo usurum ad suam assidue perficiendam naturam.

fere momenti esse putet alias cognoscendi formas. Quod tantum abest a vero, ut potius ex iis, quae ante homo sentiendi acumine atque indagandi diligentia sibi comparaverit, jam severioribus studiis indulgens magnam percipere possit utilitatem. Non mirum itaque saepe contingere, ut quis ad extremam usque senectutem varia cognoscendi stadia, ante percursa, iterum iterumque vegeto pervagetur animo, persuasissimum habens, licet vires corporis dissolvantur, suam tamen mentem haud consenescere, sed in meliori vitae superioris statu per novas vias ad majorem continuo perfectionis gradum adscensuram.

Postquam igitur animus altius in cognoscendo progressus est, nequaquam suo privantur pretio sensuales quae dicuntur rerum perceptiones. Nam etsi provectiori aetate majorem intellectus, maximam ratio sibi vindicat auctoritatem, pro portione tamen sensu acquisitae rerum adspectabilium cognitiones magni quoque aestimandae sunt. Hinc sensui debita honoris sedes adsignetur haud procul ab iis, quas intellectus et ratio occupant. Eadem enim mens est, quae variis modis ac gradibus cognoscendi periculum faciat. In *primo* gradu sensus fere solus dominatur; in *secundo* ei praevalet intellectus; in *tertio* denique rationis auctoritati et sensus subjicitur et intellectus. Perficitur autem illa gradatio mediis cognoscendi adminiculis: imaginandi facultate, memoria, reminiscentia, observandi studio, moribus, disciplinis, aliisque subsidiis, quae quo magis in aliquem cognoscendi cupidum vim exerceant, eo difficilius erit indicatu, quemnam perfectionis gradum in cognoscendo adtigerit.

Quibus etiam conditionibus quodammodo imputandum est, (quod obiter modo dicebam), in dijudicandis cognoscendi generibus alios, qui sibi in superiori gradu jam versari videantur, alias cognoscendi vias non solum, et merito quidem, pro inferioribus habere, sed immerito etiam ut obsoletas vilipendere; aut alios e contrario, quum quae juvenili tempore quasi inculcatae ipsis fuerant rerum imagines praeoccupato animo repositae maneant, provectiori aetate, ne dicam vituperare, certe non agnoscere superiora cognoscendi momenta; aut denique alios in adhibendis mentis viribus ad veritatem investigandam haud raro varias cognoscendi formas confundere, adeo ut unam eandemque rem, quae non nisi uno modo: aut sensu, aut intellectu, aut ratione, percipi possit, variis modis aeque cognoscere velint,

et inde vocabulis, quae in alio cognoscendi genere aliam habent significationem, ad res quasque explicandas, quarum dissimilis et diversa inter se ratio est, in omni cognoscendi genere eodem sensu promiscue utantur. Quo vitio ii inprimis laborant, qui in inferiori loco positi atque e longinquo superiorem suspicientes, se tamen opinantur ad summum jam pervenisse scientiae fastigium [1]).

Haec et id genus alia saepe mecum reputavi, cum fieri observassem, ut eodem ferme sensu ad res prorsus dissimiles explicandas multa adhiberentur verba, quae pro rerum diversitate diversam quoque haberent significationem. Utimur profecto tamquam terminis in omni disciplinarum genere iisdem et multis quidem vocabulis, quorum tamen ad res varias significandas varia debet esse significatio. Et, ne dicam de ceteris [2]), quam varia et saepe ambigua est tum *naturae*, tum *animi* significatio. Habent quoque sua fata voces, et a prima significatione per analogiam transferri solent ad res alias significandas; sed, nisi definiantur accuratius, tantum abest ut cognoscendo inserviant, ut veri scientiam potius subvertant mentemque confundant. In gravissimis autem solvendis Philosophiae quaestionibus omnino vitanda est verborum ambiguitas; quae cum in alio cognoscendi genere aliter accipiantur, in causa sunt saepissime, ut inter se philosophi acerrime disputent, atque alios alii in errore versari contendant. In nulla re magis cernitur ejusmodi confusio, quam in definitionibus *naturae* (sive *essentiae*) *divinae*, quas variis modis periclitantur philosophi, quum notione comprehendere studeant animo obversantem Dei ideam. (Quibus in disquisitionibus ipsa adeo *ideae* significatio valde fluctuat.) Huc autem inprimis spectat *infiniti* definitio: quod ipsum vocabulum dubiam saepe habet vagamque significationem; atque in ejus definienda notione

---

[1]) Huc spectant universe Ciceronis verba, paululum mutate: „Multi primum ante tenentur opinionum commentis adstricti, quam, quo sensu quid veri iis insit, judicare potuerunt: deinde infirmissimo tempore aetatis, aut obsecuti amico cuidam, aut una alicujus, quem primum audierunt, oratione capti, aut sola philosophi, in cujus scripta inciderunt, commoti auctoritate, de rebus incognitis judicant, et, ad quamcunque disciplinam quasi tempestate delati, ad eam, tanquam ad saxum adhaerescunt." *Acad. Quaest. Lucul.* C. III.

[2]) V. gr. in rebus Physicis *materia* alio sensu accipitur, alio in Logica formali; *fides* aliter in Religione Christiana sumitur, et in Historia; *sensus* seu potius *sensualitas* aliter in Ethica, quam in empirica Psychologiae doctrina de sentiendi facultate. Cet.

inter se philosophi maxime discrepant ob diversam viam, qua quisque in cognoscendo progreditur. Quum vero, qualescunque sint cognoscendi viae, ut *infinitum* recte intelligatur opus sit *spatii* ac *temporis* notionibus, non nisi hisce rite perpendendis et diverse etiam secundum diversos cognoscendi modos definiendis variae demum quae circumferuntur *infiniti* significationes suo pretio aestimari poterunt, et, quae summa sit ejus significatio, accurate intelligi.

Quam disquisitionem nec a munere meo putavi alienam, nec auditoribus ingratam. Dicam igitur *de Spatii ac temporis notionibus quam accuratissime definiendis ad rite aestimandam infiniti summam significationem.*

Vereor tamen ut satis commode ea dici possint Latine. Dabitis autem, AA. HH., ut in rebus inusitatis utar verbis interdum inauditis [1]), et linguis animisque dicenti favebitis.

Quandoquidem variis modis animus sibi varias rerum comparat repraesentationes, sponte intelligitis, AA., pro diversitate viarum, quibus in cognoscendo progrediamur, repraesentationem *Spatii* et *temporis*, tum etiam *infiniti*, diversam fore, eorumque proinde significationem in alio scientiae genere aliam.

Age, ordiamur disquisitionem ab infimo cognoscendi gradu, in quo positi spatium et tempus extra nos esse opinamur. Etenim sensu externo percipientes, ita res discernimus, ut extra nos singulae separatim existere et aut longiori, aut breviori distantia a se invicem remotae videantur. Jam vero, si distantiam cognoscendi causa res quasdam oculis subjectas comparamus, haud solliciti de rebus aliis interjectis, sive hae quoque percipiantur, sive perceptionem fugiant, vere etiam earum dissidium sensu percipimus, et hujusmodi intervallum vocare solemus *medium spatium (tusschenruimte);* quo nomine sponte affirmamus, ipsas res hujus distantiae terminos constituere et suo quamque termino aliquod implere spatium. Deinde multas res conjunctas, uno eodemque obtutu perceptas, ab aliis separatas *simul* complectimur, iisque jam compactis etiam impleri spatium

---

[1]) Confr. Cic. *Acad. Quaest.* C. IV. VI.

dicimus. Nos ipsos praeterea eodem etiam rerum ambitu conclusos, aut contra exclusos, item sensu percipimus; atque ita, sive partem illius ambitus, sive externum locum occupemus, conscientia judice fatemur, nos item implere spatium, id est, circumdatos esse aliis rebus juxta positis. Sic igitur nostra spatii repraesentatio omnino sensualis est, quum plane pendeat a rebus externo sensu perceptis, minime vero ab interno mentis arbitrio, universam illam sentiendi formam, (quae Kantio *subjectiva* dicitur), iis obtrudentis.

Alia quidem videtur temporis conditio, eo quod nos ipsi, dum externa intuemur et percipimus, interna quoque mutationis vel successionis momenta animo percurrimus. Vel ita tamen temporis repraesentatio adhibendis rerum externarum perceptionibus efficitur [1]). Ejusmodi rerum sensu perceptam successionem, sive longa sit, sive brevis, tempus nuncupamus.

Ast forsan objiciet quispiam: „ejusmodi falsam esse temporis atque spatii repraesentationem; quodvis enim momentorum, quorum copia, eo quod sibi succedant, tempus dicatur, in nova rursus momenta divisum, etiam tempus dici posse; itemque, si quis sensu perceptus rerum ambitus spatium appelletur, quum ipse rursus in minores ambitus dividi queat, hos quoque singulos spatia posse vocari; aut contra, quum multae hujusmodi distantiae, quibus singulis nomen spatii tribuatur, multaeque successiones, quae singulae tempus nuncupentur, illas quidem uno ambitu inclusas non nisi unum idemque spatium, has autem una successionis serie comprehensas non nisi unum idemque tempus constituere, adeo ut perverse omnino agant, qui aliquod successionis continuae momentum pro ipso tempore, atque ea, quae juxta se existere videantur, pro ipso spatio habeant." — Responsum in promptu est. Eo ipso quod aliquam rerum copiam cujusdam distantiae terminis inclusam *spatium*, definitamque successionis seriem *tempus* appellamus, utrumque actu esse declaramus [2]).

---

[1]) Neque enim solummodo diei noctisque decursum, tempestatumque variationem, sed rerum quoque, quae oriantur, crescant, marcescant, corrumpantur, intereant, permutationes observamus; quin etiam ipsas corporis nostri mutatas percipimus conditiones.

[2]) Quidquid actu esse percipitur, conditionem involvit, ut ita esse possit. *Potentia* igitur existendi, (δύναμις, quam vulgo philosophi *possibilitatem* appellant), ante quidem adsit oportet, quam (actu) aliquid existat; sed cognosci nequit, nisi actu manifestetur.

Minime vero contendimus nullam aliam esse temporis et spatii repraesentationem [1]); sed innuimus tantum, hanc temporis ac spatii repraesentationem, quae solo sensu percipitur, etiam veram esse, i. e. veram *sensualem* repraesentationem [2]). Quum tamen hac ratione de definito tantum spatio et tempore sermo sit, ab iis ita sumtis omnem omnino *infiniti* repraesentationem, ne dicam notionem, remotam esse, non est quod moneam.

Haec itaque solo sensu acquisita spatii et temporis notitia mere simplex est eorundem perceptio, cujus imago, jam memoriae et phantasiae auxilio mente reposita, aeque simplicem parit repraesentationem, quippe qua simplex ipsa perceptio repraesentatur. Tum vero saepius idem in variis rebus percipiendo varias quidem consequimur perceptiones, sed simul etiam experimur, earum imaginem semper esse eandem; quare haud novis utimur imaginibus ad eas nobis repraesentandas, sed cunctas ejusdem generis perceptiones una eademque repraesentatione comprehendimus; atque ita tandem duce experientia nobis informamus rerum eodem modo perceptarum unam, i. e. universalem sive iis universe consentaneam repraesentationem seu peculiarem quarumdam rerum notionem. Unde liquet in hoc cognoscendi genere non tantum sensu, sed intellectu etiam opus esse. In informandis notionibus ratio quidem suam quoque vim manifestat; at merito tamen informandi facultas intellectui adscribitur, quo quippe perceptas rerum notas discernimus et, similibus una eademque repraesentatione comprehendendis, diversis sejungendis, universalium copiam adipiscimur repraesentationum, quae idcirco dici possunt universe *notiones empiricae*.

In hac igitur empirica cognoscendi regione contra Kantium obtinemus, tempus etiam spatiumque dici posse notiones peculiares sive universales repraesentationes earum perceptionum singularium, quibus eandem spatii

[1]) At sunt tamen, qui non nisi sensualia esse putent spatium tempusque, iisque abstracte spectatis haud quidquam veri inesse. Et sane, qui ita putant et ea sola esse dicunt, quae sensibus cerni tangique possunt, crassissimi Empirismi fautores vulgo habentur. Quis vero negaverit, in hoc infimo cognoscendi gradu, dumne tempori spatioque aliae denegentur significationes, iisdem vocabulis res prorsus sensuales significari posse? — Sic, v. gr. dicitur hortus *amplum* continere *spatium*, floribusque colendis *multum temporis* impendi.

[2]) Qua quidem animalia quoque gaudere videntur, quum et tempora, saltem aliqua, distinguere soleant, et, quod maximi momenti est, certe spatia percipiant, quandoquidem, ut finem adtingant, proximam semper viam petunt.

et temporis intuitionem acquirimus [1]). Hinc propter communes notas quamlibet distantiam definitam quarumdam rerum juxta se positarum, experientia judice, eidem spatii notioni, et quamlibet item quorumdam existendi momentorum progressionem, qua tum res ipsae perceptae, tum etiam animi motiones sibi succedere continuo videntur, eidem temporis notioni subjicimus. Unde liquet, hisce notionibus empiricis, altera id quod juxta se positum sit, intelligi, altera id quod sibi succedat. Qui dum? In hac positi experientiae statione, rectene loquamur *vacuum* spatium, tempusque *inane?* Nonne hîc potius ipsae abstracte sumuntur notiones? Ejusmodi enim universales repraesentationes, a singulis abstractae perceptionibus, eo tantum consilio tanquam notiones mente retinentur, ut quae sensu aut jam cognoverimus aut in posterum cogituri simus, modo simul juxta se existere, modo sibi succedere, experientia edocti, haec temporis, illa spatii nomine constanter notemus. Quod cum ita sit, hoc etiam loco minime sermo esse potest de spatii temporisque *infinitate*, nisi si ea solummodo id indicemus: nec definiri posse seriem rerum juxta se existentium, nec numerum momentorum, quibus sibi succedant, nec terminos proinde statui posse adaptandis ipsis spatii temporisque notionibus. Qua ratione si distantiarum successionumque multitudo dicatur infinita, hac infinitate nil aliud intelligendum est, quam ejusmodi seriem numerumque in infinitum cogitari posse ipsamque proinde infinitatem tantum esse *possibilem*. Ita vero modum jam excedimus cognitionis empiricae, eamque cum *ideali* confundimus contemplatione, de qua post modo dicendum.

In empirico igitur cursu ea tantum illis repraesentationibus vis inest, ut quaecumque simul exsistere, spatii notione, quaecumque autem sibi succedere experientia edoceamur, temporis notione complectamur. Si quis

---

[1]) Cur, quaeso, aediculam istam militarem excubiis agendis inservientem, nuper quidem hac in urbe (Groningae) restauratam, sed omni carentem elegantia, aeque vocamus *aedificium*, atque praeclarissimum illud pulcherrimumque monumentum, parsimoniae systemate perennius, quod ad excolendas artes ac disciplinas destinatum Urbs et Provincia Groningana exegerunt? Minime profecto idem utrique nomen tribuimus ob proprias utriusque conditiones, quibus toto coelo differunt, sed propter communes utrique notas, quibus aedificii notio constituitur. — Non secus sane existimandum est de singulis sensu perceptis et hac de causa adspectabilibus distantiis ac successionibus, quas spatii temporisque repraesentatione universali comprehendimus.

autem abstrahendum esse putet ab istiusmodi multitudine repraesentationum, harumque proinde notiones per se spectandas esse contendat, ipse videat ne cogatur vel sic tamen agnoscere utriusque finitatem. Etenim, si non essent finitae, sequeretur, ut neque spatii notio a temporis notione, neque haec ab illa penderet. Atqui tantum abest ut altera divelli ab altera queat, ut potius utriusque veritas unione mutua confirmetur; id quod mox probare conabimur.

Notionibus nimirum empiricis, vel omnibus, vel multis, multae communes sunt notae; ceterae vero, quibus inter se differant et distinguantur notiones, ipsarum sunt propriae. Si jam a propriis abstrahamus notas communes, hisce mentis acie per se spectatis puras nobis informabimus notiones, quae quo latius pateant, eo pluribus rerum notionibus erunt communes. Ejusmodi igitur notae universae, ab omni concretione separatae, quippe quae plurimis ac diversissimis notionibus empiricis communes sunt, dici possunt notiones universales sive cogitandi determinationes, vulgo *categoriae*, aliquando etiam notiones metaphysicae appellatae, quibus utamur tanquam universalibus rerum praedicamentis, earum profecto rerum, quae sensu, vel externo, vel interno, vel utroque simul, percipiantur [1]).

Quum enim constet, neque animum, neque mentis agitationes, (nisi ex effectu), externis sensibus cognosci posse, distinguamus necesse est internam et externam experientiam, duo statuentes repraesentationum genera: alterum sensibilium, alterum cogitabilium; quae tamen cunctae et singulae, sive a sensu, sive a mente procedant, quatenus intellectu comprehenduntur, aeque dici notiones merentur. Unde sequitur ut haec notionum genera suis utrumque notis gaudeant propriis, sed multae etiam inter ea sint communes.

---

[1]) Quocirca maxime animadvertendum est, generalibus repraesentationibus. experientia acquisitis, quas merito inde notiones empiricas vocemus, non eas tantum intelligi, quae sensuum externorum adjumento comparentur, (qua ratione ad solam naturam adspectabilem omnis constringeretur experientia), sed tales quoque, quas interno sensu experiamur: quandoquidem internum animi habitum motumque haud externe, sed interne percipimus, et tam interne quam externe percipiendo nostrae nobis conscientiae reddimur conscii, adeo ut, tum saepius percipiendo, tum externas internasque inter se comparando repraesentationes, tandem nobis animae mentisque notionem informemus, notioni corporis materiaeque prorsus oppositam.

In communibus omnium rerum notis principem locum occupare *τοῦ ὄντος* notam, jam eo probatur, quod, ubi res plane diversas, v. gr. *mentem* atque *materiam* cogitemus, variis quidem notis eas cogitando distinguamus, diversis tamen ejusmodi cogitationibus eandem *τοῦ ὄντος* notam tribuamus. Si vero superioribus, uti *mentis* et *materiae* notionibus haec maxime abstracta *τοῦ ὄντος* nota communis sit, eadem erit inferioribus communis notionibus earumque tum conditionibus, tum proprietatibus. Si porro *τοῦ ὄντος* nota de omnibus rebus cogitatis universe praedicanda est, de iisdem quoque praedicandae sunt ceterae cogitandi determinationes, quibus ipsa *τοῦ ὄντος* nota, ut intelligatur, ulterius explicetur, missis iis, quae specialius cogitationes singulares, v. gr. *mentem* aut *materialem naturam* spectent. Hinc universae illae *τοῦ ὄντος* determinationes vulgo dicuntur notiones *ontologicae;* quas in hac experientiae regione omnino empiricas esse contendimus.

Sunt autem, qui huc quoque notiones spatii et temporis referant; sed perperam, uti mihi videtur. Videbamus enim spatium tempusque tanquam universales singularium spatiorum ac temporum repraesentationes probe sensu posse percipi, quum externo ducti sensuali experientia has universales adipiscamur spatii ac temporis repraesentationes, quas hanc ob causam (invito Kantio) empiricas vocare liceat. Quarum si jam singulas proprietates ponderemus, propriis utrique notis colligendis, duas notiones nobis informabimus: alteram, qua res juxta se esse, alteram, qua sibi succedentes esse intelligantur. Hisce igitur notionibus continuo utendum est tanquam notis, quae omnibus omnino repraesentationibus sensualibus sint communes.

Quod, objiciet aliquis, si verum sit, quid obstet quin spatii ac temporis notiones dicamus esse ontologicas, cum ab eorum conditionibus tam animus quam materia pendeat? Distinguendum equidem puto: quatenus nimirum animus corporis adstrictus vinculis suam in mundo adspectabili vim exserat, eatenus quoque variis locis variisque temporibus ipsi opus esse, ut suas ad effectum adducat facultas; quatenus contra sui conscius inque sui conscientia haerens se solum contempletur, cum a proprio corpore et ab universo mundo adspectabili abstrahat, eatenus etiam a spatio et tempore ipsum abstrahere posse. Inde autem concludere, animum ob hanc sui

conscientiam neque a spatio et tempore neque ab externa natura pendere, absurdum esset. Animi per se spectati notae propriae differunt profecto ab iis, quas cum corpore habet communes; atqui ob hanc communionem ipse etiam naturae externae vicissitudinibus obnoxius est. Quapropter tria statuamus categoriarum genera: alias, quae ad omnia quaeque, quibus *τοῦ ὄντος* nota competat, referantur; alias, quae praeterea rerum universitatem adspectabilium spectent; alias denique, quae soli animo adaptari possint. Quare spatium et tempus dici possunt naturae sensualis categoriae, eaeque magis abstractae, quam *materiae*, *gravitatis* ceteraeque mentis determinationes, quibus rerum sensibilium natura definiatur [1]).

Hinc *cosmologice* spatio et tempore intelligantur rerum praedicamenta: quae utrum finita dicenda sint, an infinita, nunc videamus. At vero statim liquet, hîc sensu strictiori de infinitate, i. e. de excludendo omni termino, sermonem esse non posse, quandoquidem singulis illis praedicamentis, quae sunt rerum determinationes, vel cogitabilium vel existentium rerum natura non nisi ex parte notatur. Atqui multis tamen philosophis ejusmodi categoriae appellantur infinitae; quae quo sensu tanquam rerum praedicata [2]) infinitae dici possint et merito dicantur, eo evincitur, quod universe valeant et ad omnia quaeque pertineant, quae aut vere sint aut esse possint. Nam, si rerum existentium series definiri nequit, multo minus earum, quae existere possint, seriem definire possumus: ita ut categoriarum immensa videatur accommodatio, quum, quam late pateat rerum, ad quas applicentur, series indefinita, ipsae tamen eandem semper indolem conservent. Sunt igitur summae rerum notae, quippe quae de omni praedicantur existentia cum naturae, tum etiam animi in natura versantis; hinc pertinent ad omnia rerum genera, quorum series definiri nequit, et ob hanc indefinitam accommodationem sponte etiam inserviunt definiendis notionibus rerum genericis, quae ambitu sunt angustiores et,

---

[1]) Uti materiam quidem cogitare possumus sine gravitate, hanc autem minime sine materia: sic spatium et tempus sine materia quidem, non vero hanc sine illis. Alia sane quaestio est; num ejusmodi notiones abstractae animo cognoscendi cupido sufficiant? Nonne potius, ubi tanquam materiae conditiones tempus spatiumque cogitemus, concedere cogemur una cum ipsis adesse materiam?

[2]) Nam sublimiori etiam gaudent significatione in sublimiori cognoscendi regione.

ut arctioribus inclusae limitibus, si cum illis latioribus et universe valentibus notionibus comparantur, haud indefinitae dici posse videntur. Num vero res ita se habeat, dehinc videbimus [1]).

Itaque sensu cosmologico constat notiones spatii ac temporis esse *subjectivas*, i. e., non nisi sub hisce cogitandi formis res ut existentes comprehendi et inter se posse discerni. Atqui nos experientia quoque docuit, nihil prorsus sensibus posse percipi, nisi quod temporis particeps sit spatiique. Quum autem omnes perceptiones sensuales tanquam repraesentationes mente repositae ex vero sint aut esse possint cogitandi objecta, sequitur ut tam perceptiones quam repraesentationes spatii et temporis etiam *objectivae* sint conditionis.

Cum subjective spectata necessariis repraesentandi formis adnumeranda sint, facile intellectu est tempus et spatium una cum rebus quocunque modo repraesentatis repraesentari, quin etiam iis opus esse ad res sensibus perceptas nobis repraesentandas. Hinc, uti rerum perceptibilium series et infinita dicitur et cogitatur, sic etiam spatium et tempus supponuntur infinita. Quum vero nec quoquoversum extensi spatii nec temporis continuo motu labentis terminos extremos percipere queamus, eo quod sub quemque finem, sive jam perceptione positum, sive cogitatione suppositum, ultra deinde fines cogitari possint: utriusque Infinitas, objective spectata, videtur quidem esse tota et integra, sed ejus tamen conditionis, ut in partes distribui possit. Quam repugnantiam ne devitare putemus distinguendo cogitationem inter et perceptionem: nam, ut cogitandi objecta spectata, mente etiam tempus spatiumque revera dividimus. Quod usu maxime probatur loquendi de terminato quodam spatio ac tempore, si quis, v. gr. quaerat de cujusdam stadii spatio et de tempore ad id percurrendum ne-

---

[1]) Jamque eo tendit oratio, ut inquiramus, utrum nobis cogitantibus spatium et tempus tantum valeant ratione *subjectiva*, tantumne *objectiva*, an potius utraque simul, et quo sensu pro diversa quaestionis solutione dici mereantur *infinita*. Hoc loco nostra non interest inquirere, utrum vere, necne, res etiam extra nos tales sint, quales repraesentantibus esse videantur; sufficit enim ut modo aliquid tanquam extra nos positum nobis repraesentemus; quid illud per se sit, in medio relinquitur. Nostra igitur disquisitio hac ratione nullis impeditur ambagibus, dum modo spatii et temporis significatio nostrae sit mundi externi et interni experientiae consentanea.

cessario. Unde liquet objectiva ratione minime *totius* spatii et temporis quasi fragmenta intelligi, sed *reale* quoddam spatium itemque tempus. Quod idem obtinet in definienda *materia*, *vi*, aliisque rebus, quae, abstracte spectatae, vere etiam mentis sunt formae universales. Cavendum igitur, ne categoriae confundantur aut cum sensuali spatii temporisque repraesentatione, aut cum eorum objectiva perceptione [1]). Nam si spatio vel tempori percepto id tribuatur, quod soli spatii temporisve notioni sive mentis formae subjectivae convenit, *realitas* perceptibilis confundetur cum cogitabilitate sive *possibilitate* [2]).

---

[1]) Quae quidem confusio facilius evitari poterit quoad notiones, quae non nisi notas cujusdam rerum generis contineant. — Nemo profecto dixerit arborem, quatenus cogitetur, continuo minorem cogitari posse, quoniam cogitationem statim imago subibit arboris sensu ante perceptae, quae quam parva sit, sua demum quantitate fixa determinetur oportet. — Haud secus tamen, re accuratius perpensa, in aliis fit determinandis rebus, quarum notae sunt universaliores. Hujus generis est, verbi causa, notio *materiae*, cujus vel minima pars continuo sane minor cogitari potest; ut vero revera existens cogitetur, determinata sit oportet, nec hac ratione minor deinceps cogitari poterit. Haud aliter profecto de tempore et spatio judicandum.

[2]) Omne *totum* suas habet partes. Totum reipsa existens (*reale*) suas proinde etiam habet reales partes, quae discerni inter se possunt. Atqui notione etiam aliquod totum, ejusque notis partes totius constituuntur. Totum autem et partes a se invicem pendent: nullum totum sine partibus, nullaeque partes sine toto. Hinc tanquam notiones empiricae item a suis notis tempus spatiumque pendent; quae notae ut colliguntur abstrahendo a singularibus, sensu perceptis, spatiis temporibusque, ita etiam earum finitatis ipsae notiones sunt participes. Videbamus autem, tempus et spatium categoriis quoque adnumerari, esse igitur universales cogitationes sive mentis determinationes: quare in hoc cognoscendi genere cum ejusmodi formae universe valeant, infinita certi spatii punctorum temporisque cujusdam momentorum divisio cogitari potest, eoquod cogitati spatii temporisque applicatio infinita est; minime tamen cogitare possumus ejusmodi puncta atque momenta esse ipsa indefinita, nisi absurda et contradictionem involventia fas sit cogitari. Quin etiam spatii pro triplici dimensione extensi, temporisque continuo moti, tum praeteriti, tum futuri, infinitatem, habita categoriarum ratione, *fingere* quidem, non autem *ex vero cogitare* possumus. Quid? Temporis spatiique categoriae nonne cogitationes sunt? Si sint, nonne in infinitum, (in indefinitum dixerim), adaptari possunt *possibili*, i. e. cogitabili spatiorum ac temporum *realium* serici? Omnino. Sed eo ipso sequitur ut nec infinite extensum spatium, quod revera existat, nec infinitum tempus vere existens cogitare queamus. Categoriis enim, ut paulo ante statuimus, non nisi praedicata intelliguntur omnium spatiorum ac temporum, quae aut vere existunt, aut aliquando existent, aut saltem existere possunt.

Animus quippe imaginandi incitatus vi, adjuvantibus memoria et reminiscentia, ex imaginibus rerum juxta se positarum sibique succedentium tum seriem commentatur perpetuam, tum in minores eam dissolvit series, easque innumerabiles; atque ita spatiis adnectit spatia quoquoversum extensa, temporibus jam dudum praeteritis alia anteponit continuo longius remota, et a praesenti tempore, quod modo futurum erat, phantasiae alis in futura fertur tempora eaque sibi infinita informat ad similitudinem praeteritorum, quae et ipsa aliquando fuerant futura. Vel sic tamen magni facienda est imaginandi facultas, cujus inprimis efficaciae suam animus excitatam referre debet aeternitatis infinitatisque praesensionem. At vero phantasiae, ne modum excedat, accedat ratio, quae mentis intuitiones sive ideas, imaginando excitatas, ordinet disponatque. Rationis expers facile phantasia figmentis indulget et fanatico ducta errore haud raro delirat; contra comitante ratione idearum augendae claritati inservit animumque evehit ad idealia rerum aeternarum informanda exemplaria. Ne itaque miremini, AA. HH., quod aliam ingrediens viam categorias vocare *ideas*, hisque spatium et tempus adnumerare audeam. Quo jure, videamus.

Imaginando quidem spatium tempusque animo effinguntur infinita; ratiocinando autem hujus infinitatis modus terminandus est. Eorum enim, quae intellectu inter se discernuntur, mens sibi rationem reddere conatur, atque inde sua utens rationali facultate, (quae summa judicii norma est), *absolutam* inter et *relativam* notionum dignitatem dijudicat. Ratione magistra docemur, tempus et spatium ut cogitari possint, alterum alterius indigere; ex qua mutua necessitudine colligimus utriusque notionem esse determinatam [1]). Quae notiones, etiamsi habeantur pro ideis, i. e. pro ejusmodi notionibus, quae, ut rebus consentaneae, realitatis potentiam (possibilitatem) involvant et sponte idcirco veri exemplaria menti perhibeant, haud tamen nota gaudent *absoluti*, quod, ut mox videbimus, *κατ' ἐξοχὴν infiniti* nomen sibi vindicet.

Spatii cogitatio sive rebus conformis notio sibi ipsa omnino congruit,

---

[1]) Temporis spatiique cogitatas notiones speciem referre determinatam suisque limitibus inclusam, si inter se comparentur, satis liquet e conditione mutua, cui invicem sunt adstrictae, quum altera sine altera esse nequeat.

i. e. suis proprietatibus (seu *qualitatibus*), quae dimensiones audiunt: *altitudini*, *longitudini* et *latitudini*. Quae quidem abstracte spectatae differunt, sed idealiter cogitatae unum omnino idemque sunt: id enim, quod longum, etiam latum est atque altum; et sic deinceps. Tum demum, quum spatia realia comparamus, sensu diverso de ejusmodi dimensionibus sermo esse potest; ita ut, quod alio modo dicitur altitudo, id idem alio dici possit longitudo, alio latitudo. Ipsa igitur idea possibilem tantum involvit earum comparatarum dimensionum realitatem, i. e. possibilem realitatem cujusdam determinatae sive *finitae* extensionis. Nec obstat, ut ejusmodi altitudinem, longitudinem, latitudinem quasi in infinitum cogitando extendi posse fateamur; dummodo possibili tantum cogitati spatii realitati, minime vero realibus ejus dimensionibus infinitatem largiamur.

Temporis cogitatio item suis congruit omnino proprietatibus, quibus ipsa perficitur. Temporis autem proprium est, ut sit et non sit, ut fuerit et continuo fiat [1]). Hinc, ut totum cogitatum, e medio quasi puncto, duplici via: retro et prorsum, dirigitur. Id enim, quod praesens dicitur tempus sive temporis momentum, futuro hinc, illinc finitur praeterito; quod ut esse possit praeteritum, quondam praesens fuerit necesse est. Quod autem futurum est, aliquando praesens quoque erit. Quin id ipsum, quod praesens vocatur, ut cogitari possit aeque praeteriti atque futuri indiget, quibus quippe notionibus extremae medii momenti, i. e. praesentis, conditiones constituuntur [2]). Ex hac autem continuo mutata momentorum

---

[1]) „*Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,*
Non secus ac flumen: neque enim consistere flumen,
Nec levis hora potest; sed unda impellitur unda,
Urgueturque prior venienti, urguetque priorem:
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur,
Et nova sunt semper; nam quod fuit ante, relictum est;
Fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta novantur."
Ovid. *Metam.* XV. v. 179, sqq.

[2]) Id, quod nunc *praeteritum* est, haud semper *praeteritum* fuit, sed aliquando *praesens* erat, aliquando etiam *futurum;* hinc non nisi qualitatem peculiarem sive temporis universi momentum aliquod necessarium efficit, ita tamen, ut, licet ex se alias temporis qualitates sustulerit, mutatae conditionis argumentum sua notione complectatur. — Quod idem valet de *praesenti* atque *futuro*.

realium natura probatur ipsius temporis inconstantia. Unde liquet, tempus quoad realitatem finitum esse, utpote suis determinatum momentis; sed idealiter contineri temporis cogitatione infinitam finitae realitatis possibilitatem.

Cum vero, quod jam ante innuimus, tempus et spatium a se invicem pendeant, ita ut alterum sine altero ne cogitari quidem possit; ob hanc ipsam mutuam necessitudinem eorum etiam notiones dicendae sunt finitae: quae quippe sic reciprocantur, ut et, si tempus sit, spatium sit, et, si spatium sit, sit tempus [1]). Ut autem intelligamus, quae causa sit illius connexionis, ad idealem temporis et spatii naturam adtendamus oportet. Idea enim haud comprehendimus notionem a rebus abstractam, sed ipsam potius cogitandi et existendi conformationem. Ut id, quod abstrahendo nobis repraesentamus, vere existens cogitetur; ei non tantum existendi possibilitas concedatur oportet, sed existentia quoque realis tribuatur. Ut autem id, quod *abstracte* cogitatum est, *concrete* quoque cogitari queat,

---

[1]) Spatium si extensum cogitatur, est necessaria rerum juxta se positarum conditio; sin realiter existens repraesentatur, manifestetur oportet suis qualitatibus, quae non nisi in rebus juxta se positis existunt et sua in his mutua relatione dignoscuntur. Ipsae autem res earumque status ac situs, etiamsi tantummodo cogitentur, aut continuo mutantur, aut saltem mutabiles sunt, eoquod in tempore versantur; immo etiam ipsae dimensiones pro diversa rerum in spatio relatione suam permutant conditionem; nec ipsum spatium ut infinite extensum cogitari poterit, nisi diversae saltem extensionis viae infinitae cogitentur. Ut igitur ejusmodi spatium infinitum haudquaquam figmentum, sed vere cogitatio sit, veritati consentaneum esse, i. e. spatium cogitatum sive *subjectivum* cum reali sive *objectivo* consentire debet. Infinito enim eoque immobili fingendo spatio supponeretur corpus quasi solidum, quod, quamquam infinito extensum, eo ipso, utpote aliis corporibus oppositum, determinatam molem constitueret; quod absurdum. Ubi itaque res juxta se positae, ibi quoque spatium; hinc, ubi ejusmodi res aut fuerint, aut fiant, aut futurae sint, ibi quoque cum ipsis rebus spatii puncta mutantur. Spatium proinde in tempore tantum realiter existere potest. — Tempus item a spatio pendere multo facilius intellectu est. Temporis enim cogitatione continetur ipsius realitas. Ut igitur vere sit, continuo tempus fieri debet: hinc, quod modo praesens est, mox fit praeteritum; quod nondum erat, fit statim praesens. Sic vero non tantum res, sed earum quoque conditiones, oriundo, mutando, intereundo ita sibi succedunt, ut simul tamen tanquam juxta se positae oriantur, mutentur, intereant. Unde liquet temporis momenta item implere spatium, nec sine spatio concipi posse. — Quae interna utriusque connexio *loci* nomine appellari solet; atque hujus habita ratione necessitudinis loquimur de temporis spatio, de spatii longitudine, de punctis temporis aeque atque spatii.

ita ut ipsa cogitatio realitatem involvat, existendi vis adsit necesse est; hinc, quod spatium et tempus adtinet, ad mutuam utriusque stabiliendam relationem postulatur ejusmodi vis, quae efficiat ut utrumque realiter existat. Hanc vero vim comprehendimus *motus* notione in res omnes dominantis. Motu nimirum *materia*, i. e. possibilis sive cogitabilis rerum juxta se positarum realitas, quasi propellitur, non cogitata tantum, sed vere etiam existens, hinc spatii conditionibus obnoxia. Motu igitur, (ut sublimiora tangamus), per definitas orbitas corpora coelestia feruntur, quae et suo cursu definitum implent spatium et temporis computandi rationes suppeditant. Licet autem summis cohaesionis legibus, ad quas sane perturbationes quoque planetarii motus referendae sunt, sapientissime provisum sit, ut perpetuo motu perdurare possint: quis tamen infitias ibit, ingentia illa coeli sidera quoad spatium terminis inclusa, quoad tempus temporis conditionibus esse obnoxia? Verumtamen illud immensum spatium, quod neque oculis metiri, neque intellectu complecti possumus, nobis, non somniantibus, sed enixe cogitantibus, re ipsa videtur infinitum; quin omnia quaeque, quibus spatium impletur [1]), non tantum corpora coelestia, sed alias etiam res interpositas, fragmenta dixerim quasi materiae munitissima subtilissima, arbitramur numero infinita. Quam opinionem inde puto repetendam, quod mentibus nostris anticipata insit infiniti, divini, absoluti principii praesensio.

Verum enim vero sapientissimum divinamus coeli terraeque Conditorem, aeterno numine cuncta gubernantem, ordinem rerum omnium ac vicissitudines administrantem, astrorum aeque Statorem atque spatii temporisque Moderatorem. Deum autem Universi Auctorem cogitantibus, nefas est confundere cum ipso Creatore creatam rerum Universitatem; hinc Deum cogitantibus infinitum, nefas est mundum cogitare infinitum. Verum tamen, ut infinitatis saltem speciem tribuant Universo, sunt, qui distinguant, acute sane, ab omnibus ac singulis rebus ipsam rerum Universitatem, illas **τὰ πάντα**, hanc vero **τὸ πᾶν** appellantes: quod eodem jure valeat de spatio et tempore. At ejusmodi infinitas omnino ficta est, utpote opposita

---

[1]) Nam *spatium vacuum* in adjecto sibi contradicit et tam ideali quam reali cognoscendi formae repugnat.

absolutae Dei infinitati. Res enim cunctae, licet simul sumtae universitatem constituant, per se tamen singulae non nisi partes illius universitatis exhibent; quae cum inter sese differant, sua quaeque qualitate ut res singulares prorsus finitae sunt. Jam vero contendunt, haud singulis per se spectatis, sed omnibus simul sumtis atque una comprehensis notione Universi, quod Graecis *τὸ πᾶν* dicitur, infinitatis notam tribuendam esse. Atqui *τοῦ πάντος* sive universi notio, licet indefinibilem complectatur multitudinem rerum, vel ipsa tamen non est vere infinita, quum ea potius rerum omnium quasi congeriem intelligamus; quapropter eodem jure peculiarem quarumdam rerum congeriem etiam *τοῦ πάντος* nomine insignire licet. Non solum res ejusdem generis omnes una notione comprehensae universitatem quamdam referunt, sed singularis etiam quaelibet res, sive artis, sive naturae effectus sit, *τοῦ πάντος* praedicato quodammodo gaudet. Constat quidem partibus sive elementis, sed partes istae, quotquot sint, non per se jam spectantur, sed intimo conjunctae nexu cogitantur, unam eandemque rem, proinde *totum* aliquod constituentes. Sic vero etiam nexu summo inter se cohaerent partes mundi majores, et nostra tellus, lunaeque globus, et splendida solis moles, cunctaque sidera coelo fulgentia; ita proinde connexa quoque sunt intime cuncta tempora, cunctaque spatia, quae, licet partes habeantur temporis universi ac spatii, per se tamen singula *totum* aliquod constituunt, quorum universitas non nisi mente et cogitatione comprehendi potest [1]).

Totum itaque qualecunque *nexu* regitur [2]). Ut autem nexus realiter adsit, adsint oportet res connectendae: hae vero connecti nequeunt, nisi connectendi adsit ratio. Si autem res nexu ita conjunctae sunt intimo,

---

[1]) Fingite vobis distracta corporis membra, eaque suo privata nexu in acervum conjicite; habebitis quidem cuncta, certe multa in unum locum congesta, non autem totum; sive *τὰ πάντα* habebitis, minime vero *τὸ πᾶν*. Res igitur nulla, neque spatium, neque tempus, neque mundus adeo, nisi intime connexis partibus ut totum cogitari potest. Et, si universitate rerum supremum quasi *totum* intelligere velimus, cogitentur quoque oportet cuncta *tota* peculiaria, quatenus sibi necessitudinis vinculo invicem implicita sint, tanquam universitatis membra isto nexu conjunctim summum illud *totum* constituentia.

[2]) Nexus autem, quem sola mente comprehendimus, quum, nisi res adesse cogitentur, quae connectantur, nec ipse quidem adesse cogitari queat, — si res creduntur creatae, item creatus dicendus est, atque idcirco finitus.

ut universitatem constituant, ratio certe connectendi ipso nexu est superior. Quum igitur, (quae est humana praestantia), de illius rationis ultimae necessitate mentibus nostris persuasissimum sit, si jam res cunctas una Universi notione comprehendimus, eo ipso fatemur: mentem esse divinam, quae ordine res et nexu disposuerit. Quod si ita est, summus ille rerum, itemque nexus et ordinis Auctor, quum mente et consilio mundum ordinaverit, *totius* etiam sive *universi* conformationem aeterna mente intueatur necesse est. Licet igitur mundus realis, ut partibus constans finitis, infinitus ipse dici nequeat, sublimiori tamen significatione Universi ideam ut Dei cogitationem confiteamur esse infinitam. Eodem autem jure temporis ac spatii ceteraeque categoriae, atque ipsarum adeo rerum singularium notiones, si Dei sint cogitationes, nihil prohibet quo minus dicantur infinitae [1]). Si porro pie ponamus: Deum eo ipso Creatorem dici, quod non solum res creatas assidue moderetur, sed, uti ab aeterno inde creaverit, sic etiam in aeternum usque creandi opus continuaturus sit, ita ut ante omne aevum et res omnes creandas cogitaverit, et rerum creandarum, proinde etiam temporis spatiique, conditiones constituerit; tum quoque statuamus oportet: perpetuam temporis continuationem infinitamque spatii extensionem aeterno Dei consilio procuratam esse. Qua tamen posita infinitate sponte concedimus: tempus et spatium, quatenus infinita mentis acie divinae, (si fas sit dictu), cogitentur, idealiter quidem esse infinita, sed quatenus in rebus ut successionis et extensionis momenta realiter adsint, — licet infinita sit eorum series, — vere esse finita, quum alterum eorum altero determinetur momento. Hac igitur infinitate solummodo infinita progressio intelligitur. Verum hoc etiam sensu tempus et spatium a se invicem pendent, quum mutua relatione finiantur. Tantum igitur abest ut ad hanc intricatam temporis spatiique infinitatem explicandam infinitum *essentiae absolutae* processum, nescio unde, supponere cogamur, ut potius sustineamus: aut nihil ista infinitate intelligi, aut id solummodo, (quod tamen summi jam momenti est), neque rerum simul existentium seriem spatiique extensionem, neque formarum motu perpetuo

---

[1]) Quo sensu notiones rerum empiricarum Platoni dicuntur *ideae*, tanquam earum rerum exemplaria, divina mente ante informata quam ipsae res essent.

permutatarum successionem temporisque continuationem finibus usquam arceri [1]).

Exploremus itaque aliam *infiniti* significationem, Dei notioni consentaneam et ad sensum religiosum promovendum idoneam.

Spatium tempusque non absolute infinita esse ex eo probavimus, quod alterum spatii punctum altero, itemque alterum temporis momentum altero determinetur; unde conclusimus: singula spatii puncta quoad extensionem mutua limitatione finiri, et temporis momenta quoad successionem quaeque fieri et interire sive initium habere finemque. Eodem igitur modo quaecumque res sub spatii et temporis conditionibus positae dicendae sunt finitae. Quidquid praeterea quoad existentiam finitum dicatur, satis inde patet aut initium habere finemque, aut saltem existere coepisse, etsi in perpetuum deinceps existere pergat, aut denique, negato initio, aliquando tamen desiturum. At vero, negato initio, etiam negatur finis. Nam id, quod initio caret, in nullo alio suae causam existentiae habere potest, quam in

---

[1]) Quae quam sublimis sit cogitata infinitas, cum tamen partibus constans *cogitetur*, ut reipsa existere dicatur, finitatis etiam conditionibus obnoxia sit necesse est. Licet enim undique infinita sit rerum finitarum series et alternatio, ipsae tamen res in mediis hujus infinitatis terminis extremis, (quibus, ubi verba desunt apta, ne sibi contradicant, negata *extremitatis* significatione, infinitatis nota subjicienda est), positae sunt, quamquam numero infinitae, suis proprietatibus distinctae; unde inprimis patet, ejusmodi infinitate contineri et connexionem et successionem *entium* finitorum. Si igitur hoc sensu dicantur spatium et tempus infinita, eoquod continenter mutua relatione distantiis rerum et successionibus moderentur, non habeo quod objiciam; tum vero etiam hac significatione sponte ducimur ad sublimiorem infiniti significationem.

Entis nomine modo usus sum ad id universe indicandum, quod *esse* quomodocunque dicatur. Nota autem τοῦ *esse*, si cunctis rebus earumque proprietatibus et conditionibus competit, certe etiam spatio et tempori, quibus hac ratione ipsum *esse*, cum latius pateat, est superius. Atqui id *esse*, quae maxime abstracta est mentis determinatio, propterea dicitur infinitum, quod tanquam praedicatum tum infinitae seu indefinibili rerum seriei, tum etiam spatio et tempori accommodari possit. Accommodatur proinde tam minimis quam maximis rebus, tam adspectabilibus quam intelligibilibus, quin etiam summae Dei cogitationi: nam et loquimur et cogitamus primo Deum *esse*, postremo Deum *esse infinitum*. Quodsi jam una semper esset eademque infiniti significatio, Deo profecto non nisi infinita τοῦ *esse* nota competeret, seu potius nihil aliud Deus esset, quam illud ipsum *esse*, universe et infinite mente positum, quod infinitis modis ac formis esse exserat explicetque. Qua mentis abstractione Pantheismo crassissimo via facile praeparatur.

se ipso; quod igitur haud coepit esse et tamen est, ex se ipso est atque per se subsistit: hinc nullas mutationes subire neque ullo modo majus minusve fieri potest, sed, quum a nullo pendeat, per se in sempiternum idem manet. Id contra, quod initium cepit, minime sponte sua existit, neque per se est: quum enim ante initium esse nequeat, fieri omnino debet, ut esse incipiat. Causa igitur rerum, quae fiant, jam ante adsit oportet, — talis quippe causa, quae initii sit expers: nam si initium haberet, ipsa quoque ab alia penderet causa. Quapropter ratio suadet, immo cogit, ut in absoluta rerum acquiescamus causa, quae et nullis adstricta sit finibus et omni prorsus initio careat. Quae si causa est rerum ortarum, nil obstat, quin etiam efficiat, ut earum aliae intereant, aliae permutentur, aliae denique in perpetuum permaneant. Unde sequitur, ut omnia quaeque, quae esse inceperint, — quam longum aevum perdurent, vel si perpetua etiam existentia gaudeant, — vere sint finita, idque solum, quod initio carens vere aeternum est, sensu verissimo *infinitum* dici mereatur.

In hac sublimi cognoscendi regione fictam infinitatis speciem sive infinitum manifestatae divinae essentiae *processum* a Dei notione removemus, atque una sola posita tam extensionis indefinitae quam successionis perpetuae causa absoluta, quae est aeterna Dei infiniti efficacia, in concordiam redigimus diversas temporis spatiique significationes. Certe ab iis, quae haud per se infinita sunt, ne cogitando quidem finiti notio detorqueri potest; cum autem *dialectice*, quod alio sensu infinitum cogitatur, uti tempus et spatium, alio sensu finitum sit: nonne, neglecto discrimine, quod inter utramque infiniti significationem intercedit, de Deo revera infinito idem valeret, quod de abstracta valet infiniti notione? Verum enim, si infinitum solummodo cogitatur tanquam mentis determinatio necessaria, non autem ut re vera existens, hoc ipsum profecto ut cogitatio opponitur finiti cogitationi, atque ea ratione finito infinitum determinari videtur.

Ut hanc dialecticam repugnantiam devitarent, quidam philosophi, qui sibi in abstrahendis notionibus maxime placerent, finitum infinito contineri voluerunt, et idcirco aut statuerunt: „*Deum non esse extra mundum*,” aut contra: „*mundum non esse extra Deum*” sive „*mundum in Deo esse*,” aut, raro tamen, cum Krauseo: „*Deum esse mundum*,” quo dicto, ne figurata

dictio sit, luce clarius est rem ipsam cum notione, causamve cum effectu confundi. — Ejusmodi autem de infiniti finitique connexione sententiae nec vim habent in rebus adspectabilibus explicandis, quarum omnis cognitio ex corporis sensibus oritur, neque in rebus intelligibilibus, quae sola cogitatione comprehendi possunt. Ne itaque haec verba: *„Deus in mundo est,"* sive *„infinitum in ipso finito est,"* sibi contradicant, id tantum significent: infinitam Dei potentiam, sapientiam bonitatemque in rebus finitis manifestari, sive finiti existentiam ab infinita pendere causa.

Nolunt tamen isti philosophi a Deo distinctam esse Dei manifestationem; quare et contrarium enunciant: *„mundum in Deo"* sive *„finitum esse in infinito."* Quod unde sciant nescio, nisi ex relatis inter se infiniti et finiti notionibus, quarum altera sane ita alteram involvit, ut altera sine altera ne cogitari quidem possit. Vel ita tamen ex istis sociis notionibus demonstrare conati sunt, Deum sive *infinitum* in mundo sive *finito* ad effectum adduci; quod vernaculo quidem sermone, barbaro tamen et absono vocabulo dicitur *de zelfverwerkelijking van God in de wereld;* quae dictio, si quem habeat sensum, nil aliud significare potest quam infinitam rerum *in* mundo existentium suaque existentia ipsum mundum constituentium seriem, sive infinitum finitarum rerum processum.

Atqui praeterea, ut suam exemplo illustrent sententiam, mundum esse dicunt quasi corpus, quod Deus contineat, haud secus atque hominis anima corpus humanum. Cum vero ad similitudinem hominis seu *microcosmi* Deum in mundo ponant, ne miremini tamen, A. A., quare nihilominus contendant: mundum etiam in Deo esse. Nam anima nil aliud intelligunt quam infinitum rerum finitarum, corporis instar conjunctarum, processum. Ceteroquin, finitum esse in infinito haud figurate intelligunt, ut quasi in infinito suae rationem existentiae habeat finitum, sed severe illud statuunt, atque hoc utuntur argumento dialectico: „nisi in infinito inesset finitum, finito infinitum limitaretur." — Argute quidem, sed quo tandem modo? Num eodem, atque minora majoribus continentur, finitum sensu empirico in infinito positum dicatur tanquam florum areola in horto quodam immenso? — Ita vero finitum seu multa finita partes essent adspectabiles totius infiniti, quod tamen sensibus nequit percipi. — An potius cogitabili modo? At cogitabilia aut etiam extra cogitationem, aut

tanquam cogitationes in mente solummodo existunt. Utriusque vero generis cogitabilia inter se singula differunt, et hac ratione limitantur vicissim, notis nimirum cogitationes, res autem extra cogitationem existentes proprietatibus. Haud secus igitur inter se differunt finitum et infinitum, sive mere cogitentur, sive realiter ut res existentes ponantur; ita ut, si quis dicat: infinitum finito limitari, ea ipsa dictione sponte affirmet: finitum minime infinito nec infinitum finito contineri.

Itaque si quid veri intelligere velimus, res notionibus, quantum fieri possit, definiamus oportet; et definiendo quidem limitemus tam infinitum quam finitum, hac autem limitatione ab infinito revera omne finitum excludamus. Et quum hoc loco neque sermo sit de infinita spatii extensione neque de successione temporis perpetua, perperam faciunt, qui disputent, utrum Deus in mundo sit, an extra mundum. Nam si infinito aequetur infinita continuatio rerum atque processus, certe finitum causa dici poterit infiniti, eoquod multis continuatis haec demum infinitas constituatur. Sin contra rebus infinitum vere superius est, ut causa et ratio rerum finitarum, illo ipso infinita causa intelligenda est cum totius rerum seriei infinitae, tum etiam cujuscumque rei finitae. Et, si ad illud absolutum explicandum, deficientibus verbis, comparatione uti liceat, infinitum cogitemus et in quovis extensionis puncto et in quovis temporis momento *unum idemque* [1]).

„At si ratio rerum et causa cogitetur infinita, sive si Deus habeatur infinitus mundi effector, ea etiam, quae hac causa efficiantur, sive infiniti auctoris opera cogitanda sunt infinita." Minime vero. Nam ex eo solo, quod Deus per se infinitus cogitatur, non sequitur ut ab aeterno inde rerum se creatorem praebuerit; e contrario, ipsa *creatoris* notio involvit initium; ita ut cogitandi necessitate Deum tum demum *actu* creatorem fuisse dicamus, cum creare incepisset. Deus praeterea ut rerum molitor est prior cogitandus rebus creatis; et, quamquam notiones *creatoris* et *creaturae* sive *causae* et *effectus*, per se *formaliter* spectatae, reciprocantur, effectui tamen causa *realiter* antecedit. Nisi quis more Sophistarum con-

---

[1]) Quaecumque tamen comparatio valde hac in re claudicat, eoque magis, quo pronius ad similitudinem rerum finitarum infiniti notio informatur.

tendere velit: effectum adeo esse causae causam, quia ipse effectus in causa sit, ut causa dici causa queat [1]). Quo quid absurdius dici aut existimari potest?

Nos autem, si rerum Auctorem ex vero cogitamus, causam quoque effectui antecedere fateamur oportet. Et cum spatium tempusque, etsi conditiones sint rerum finitarum existentium, haud tamen efficiant ut res existant, quin immo ne cogitari quidem possint sine rebus, quas quasi comitentur: utriusque ratio postulat, ut et ipsa cogitentur orta. Ignoramus profecto eorum initium; at certo tamen contendimus, spatium omnino vacuum tempusque quasi stabile aut notionibus abstractis aut universalibus mentis determinationibus adnumeranda esse; nobisque persuasissimum est, neque hoc unquam, neque illud usquam existere posse, nisi adsint res finitae, licet ab infinita Auctoris per se infiniti potentia infinitam esse posse concludamus earum copiam seriemque.

Neque hac in re angimur difficultate quaestionis, in Theologorum scholis saepissime motae: „quo sensu coelum et terra creata a principio dicantur." Esto enim ut ab aeterno inde Deus aeternus creaverit; constat tamen, (quae est nobis insita cogitandi necessitas), a temporis spatiique infinitate sive rerum infinita extensione et successione abducendam esse divinam illam Infinitatem, quae soli Deo competat, quippe qui, sibi sufficiens in sempiternum, sua sponte istam seriem infinitam constituerit; ita ut ea ipsa extensione et successione extremorum diversitas, hinc etiam finitatis proprietates involvantur. — Esto praeterea ut ad mundum condendum sive ad rerum universitatem constituendam necessaria elementa uno eodemque momento Deus cuncta creaverit; a notione tamen creandi separari nequit initii notio. Posito autem rerum initio, experientia porro tam externa quam interna docemur: alia quidem simultanea esse, alia autem aliis succedere et nova continuo oriri. Cujus finitatis, ne dicam rerum adspectabilium, certe nostrae ipsorum, omnino nobis conscii sumus. Et, si quis *sceptice* contendere velit, nos nescire, an non ab aeterno inde cuncta

[1]) Quod nostra aetate quidam contenderunt. Confundunt autem vulgo causarum in se agentium efficaciam cum effectu. Causa pro portione omnino relativa est, haud vero absoluta. Sic magnes adtrahit quidem ferrum, sed hoc etiam in causa est ut illo adtrahatur. Ejusmodi causae propterea dicuntur *vires* seu *facultates*, quarum mutua actione effectus producitur.

jam exstiterint; opponamus ei animi conscientiam contrarium testantem. Indubitanter enim novimus, nos saltem istius aeternitatis nobis haud esse conscios, neque tamen intra limites nostrae nobis notae existentiae inscios esse de mutabili corporis statu et variatis animi motibus; novimus etiam, nos eorum aliquando inscios fuisse, quae deinceps nobis acciderunt, et adhuc ignorare omnino, quae in posterum aut sensu percepturi, aut mente animoque peracturi simus.

Unde merito conficiamus, neque rebus, quae corporis sensibus percipiantur, neque animis nostris, quippe qui in appetendo saltem et cognoscendo mutationibus obnoxii sunt, veram illam competere infinitatem; Dei autem vere infiniti potentiam infinitam divinari posse a nobis ex indefinibili rerum multitudine tam successiva quam simultanea.

Ut vero, quantum ob ingenii imbecillitatem liceat, divinam illam Infinitatem liquide cogitemus, mentem efferamus oportet supra rerum adspectabilium imagines. Namque sensuum obstaculo mentis acies vel minimo obtusa, a recto rationis judicio deviabit. Hinc, etiamsi ponamus rerum Conditorem, quod infinitus sit, ab omni aeternitate operatum esse atque in perpetuum operaturum: en unquam ponemus ejus opera esse singula quoque sempiterna? — At posito summo illo Auctore, si tamen infinitatis notione talem et rerum omnium ac singularum et humanarum etiam actionum cogitatam comprehendamus universitatem, cujus innumerae quasi partes, arctissimo cunctae necessitudinis vinculo inter se conjunctae, infinitam seriem tam simultanea quam successiva connexione constituant: nonne facile accidet, ut illam Dei infinitam efficaciam cum ipsius efficaciae in tempore et spatio patefactis documentis sive cum operibus Opificem confundamus, eaque pro continuis quasi Dei se explicantis effluviis habeamus, adeo ut et Ipse videatur in perpetuo versari processu? — Quae procedendi ratio, aut nihil intelligo, aut ita se habet, ut successivos, i. e. finitos efficaciae infinitae effectus, non vero causam ipsam supremam afficiat.

Neque praeterea, praedestinatam cogitantibus rerum universitatem sive ante stabilitam universae naturae harmoniam, de ipsa creatione ita aestimandum est, ut quasi secum, antequam ageret, ab aeterno Deus de mundo condendo deliberasset. Namque hac computandi ratione tum successionis, tum extensionis affectiones, quarum omnes participes sunt res

finitae, in Dei etiam essentiam transferrentur. Immo vero, ut Deo infinitatem quam poterimus summam tribuamus, ab ea *negando* removere debemus vel minimam finitatis speciem, omnem tollere comparationem, omnem excludere limitationem.

Verum enim Ille vere infinitus cogitandus est, semper idem ubique praesens. At cum ita tamen utamur terminis finitis, ecquid tandem Dei infinitatem per spatium etiam diffusam esse temporisque momentis absolvi fateamur? Procul absit ut finitatis affectiones rursum absolutae intrudamus infinitati. Mutuamur profecto vocabula res finitas significantia, et balbutientes quidem, sed in cogitanda absoluta Dei infinitate mentis acumine vim negatae finitatis comprehendentes.

Quod si ita est, quam inepte faciunt, qui, sensibilibus intelligibilia adsimilantes, absolute infiniti notionem notis empiricis colligendis sibi informare velint. Nulla enim rerum imagine repraesentari, nullis notionum empiricarum notis designari, nullis denique rerum universarum praedicamentis universalibus comprehendi potest illa vera Infinitas, cujus amore tamen et admiratione ita sensus mortalium perfunduntur, ut sola se mente cernere posse intelligant id quod semper sit simplex, et uniusmodi, et tale, quale sit. Sic vero, quotquot sint mentis ideae, cunctae coalescunt una suprema Dei infiniti, i. e. perfectissimi idea; quae, quoties sub forma notionis incomprehensibilem Dei naturam comprehendere periclitamur, tanquam Socraticum daemonium nunquam impellit, sed ab ardua definiendi difficultate revocat.

Neque aliter profecto infinita Dei natura quam omnibus negandis finitatis conditionibus *positive* cogitari potest [1]); quae cogitatio, licet res ipsa humani captum ingenii superet, mortalium tamen animos, aeterni numinis inspiratos afflamine sancto, ita totos occupat, ut non tantum in solari systemate astrorumque immensa compagine, sed in minimo etiam pulveris exigui fragmine manifestatam agnoscant rerum Opificis Optimi Maximi Majestatem infinitam.

---

[1]) Subtiliter hac de re Augustinus »*Deus*, inquit, *sine qualitate bonus*, *sine quantitate magnus*, *sine indigentia creator*, *sine situ praesens*, *sine habitu omnia continens*, *sine loco ubique totus*, *sine tempore sempiternus*, *sine ulla sua mutatione mutabilia faciens*, *nihilque patiens*." De Trinit. V. 1, 2.

Sed jam sentio me argumenti gravitate esse longius provectum quam temporis ratio postularet; postulat autem, ut tandem veniam ad eorum relationem, quae Academiae hoc anno laeta vel tristia obtigerunt.

Et multa quidem adversa, AA. — heu, nimium multa, eaque luctuosissima, Academiae nostrae acciderunt. Nam totus fere mei muneris annus tam funestus et frequens fuit carissimorum capitum amissionibus, ut sane tot casibus commemorandis prae moerore animi impar essem, nisi me hoc tristi parentalium officio fungentem ipsa erga mortuos pietas sustentaret.

Quinque juvenes, artium ac disciplinarum in hac Academia studiosi, flebili fato concesserunt.

David Hendricus Lieuwens, ex pago *Grouw* Frisius, vix inito literarum curriculo [1]), quibus ad Theologorum scholas praepararetur, aegrotare coepit, ac tandem post lentum lethiferumque morbum in hac urbe die VI mensis Novembris, hujus saeculi anno XLVIII, aetatis XIX, tabe absumtus est.

Eodem hujus saeculi anno, d. XIII m. Decembris, *Campis*, aetatis anno XXI morbi vi ac morti succubuit Joachim Ernestus von Bülow, *Swollae* natus, literarum ad Jurisprudentiam propaedeuticarum studiosus praestantissimus [2]).

Hendricus Janus Verschuir, *Groninganus*, Medicinae Candidatus [3]), longa aegrotatione tabefactus, hoc anno (h. saec. XLIX), d. VIII m. Januarii, in hac urbe animam reddidit, nondum expleto quinto et vigesimo aetatis anno, triste sui desiderium relinquens tum aliis, tum maxime parentibus.

Eodem hoc anno eodemque mense ornatissimus disciplinarum Mathematicarum et Physicarum studiosus Renatus Ludovicus Augustus Guilielmus van Raders [4]), annos natus viginti, cum ob infirmam valetu-

---

[1]) Inscriptus Albo Academico, d. XIII m. Septbr. hujus saeculi a. XLVII.

[2]) Inscript. Al. Acad. d. XXIII m. Septbr. h. s. a. XLVII.

[3]) Inscript. Al. Acad. d. IX m. Julii, h. s. a. XLII.

[4]) E colonia *Curaçao* oriundus patre R. T. Barone van Raders, Gubernatore *Surignamiae;* Albo Acad. inscriptus d. XV m. Septembris, a. MDCCCXLVII.

dinem iter in Germaniam suscepisset, post breve tempus, quod *Bonnae* commoratus est, d. XX mortis iter, tabe consumtus, adiit.

Intra breve temporis spatium quatuor illi juvenes desideratissimi occubuerunt; quinque vero mensibus post quintus occubuit. Nam quum jam feriae aestivae inchoatae essent, omnium opinione celerius flebilis nos perculit nuntius de acerba morte juvenis egregii Guilielmi Regneri Rovers, *Franequerani*, literarum studiosi; qui scholas modo per aliquot menses frequentaverat [1]), quum aegrotare coepit. Initio quidem morbi ita leves erant commotiunculae, ut vix aut ne vix quidem vitae periculum instare videretur; sed mox secuta est febris *hectica*. Hinc, ut vires reciperaret, die VII m. Maji, una cum parentibus curarum plenis, in Gelriam se contulit, ibique rusticans in pago *Rozendaal* paulisper revirescere videbatur. Spem autem, quamquam fragilem, qua solliciti lactabantur parentes, praevertit omnem repentina corporis conquassatio: nam postridie quam placido ille adhuc animo in locis silvosis ambulavit, pulmonum apoplexia extinctus est d. XXVIII m. Junii, cum natus esset annos decem et octo, dies quadraginta.

Mors ejus multis certe nominibus tristis est atque luctuosa. Luget alumnum Academia, recentem quidem, sed magnis ingenii animique dotibus praeditum, et suo jam exemplo ad vitae honestatem et studiorum assiduitatem alios incitare solitum. Lugent commilitonem strenuum cives Academici, quibus quam carus fuerit, funebri sodalium pompa indicatum est. Lugent discipulum praeceptores aestumatissimum, modestiae et doctrinae laude dignissimum. Lugent optimum juvenem propinqui et amici, qui merito suspicabantur talem filium clarissimo patri aliquando similem futurum. Luget fratrem frater conjunctissimum, lugentque gnatum parentes carissimum. — Heu, miseri parentes, quibus sexies intra sexennium immatura mors liberorum acerbissima inflixit vulnera! Insatiabili Vos luctu affectos esse sentio. At vero, tot calamitatibus continuo ad desperationem sollicitati, non tamen sensili doloris violentiae indulsistis neque principalem animi partem nimio moerore dejici passi estis. Namque te, Rovers, collega conjunctissime! quem absentem appello, quippe qui nostris semper

[1]) Inscript. Alb. Acad. d. XXXI m. Augusti, a. h. s. XLVIII.

mentibus praesens es, — te una cum conjuge, quae virilem constantiam retinuit, Religionis Christianae sanctitas sustinuit. — Faxit Deus benignissimus, ut indies magis vitae spe melioris confirmemini, incolumesque servemini in Patriae decus, Academiae gloriam, filiique salutem, jam unici, tanto naufragio superstitis!

Interea unius nuntio mortis duorum collegarum animi pariter percussi sunt. Cognatam dilectissimam, d. xxv m. Maji *Siricceae* vita defunctam, uterque luget: alter, Franciscus Zacharias Ermerins sororem; alter, Janus Guilielmus Ermerins fratris uxorem. Dolemus vobiscum, viri amicissimi! Deumque precamur, ut ex ipsa etiam feminae praestantissimae recordatione capiatis doloris aliquod solatium ac levamen.

Neque aliae causae luctus defuerunt Academiae nostrae, quam fatalis necessitas orbavit quatuor viris egregiis, qui singuli, suo quisque modo et loco, laudis gloriam meruerunt.

Medio fere mense Octobri anni superioris morbus, qui *cholera* dicitur, cum grassaretur per Europae regiones, huic etiam urbi insidiatus est; sed non nisi paucos subinde cives intra spatium septuaginta circiter dierum sua peste tentaverat, quum exeunte mense Decembri hinc quasi subito defugit, alias orbis plagas violentius tentaturus. Huc autem rediit initio m. Junii hujus anni, ut, quo lenius antea saeviisset, eo jam nunc ferocius insaniret. — Isti morbo atrocissimo succubuit Janus Otto Karsten, d. x m. Julii, eo ipso die, quo, quibus haec eadem lues lethalis vitam abstulerat, carissimae uxoris et teneri gnati funeribus justa esset soluturus.

In Museo Historiae Naturalis tam Zoologico quam Mineralogico, ab anno inde h. s. decimo nono Karstenus ad obitum usque Amanuensis munere functus est. Vir erat strenuus, rerum Naturalium experientissimus, tam ingenio et memoria excellens quam Zoologiae studio, Anatomiae comparatae peritissimus et in arte maxime versatus praeparandi ac decorandi ornateque componendi cujuscunque generis animalium exemplaria. Quibus instructus dotibus, ita semper in officio erat, ut ex vero Swindereni dextella nuncuparetur.

Lugemus tecum, vir clarissime van Swinderen! talem virum et Academiae et tibi maxime tam flebili casu ereptum. Sed nolo diutius ejus commemoratione, cujus laudes ante hos octo dies ipse celebra-

sti [1]), tuum animum contristare; quare potius tibi gratulor, quod ejus meritis, tanquam laudis, pietatis monumentum condidisti, qua pupillos quatuor superstites prosecutus es eorumque saluti benignissime providisti.

Alio morbi genere, virium debilitate fractus, hoc anno diem obiit septuagenarius vigesimum septimum mensis Martii, vir amplissimus Hendricus Octavius Feith, natus *Swollae* d. XIX m. Novemb., superioris saeculi a. LXXVIII, Poetae Patrii celeberrimi [2]) filius, Juris utriusque Doctor, Eques ordinis Leonis Nederlandici, Curiae judiciali Groninganae Provinciae Judex adscriptus, ejusdem Provinciae Archivarius, atque hujus Academiae Curator honoratissimus. — Singulari vir ille praeditus erat veri investigandi ingenio; qui, cum in excolendis artibus ac disciplinis amore maxime Antiquitatum flagraret, tum Juris Patrii studio, tum *Historiae* cognoscendae multis profuit scriptis, atque alios suo exemplo ad ejusmodi studia incitavit. Si autem talis viri merito celebramus industriam, diligentiam mentemque omnino tam perscrutandi quam meditandi frugibus locupletem, haud minus celebranda est optima ejus ad virtutem indoles, animi candor, moderatio et gravitas, religionis sensus morumque integritas. — Sed quid opus est verbis ad tanti viri laudes celebrandas? Ipse sua se doctrinae ac probitatis fama tuetur.

Nunc, AA. HH. renovare jubeor dolorem, quo nostros animos concussit inexorabilis mors duorum Collegarum, quorum equidem commemorationem, et argumenti copia oppressus, et ne rem actam [3]) agere videar, paucis tantum verbis complectar.

Gerardus Joannes Meijer [4]), die XV m. Augusti, a. MDCCLXXXI *Cliviae* natus patre doctissimo et matre nobili, jam a teneris ab idoneo

---

[1]) Vir Cl. van Swinderen in *Societate*, quae Groningae est, *Physica et Chemica* (*Natuur- en Scheikundig Genootschap*), d. III m. Octobr. h. a. de Karsteni vita ac meritis publice verba fecerat.

[2]) Rhijnvis Feith.

[3]) De vita rebusque Meijeri ipse copiosius egi in Actis annuis Societatis Literarum Nederlandicarum Lugduno-Batavae. — Lulofsii biographiam conscripsit vir doctissimus Guilielmus Hecker, in hac Academia Paedagogices Lector. Videatur Groningsche Courant, N°. 50 et 52, dd. 22 et 29 m. Junii, a. 1849.

[4]) Philosophiae theoreticae Magister, Literarum humaniorum Doctor, Professor ordinarius, variis Societatibus Literariis adscriptus socius.

paedagogo literarum Germanicarum, Gallicarum, Anglicarum, tum ab aliis doctoribus Matheseos, Historiae et Geographiae elementis imbutus est; adolescens porro Gymnasium frequentabat. Intervenerunt autem calamitates domesticae. Hinc traditur anno aetatis duodecimo in disciplinam Rompii, Chirurgi et Medici peritissimi, apud quem tanquam filius sex subinde degit annos, atque eo quidem consilio, ut Historiae Naturalis, Botanices et Anatomiae studiis ad Artem Salutarem discendam praepararetur. Jamque adeo tantos hac in re progressus fecerat, ut se summos in Facultate Medica honores aliquando consequi posse exspectaret, quum, novis ortis difficultatibus, spes eum frustratur. Itaque ut vitam ipse suam sustentet, vigesimum vix aetatis annum ingressus, anno hujus saeculi primo *Noviomagi* officium suscipit praeceptoris domestici; eoque defunctus, anno h. s. quarto *Amstelodamum* proficiscitur, similem illic conditionem accepturus. — In illa Hollandiae urbe celeberrima per annos quatuordecim cum plurimis eo tempore celeberrimis moratus est viris, ad quos se, cum cognoscendi ardore impelleretur, ita sedulo applicavit, ut eorum ipsi valde fructuosa fuerit consuetudo ad eam sibi scientiae copiam comparandam, qua praecultus quasi est ad Literarum Nederlandicarum et Historiae Patriae cathedram. — Postquam igitur quibusdam varii argumenti scriptis jam suam satis doctrinam probasset, anno hujus saeculi decimo octavo, (cum paulo ante duxerat uxorem), in Athenaeo Bruxellensi Literas Belgicas docendi munere donatus est; nec diu post, quippe jam anno h. s. XXII, Lovanii vacuam Literarum Nederlandicarum, Eloquentiae Historiaeque Patriae cathedram obtinuit, munerisque provinciam auspicatus est solenni oratione, sermone vernaculo habita: *de studio linguae Nederlandicae ad amorem Patriae alendum aptissimo* [1]).

Per octo annos in illa Academia officii sui partes pro viribus accurate implevit; ibique cathedram diutius certe ornasset, nisi, orta d. XXIV m. Augusti, a. h. s. XXX Bruxellis seditione [2]), se munere Professorio abdicare coactus fuisset. Ante autem quam sibi cum familia in Hollandiam reverti

---

[1]) „Over de beoefening der Nederlandsche taal, het beste middel ter bevordering van ware Vaderlandsliefde;" quae oratio inserta est Annalibus Academiae Lovaniensis.

[2]) Statim Lovanii imitata, turbisque dein per omnes fere Belgicas regiones excitatis et dilatatis.

licuit, praegnantis uxoris causa aliisque curis domi retentus, multis Lovanii incommodis obrutus atque tam anxio saepe timore quam plebis aliquando minis vexatus est. Tandem vero feliciter Amstelodamum rediit, ac brevi post ex decreto Regio in hac Academia Facultati Philosophiae theoreticae et Literarum humaniorum adjunctus, Groningam petiit, atque deinceps in hac urbe munere tradendae Historiae Patriae sibi demandato ad obitum fere functus est. Nam non nisi per octo dies morbo decubuit, atque omnis plane doloris expers ex hac vita egressus est d. XXII m. Novembris, anno h. s. XLVIII, aetatis LXVII.

Lugent eum ac grata memoria prosequuntur et uxor et tres filiae superstites. Luget Academia doctorem Literarum amantissimum atque utilitatis civium Academicorum promovendae studiosissimum, lugentque Professores collegam conjunctissimum. Et merito quidem. Nam et commodus fuit omnibus et valde comis in amicitiis obsequio tuendis, benevolens omnino erga discipulos, nec non humanitatis observantia morumque facilitate insignis. Si vero minus fortasse ejus pervulgata sit fama, haud tamen parvi facienda est doctrina, cujus specimina dedit cum aliis scriptis [1]), tum maxime editione, adnotationibus illustrata, Manuscripti *vitam Jesu* continentis, saeculo XIII compositi. Laudanda inprimis est vita ejus domestica atque privata, cum domi suae ad scientiam ipse suas erudiverit filias, et tam sermonibus quam virtutis suae exemplo a teneris inde earum pectora Religionis honestatisque studiis imbuerit.

At vero Meijeri vita defuncti mox paulo laudes condidit in Diario publico [2]), inque collegae funus nobiscum lugens prodiit collega ille dilectissimus, cujus, eheu! nunc etiam lugemus obitum. Vana fuerunt vota, quae pro vita ejus et nos fecimus et fecerunt omnes Literarum amantes. Hoc ipso anno (hujus saeculi XLIX) Bartholdus Hendricus Lulofs [3]), exantlatis semestri morbo viribus, jam expleto aetatis anno supra sexagesimum secundo, die XX mensis Junii, hora octava vespertina aevi spatium finivit.

---

[1]) Secundum indicem, quem Meijerus ipse confecit, ejus scripta commemorabimus infra.

[2]) Groningsche Courant, d. 24 Novembr. a. 1848.

[3]) Eques Ordinis Leonis Nederlandici, Philosophiae theoreticae Magister, Juris utriusque et Literarum humaniorum Doctor, in Facultate Phil. theor. et Litt. hum. Professor ordinarius, multis Societatibus Literariis socius adscriptus.

Natus est anno MDCCLXXXVII, die XVII mensis Martii Lulofsius parentibus honoratissimis *Zutphaniae*, ubi puer Literarum imbutus rudimentis, deinde adolescens in Gymnasium deductus elegantioribus studiis operam dedit, quibus ad scholas Academicas praepararetur; atque eo quidem successu in illa incubuit, ut jam anno hujus saeculi quarto in hac doctrinarum Universitate inter cives Academicos inscriberetur. — Tantos autem progressus hîc fecit tam in Literis et Philosophia, quam in Jurisprudentia, ut anno h. s. nono, post defensam dissertationem philosopham *de Libertate*, utriusque Juris Doctor renunciaretur. Tum vero ad annum usque h. s. undecimum in urbe natali Causarum Patronus extitit, et inde porro ad annum decimum quintum, Justitiae Vindici adjunctus, juris tuendi munere functus est.

Interea autem, se totus ad eloquentiam accommodans, edendis studiorum fructibus [1]) jam ingenii doctrinaeque praestantiam prodidit. Ergo ei haud diu post, anno h. s. decimo quinto, oblata est in hac Academia tum Eloquentiae, tum Literarum Nederlandicarum cathedra, quam inauguravit d. XV m. Novembris publica oratione, vernaculo sermone habita, *de studio vernaculae linguae literarumque, cuique nationi necessario ad auctoritatem sibi vindicandam et gloriam* [2]). Atque dehinc per triginta tres annos eam cathedram et assidue et mirifice ita ornavit, ut elegantiorum Literarum studia proferret, suaeque fructus institutionis uberrimos effunderet.

Namque vitam ille vere consumsit in literis, modo in scholis docendo aut aliis in locis orando, modo in studia domi incumbendo, tum ingeniosis aliorum libris, quorum quasi heluo fuit, ad suam augendam doctrinam attente consulendis, tum etiam in aliorum, maxime studiosae juventutis utilitatem componendis varii argumenti scriptis, quorum plurima insolitis ingenii ornamentis lita sunt, et quae cuncta sua forma, tenore ac proprietatibus semper fere ipsam Lulofsii indolem referunt. Et vero de

---

[1]) Tum itineris anno MDCCCVIII per partem Germaniae facti descriptione, tum prosa Poematis Vossiani, quod *Louise* inscribitur, traductione: illa nono, haec decimo hujus saeculi anno typis pervulgata.

[2]) „Over de noodzakelijkheid van de beoefening der eigene taal en letterkunde voor de zelfstandigheid en roem eener natie;" quae oratio et Annalibus Academiae Groninganae inserta est, et separatim edita.

multa nocte saepe vigilabat; diu elimabat, quae scripserat; ac vix absoluto opere, aliud deinceps prospiciebat.

Quis vestrum est, AA., quem lateat quot et quanti pretii libros Lulofsius conscripserit? Nolim autem in recensendis iis nimius videri [1]); at silentio praeterire non possum opus, insigne tum ingenii et experientiae, tum judicii atque ordinis praestantia, *de arte declamandi et recitandi;* quod opus, postremo tempore confectum, tanquam externae suae eloquentiae obrussam posteritati mandavit.

Eandem profecto, atque elaborandis scriptis, dictioni adhibuit diligentiam. Nam, licet multiplex esset ejus oratio, verborum splendore repleta, vox item splendida et tam suavis quam magna, linguam tamen continuo procudere solebat. Hinc in dies magis et arte dicendi et doctrinae copia enituerunt ejus studia; iisque aliisque dotibus factum est, ut in Eloquentiae cultoribus principem, in Poetis Patriae insignem sibi locum vindicaverit. Tanta autem fuit ejus disserendi facultas, ut, sive in Auditorio Academico, sive in alio loco publico, sive in acroasi, nunc prorsa, nunc vorsa fecisset verba, semper in auditorum mentibus aculeos relinqueret. Quod autem inprimis Academiam spectat, frequens semper erat in ejus scholis Studiosorum corona, quorum permulti quoque, elegantia viri et eruditione capti, ad eum plures annos ventitabant. Omnes ille cum exemplo, tum institutionis solertia vinciebat, plerosque facundiae sapore inficiebat, adeo ut in sermone complurium, qui ex ejus disciplina prodierunt, splendida liberae imitationis vestigia conspiciantur.

Uti doctrina, ita etiam moribus sibi Lulofsius discipulos, collegas, cives conciliabat. Quamquam sui judicii tenax magis, quam alieni sequax, aliorum tamen opinionibus suae oppositis facile indulgebat; sed cum esset ab adulatione alienus, adulantium laudes spernebat, nec aliis unquam ipse blandiebatur; at contra saepius cum libera severitate uti laudabilia laudabat, ita perversa vituperabat. Fuit in eo quippe cum austera suavitate veri conjunctus sensus, libertatis amor atque omnino benevola et vere humana indoles.

---

[1]) Recensebimus infra illius scripta secundum indicem a viro doctissimo Guil. Heckero confectum.

Praeterea vir ille probus et frugi, de rebus vernaculis valde sollicitus, uti primam uxorem, jam pridem morte amissam, summo complexus erat amore, ita et alteram, nunc ei superstitem, conjugiique pignora toto animo diligebat; quibus ut vitae commoda provideret, nullos unquam recusavit labores. Quin etiam aerumnas vitae, quibus humana consuetudo undique premitur, forti animo pertulit. Quamvis enim in rebus parvis et levibus aliquando reduviam curaret, in arduis tamen aequam meminerat servare mentem. Quod inprimis patuit, cum conquassata jam totius valetudine corporis, vix ulla salutis ei spes superesset. Et vero, quamquam depositus, sibi tamen ipse placatus, ad limina mortis usque singularem animi praesentiam praestitit, benignitatisque divinae fiduciam habuit. Paulatim autem anima deficiente, lumina tandem clausit placida morte, non quidem a primo morbi impetu [1]), sed lento virium languore profecta.

Utinam longiorem nobis hujus viri usuram fatum concessisset! Et concessurum diu speravimus, nec praevidebamus infirmitatem ante hos novem menses, quum satis firmo corpore sanus, Meijero mortuo, ipse tradendae Historiae Patriae negotium publice suscepisset. Spes autem fefellit omnes, tam propinquos quam amicos; quibus tamen tanquam solatium datum est, grata cum memoria prosequi. Et vero, cum exsequiae celebrarentur, magna collegarum, discipulorum civiumque, eruditione et dignitate nobilium, comitante caterva, nec Lulofsio amoris testimonia defuerunt, nec doctrinae ac honestatis praeconia. Quae cum universe magnis viris debentur, tum illi maxime, qui non solum plurimos institutione ad vitam laude dignissimam informavit, sed quosdam etiam per elogia sua coelo tenus extulit: Guyotium, inquam, surdidate mutorum antistitem meritissimum [2]); Staringium, poetam Gelriae insignem; Guilielmum I, Reipublicae Batavae conditorum illustrissimum. Talium virorum laudatoris, Lulofsii gloriam nulla inobscurabit oblivio!

Quis vestrum, AA. HH., facta Guilielmi I, Auransii Principis mentione, non recordetur alterum Guilielmum, illius de stirpe nepotem,

---

[1]) Vomica diu laboraverat.

[2]) Qui Institutum, quod Groningae est, surditate mutorum educationi destinatum, fundavit.

hujus aevi heroem inclytum, in Regibus Regni Nederlandici tam nomine quam ordine *secundum*, inopinata morte, (d. xvii m. Martii, hoc anno), moerenti Patriae ereptum?

Lugent Regem desideratissimum inconsolabilis Uxor, Frater, Liberi, tota Regia domus. Lugent omnes Regni incolae Statorem Patriae augustissimum [1]); qui cum in aliis, tum ultimis certe Civitatis calamitatibus, aut bellica virtute, quam victoriis coronavit atque effuso sanguine sancivit, aut moderato rerum publicarum regimine, admirantibus Europae gentibus, palam fecit, se totum in eo semper fuisse ut prodesset Patriae.

Et permagna quidem in eam fuerunt Guilielmi II merita; quae tamen quo minus sermone persequar, et tempore prohibeor et maxime facultate; nec nostro praeconio ille indiget, qui suis ipse factis indelebile nomen assecutus est.

Quum autem tristissimo Regis augustissimi obitu tota Patria gravissimam fecisset jacturam, haud diu tamen anxii haeserunt civium animi; namque spes eos obtentabat fore ut, quod damnum lugentibus irreparabile visum esset, a Filio defuncti Guilielmo III resarciretur. Nec eam spem fefellit eventus. Obmutuit dolor. Moeroris causas susceperunt praesagia gaudii. — Dimittamus igitur tristia, et veniamus laeti ad laetiora.

Patria nostra, grassantibus undique duobus diversi generis morbis, quorum altero animi, altero corpora labefactantur, si ab exitiosa cholerae calamitate non fuit immunis, immunis tamen fuit a contagione seditionis, qua plurimae hoc anno et proximo infectae fuerunt Europae regiones.

In laetis igitur primo loco memoranda est mutua Regis ac Populi omniumque Ordinum conspiratio in tuenda Legum integritate; quae tantum valuit, ut et Regia auctoritas et publica libertas, (quae toto coelo differt a vulgi licentia), magis in dies magisque confirmaretur. Quod illo maxime apparuit die, quo celebrata est Guilielmi III festiva inauguratio, summa cum gratulatione civium atque observantiae testificatione. Nec mirum: nam, quod statim, ut jure suo Regni habenas capessiverat,

---

[1]) Nostra etiam Academia gerendis vestimentis funebribus publice moeroris ac luctus testimonium reddidit.

Rex augustissimus sua sponte professus erat, id tunc quoque publice ac solenniter pollicitus est et confirmavit: omnes vitae annos se consumere velle in Patriae vel commodo vel ornamento.

Quam ob causam magna nobis spes est fore, ut tali sub auspicio increscat Civitatis prosperitas, fructibus compensetur popularis industria, ingenuo Religionis cultu et publica juventutis institutione tum moribus emolliendis tum humanitati excolendae prospiciatur, artium denique doctrinarumque studia promoveantur. Et vero, Regem augustissimum, ut aliarum rerum, quae Patriae prosint, ita quoque Literarum generosissimum esse Fautorem, tum neminem latet, tum nos coram experti sumus, quos Senatus Academicus Hagam-Comitis delegaverat [1]), ut ejus nomine Regi de suscepto Regni moderamine gratularemur. Cum enim hac gratulandi opportunitate Regiae benevolentiae tam universe publicam institutionem, quam peculiarius, non solum nostram, sed duas alias etiam Patriae Academias commendassemus, ipse Rex augustissimus disertis ac gravibus verbis declaravit, se maximi facere sibique cordi esse populum, qui disciplinae studio ac juris observantia ceteris Europae gentibus praeclarum exemplum imitandum praebuerit, suumque significavit propositum Institutis Academicis patrocinandi.

Jamque igitur animum extollamus, ex eo tempore depressum, quo periculum immineret, ne multum detrimenti caperet Respublica literata; atque causam nostram in tuto nunc esse eo certius confidamus, quo certiores facti sumus, non solum septem viros illos, (in his collegam nostrum Baart de la Faille), quibus anno superiori Institutionis Medicae leges concipiendi munus impositum fuerat, sed decem etiam viros alios, (in his Grotium nostrum), quibus Minister Regius, rebus Regni internis praepositus, universas leges Academicas concipiendas demandaverat, suo jam ita defunctos esse officio, ut tribus in Patria vigentibus Literarum Universitatibus maximos inde fructus capiendos esse sperare liceat: quatenus nimirum eorum omnium conaminibus via aperta sit jam publice dijudicandi, quid ex hujusmodi conceptis legibus rejiciendum, quid eligen-

---

[1]) Mecum (Rectore Magnifico) delegati fuerant viri clarissimi Muurling (Senatui ab Actis), Star Numan et Enschedé.

dum sit, aut emendandum, ut ea tandem, quae singulis pariter Academiis ex aequo debentur iisque prodesse possint, legitima auctoritate stabiliantur.

Neque meliori sane augurio, quam hoc Regis patrocinio exspectetur instauratio novi Aedificii Academici, quod jam nunc formae decore spectabile est, et quod, (quum multis opus sit actum structoribus, neque maximis ad hoc perficiendum Urbs et Provincia Groningana pepercerint sumtibus, et vero novos impendere pergant), proximo quidem anno absolutum iri autumamus. Utinam Deus hanc rem feliciter evenire jubeat!

Interea suo quaeque loco solito Academiae Instituta manent; doctrinarum aut instrumenta aut subsidia optime cuncta servantur, eorumque copia crescit assidue.

Hortus Botanicus hoc anno inprimis locupletatus est tum lauta accessione *Palmarum*, tum etiam eximio specimine *Filicis arboreae*, quam *Angiopteridem evectam* vocant: quae plantae, ex insula Java huc vectae, optimeque conservatae, etiam nunc alacriter vigent. Floruit etiam, uti alterum anno hujus saeculi XXXI floruerat, hac aestate alterum exemplar illius plantae memorabilis, quae *Agave Americana* dicitur.

Bibliotheca, quae magna voluminum copia hoc anno aucta est, super haec nitidissimo donata est versionis *Maerlandianae* Sacrorum Veteris ac Novi Foederis librorum Manuscripto, quod Staringii haeredes olim Lulofsio cesserant, hic autem suae erga Academiam Groninganam pietatis pignus post obitum esse voluit.

Ceteris Academiae emolumentis recensendis supersedeo. Florent omnia Musea, aliaque institutionis Academicae ornamenta; quae singula et quotannis ditescunt nova rerum utilium accessione, et artium disciplinarumque studiis abunde satisfacere pergunt.

Quodsi in his omnibus adservandis Scientiae subsidiis iisque discentium usui accommodandis agnoscenda est Professorum, Lectoris, aliorumque diligentia, ad quos illarum rerum pertinet administratio: grato etiam animo agnoscamus oportet virorum amplissimorum, hujus Academiae Curatorum, in librorum copia Musarumque supellectile augenda munificentiam et assiduitatem; quorum adeo cura, conspirantibus Academiarum Lugduno-Batavae et Rheno-Trajectinae Curatoribus, brevi fiet, ut Annales Academici, ante hos aliquot annos interrupti, jam continuati reviviscant.

Hac autem opportunitate praeprimis celebranda est summa in augendis Institutionis Academicae emolumentis liberalitas et beneficentia Collegii Ordinum Provincialium; quibus auctoribus decretum est, ut Provincia Groningana super immensas illas ante jam factas, non solum novas denuo impensas easque magnas [1]) conferat ad Aedificium Academicum absolvendum, sed ingentem adeo impendat pecuniam [2]), tam ad Artis Salutaris studia promovenda, quam inprimis ad aegrotorum commodis inserviendum. Nec dubium est, quin et ipsa Urbs Groningana iis sua adjunctura sit impendia ex decreto Magistratus Urbani, quem hisce diebus hac de re deliberaturum esse certiores facti sumus. Quare illis viris, optime de Academia meritis, solenniter hîc Universitatis nomine publicas solvo gratias. Sit iis remunerationis instar et ipsorum optimi facti conscientia et grata posteritatis memoria.

In Collegio Curatorum hoc anno quaedam facta est mutatio. In locum viri honoratissimi van Ittersum, consulari munere defuncti, vir nobilissimus van Imhoff et consul creatus et Curatoribus adnumeratus est. — Quemadmodum, vir amplissime van Imhoff! ab antecessore tuo id idem benevolentiae studium, quo, quum curator esset, Academiae commodis servire solebat, etiam nunc exspectamus, adaeque nobis persuasissimum est, Te quoque bonarum artium ac disciplinarum emolumentis toto semper animo esse prospecturum.

Nec aliam profecto habemus de Te fiduciam, vir amplissime van Panhuys! qui in locum Feithii, vita defuncti, ab augustissimo Rege curator declaratus es!

Toto libens pectore Vobis gratulor, et vero Academiae grator de hac vestra dignitate; quin etiam audeo Vobis ceterisque Curatoribus hîc solenniter commendare tum doctorum ac discentium commoda, tum maxime disciplinarum tutelam.

Atqui merito vobis, AA. HH. ejusmodi commendatio videatur supervacanea, ubi suis ipsi factis auctores sese commendent. Et id quidem praeterea Curatorum diligentiae debemus, ut in Eloquentiae et Literarum

---

[1]) Triginta sex millia florenorum.

[2]) Semel quippe quindecim millia florenorum, ac deinceps quotannis mille et ducentos florenos.

Nederlandicarum cathedram, Lulofsii tristi obitu vacue factam, ex decreto Regio jam suffectus sit vir doctissimus Mathias de Vries Philosophiae theoreticae Magister et Literarum humaniorum Doctor; cujus in hoc consessu praesentiam vehementer desideramus. At absens tamen hîc accipiat vir ille clarissimus publicam animorum gratulantium significationem, persuasumque habeat, nos omnes ejus, collegas collegae, amicos amici esse cupidissimos, avide sperantes fore, ut mutui obsequii studiorumque vinculo conjunctis nostris ejusque viribus, magis in dies magisque Academiae splendor augeatur.

Dolemus quoque Roversii nostri absentiam, qui Regis venia se initio mensis superioris [1]) cum uxore et gnato, ut hujus valetudini prospiciat, in australem Galliae partem contulit, annum apud exteros versaturus. Utinam haec patris conamina bene verruncent filio!

At, Roversio absente, ne quid detrimenti caperent studia Historica, tum illius ipsius cura, tum etiam Curatorum benevolentia provisum est. Namque ex auctoritate Regia tam Historiae Universae quam Antiquitatum scholae, per hunc annum habendae, Guilielmo Heckero, Academiae Lectori doctissimo, demandata sunt. Quam provinciam laetamur Tibi, Lector amicissime! esse traditam, cum nobis compertum sit de tua doctrina et diligentia; quare haud dubium est, quin ad Academiae florem eo, quo semper flagrasti, Literarum amore, jam Roversii ingressus vestigiis, omnem operam sis navaturus.

Desideramus praeterea praesentiam duorum Curatorum, virorum amplissimorum van Swinderen van Rensuma et Gockinga; qui jam provecti aetate, ob infirmam valetudinem domi retinentur. Iis autem precamur ut laetam senectutem fortunet vitae de Patria bene meritae recordatio!

Quam libenter denique ex hoc suggestu salutare vellem veteranum Academiae nostrae militem, omnium Professorum tam aetate quam officio veterrimum! At vero virum clarissimum Cornelium de Waal, qui postquam per quadraginta circiter annos hac in Academia Philosophiam docuerat, cum rude donatus esset, se Amstelodamum Literarum otio fruiturus abdidit, hisce diebus morbo tentari gravissimo, sed, quod decet

---

[1]) Die v m. Septembris, a. MDCCCXLIX.

philosophum, asperos dolores modice et sapienter ferre, nuntius ad nos retulit. Faxit Deus, ut superata morbi violentia collega ille venerabilis, licet aetate praecipitata, salvus diutius suis servetur; aut, si vitae Optimo Moderatori aliter placuerit, placide moriens fragilitatis incommodis liberetur, aeternae vitae deliciis fruiturus!

In laetis autem merito etiam commemoremus restauratam plurimorum salutem. — Nam ante hos aliquot menses periculoso morbo vexatus, collega conjunctissimus van Swinderen longi tormenta doloris initio passus est, dein graviter diu se habuit, sensim vero sensimque ei melius factum est, ac tandem omnes fere restitutae vires. — Vir amplissimus Rengers virque clarissimus Hofstede de Groot, aegrotationis incommoda aliquamdiu experti, tandem feliciter morbi molestiam superaverunt. — In eorum numero, quibus cholera perniciem intentavit, fuerunt etiam duo collegae aestumatissimi, alter, Nienhuis, leviori, — alter, Muurling, graviori modo tentatus, uterque tamen medio e discrimine mortis feliciter reductus. — Denique vir clarissimus Sebastian ante has aliquot hebdomadas graviter aegrotare coeperat; jam vero convalescit. Utinam addere possem: publicum docendi negotium illum brevi esse resumturum! Malum Deus omen obruat! Atque ita consulant ii, quibus saluti publicae prospiciendum est, hujus etiam Academiae commodis adjungendo Medicae Facultatis Professoribus quarto socio, ut adlevato muneris onere collega ille aestumatissimus eidem Facultati et arte sua et doctrina ornamento esse pergat! — Interea gaudeo, et hujus viri amicissimi vires ex morbo jam refici, et aliorum, quos recensui, virorum exoptatissimorum valetudinem ab aegrotationis tentationibus esse confirmatam; immo vero Academiae gratulor, quod plerique omnes hîc salvi adsunt atque incolumes, quos aut curandi munere aut docendi officio Literarum constringit utilitas.

Nec silentio praeterire licet faustae quaedam fortunae munera, quae nonnullos e nostris hoc anno bearunt: nuptias filiae dilectissimae parentibus laetantibus celebratas; — binorum conjugum delicias blanda auctas pignorum carissimorum adeptione; — felicitatem collegae, ante biennium prima uxore viduati, jam exhilarato animo secundis nuptiis cum altera vitae socia conjuncti; — honores denique, quibus Rex augustissimus tres viros meritissimos ornare constituit: quorum duo primi, vir amplissimus van Panhuys

et vir clarissimus Pareau Ordinis Leonis Nederlandici equites creati sunt; postremus autem, vir consularis van Ittersum Ordini Querceae Coronae adscriptus est Magister equitum lemniscatus. — Omnibus hisce horum omnium fortunatorum rebus prosperis vos certe cuncti mecum, AA. congratulamini, Deumque precamur, ut ad extremam usque senectutem uberrimos inde fructus percipiant.

Jam vero tempus est ut ea commemorem, quae specialius spectant discentium coronam.

Studiorum industria morumque decentia Cives Academici sese plerique commendarunt, mihique, tot saepius curis aliorumque calamitatibus sollicitato, leviorem et vero gratissimum reddiderunt magistratum. Praedicabilem quoque inter eos saepe observavimus praecertationem, *maxime in* praestando obsequio Professoribus debito, cujus indicia palam exhibere solent; atque hoc ipso die, solenni pompa, coruscantibus facibus, vesperna symphoniarum modulamina tam Curatorum Collegio quam Senatui Academico offerent eo consilio, ut et mutuam docentium ac discentium concordiam celebrent et suam ipsorum observantiam publice testificentur.

Scholae frequentatae sunt in universum assidue; nec negligentes fuerunt Roversii tum absentis discipuli, quum in illius vicem a me quidem Historiae, ab Heusdio autem Antiquitatis provincia per duos menses administraretur. Praeterea eorum, qui hoc anno eruditionis probandae periculum fecerunt, plurimi institutis disquisitionibus egregia suae doctrinae specimina dederunt. Splendidissima vero singularis eruditionis et diligentiae documenta statuerunt duo juvenes praestantissimi, hujus Academiae alumni [1]), reportandis e certamine Literario victoriae palmis. Sed audiamus ipsa singularum Facultatem de Quaestionibus anno superiori propositis judicia. Quae jam praelegere velis, vir clarissime! qui Senatui es ab Actis.

[*Judicia de hoc certamine Literario leguntur.*]

Itaque huc jam accedite, viri juvenes praestantissimi! ut, cum ad calcem feliciter sit decursum, vestris vicem reddam meritis. Te autem, Meursingi!

---

[1]) Medicinae Candidatus Nicolaus Meursinge, *Leovardiensis*, et Theologiae Candidatus Adrianus Ludovicus Poelman, *Appingedamensis*.

solum accedere video, tuumque commilitonem, ob levem infirmitatem jam domi retentum, desidero. Tu igitur meo nomine ad eum referas, haec ecce, quae victoribus debentur, aurea laudis praemia me vobis amica manu jam tradere solenniter. Laetor, et mecum omnes laetantur Professores. Magnam enim nobis accivistis voluptatem adjungendo ceteris vestris in vario doctrinarum genere progressibus hoc praeclaro studiorum vestrorum monumento. Macti este ingenio, virtute, industria! Vivite felices, atque in dies magis tam bonis moribus quam studiis severioribus ita proficite, ut et alii ad vestram imitationem se conferant et vos ipsi ad aliorum felicitatem quam plurimum conferatis.

Quod superest, a Rege augustissimo successorem mihi designatum, virum clarissimum Jacobum Hermannum Philipse, Juris Romani et Hodierni Doctorem atque in Facultate Juridica Professorem ordinarium, hujus Academiae Rectorem Magnificum proclamo et renuncio.

Salve jam, Collega conjunctissime! cui lubens et gratulans haec trado auctoritatis tuae insignia Academica. Utinam Tibi jucundissimus reddatur magistratus tam discipulorum quam collegarum conjuncto doctrinae et amicitiae studio. Utinam totus tui muneris annus felix eat, ac Te Rectore crescat, vigeat floreatque Academiae nomen dignitatis praestantia!

Adnue hisce votis numen tuum, Deus Optime Maxime, Cui sempiterna laus sit, honos, gloria!

INDEX SCRIPTORUM

A

GERARD. JOHANN. MEYERO

EDITORUM.

A°. 1808. Verhandeling over William Shakespeare, in van Hemert's *Lektuur voor 't ontbijt en de theetafel*, X stuk.

1809. Redevoering over Friedrich von Schiller.

1810. Verhandeling over den Portugeschen dichter Luis de Camoëns en deszelfs heldendicht: *Os Luciadas.*

1812. Redevoering over de vorderingen der Aardrijkskunde, met een slotvers van J. F. Helmers. (Conf. Helmers, nagelaten Gedichten, tom. II, p. 105.)

1813. Over Francesco Petrarca, als Italiaansch dichter.

1814. Lofrede op Jan Frederik Helmers.

1815. Romeinsche nachten bij het graf der Scipio's. Uit het Italiaansch vertaald, met aanteekeningen, 2 deelen.

1816. Over den Spaanschen geschiedschrijver D. Juan Bautista Muñoz.

1817. Verhandeling over Miguel de Cervantes Saavedra.

1818. Redevoering over den invloed der zeevaart op de Nederlandsche taal.

1819. *Eerste* Nederduitsch leesboek, ten gebruike van het openbaar onderwijs in de Zuidelijke Provinciën. (Quinta editio 1828.)

1819. Redevoering over de verpligting der Noord-Nederlanders, die in België gevestigd zijn, om, door duidelijkheid en zuiverheid van taal, een goed voorbeeld te geven.

1819. Les verbes irréguliers Hollandais, tant simples que composés; avec une explication Française. (Tertia edit. 1830.)

1820. Grammaire Hollandaise; à l'usage de l'instruction publique. (Quinta editio jam typis erat mandata, quum a. 1830 seditio Bruxellis exorta est.)

A°. 1821. *Tweede* Nederduitsch leesboek, ten gebruike van het openbaar onderwijs in de Zuidelijke Provinciën. (Quarta ed. 1829.)

1822. Redevoering over de beoefening der Nederlandsche taal, het beste middel ter bevordering van ware vaderlandsliefde. (Quae oratio Annalibus Academiae Lovaniensis inserta est.)

1835. Het leven van Jezus. Een Nederlandsch handschrift uit de 13de eeuw; met taalkundige aanteekeningen, voor het eerst uitgegeven.

1836. Oude Nederlandsche Spreuken en Spreekwoorden; met taalkundige aanteekeningen.

1837. Collatie van twee fragmenten van twee verlorene handschriften van J. van Maerlant, enz. (In novis Operibus Societatis Literarum Nederlandicarum Lugduno-Batavae, tom. V.)

1837. De zeven Boetpsalmen, en andere Stukken, berijmd in de eerste helft der 14de eeuw; met aanteekeningen. (In nov. Operib. Societ. Lit. Nederl. Lugd. Bat. tom. V.)

1838. Nalezing op „Het leven van Jezus;" Verslag van den Roman van Walewein; en Fragmenten.

1839. Novellen van L. L. Blicher. Uit het Deensch vertaald.

1840. *Duveke*, treurspel van Samsoë. Uit het Deensch vertaald.

INDEX SCRIPTORUM

A

BARTH. HENDR. LULOFSIO

EDITORUM.

A°. 1809. Dissertatio Juridica *de Libertate.*

1809. Reis door een gedeelte van Duitschland. (Opus, bis editum, atque etiam in linguam Germanicam versum.)

1810. Vertaling van de *Louise* van Voss, (soluta oratione).

1815. Inwijdingsredevoering over de noodzakelijkheid van de beoefening der eigene taal en letterkunde voor de zelfstandigheid en roem eener natie. (Quae oratio Annalibus Academiae Groninganae inserta, sed etiam separatim edita est.)

1817. Schets van een overzigt der Duitsche taal, etc.

1819. Handboek over Nederlandsche spraakkunst, stijl en letterkennis. (Altera editio, 1831.)

1820. Nederlandsche Redekunst. (Altera editio, 1831.)

1820. Lofrede op Prins Willem I. (Quod opus aureo praemio ornavit Societas, quae dicitur *Hollandsche Maatschappij van fraaije Kunsten en Wetenschappen.)*

1821. Redevoering over den omvang en de uitgebreidheid van het vak der Nederlandsche Letterkunde en Welsprekendheid.

1822. Akademische Voorlezingen over eenige paragrafen van de Nederlandsche Redekunst.

1826. Vlugtige woorden over Nederlandsche taalzuivering en taalverrijking.

1827—28. Reistogtje naar Hamburg, etc. 2 dln.

1828. Gedenkrede op H. D. Guyot.

1829. Toelichtingen en Bedenkingen op J. Bowring's aanmerkingen, etc.

1830. Drie proeven van opheldering over J. van den Vondel.

1830. Feestrede ter herdenking van den akademischen leeftijd.

1832. Gronden der Nederlandsche woordafleidkunde.

A°. 1832—37. Hugo Blair's lessen over de Redekunst, met vele aanteekeningen vermeerderd; 3 dln.

1833. Fragment over de doodstraf, naar Victor Hugo.

1833. Reis naar Baden-Baden.

1835, 37. Kort overzigt van de Geschiedenis der Nederlanden; 2 dln.

1838. J. van den Vondel, door geschiedkundige inleidingen, omschrijvingen in proza en aanteekeningen, in eenige zijner kleinere gedichten opgehelderd.

1839. Oratio de eloquentiae exterioris, quam vocant, interiorisque consensu, etc. publice dicta, d. XI m. Octobris, cum Rectoris Magnifici provinciam deponeret. (Annalibus Academicis inserta, et separatim quoque edita.)

1840. Zamenspraken van Desiderius Erasmus.

1841. Kakographie, etc.

1843. De voortreffelijke Dichter, Letter- en Landhuishoudkundige Mr. A. C. W. Staring van den Wildenborch, in zijn leven, karakter en verdienste geschetst, met portret en facsimile.

1845. Handboek van den vroegsten bloei der Nederlandsche Letterkunde, of proeven uit Nederlandsche Schriften der dertiende en veertiende eeuw.

1847. Verhandeling over den tijd van den eerst regten aanvang en vroegsten bloei onzer oude bepaaldelijk gezegde Nederlandsche Letterkunde, etc.

1848. De Declamatie of de kunst van declaméren of recitéren, etc.

POEMATA.

1817. Dichtregelen ter sluiting van het 25jarig feest van het Departement Groningen der Maatschappij tot Nut van 't Algemeen, den 8sten van Louwmaand 1817; (qui versus una editi sunt cum Oratione Feithii, a. 1819).

1818. Dichterlijke uitboezemingen bij het verlies van gade en kind; 2 stukjes.

1820. Watersnood.

A°. 1821. Een paar dichtregelen op den dood van Borger.
1822. Avondmijmering.
1824. Lijkkrans bij den dood van H. Muntinghe.
1826. Ter nagedachtenis van Mr. N. W. Schroeder Steinmetz.
1829. Dichtregelen ter inwijding van het gedenkteeken van H. D. Guyot.
1830—31. Aan de Groninger en Franeker Studenten-Compagnie, en andere kleinere stukjes tot den tiendaagschen Veldtogt betrekkelijk.
1834. Gedicht in vijfvoetige rijmlooze Jamben bij het Jubelfeest der Maatschappij tot Nut van 't Algemeen.
1837. Lofdicht op J. van den Vondel; voorgelezen in de openbare zitting der tweede Klasse van het Koninklijk-Nederlandsche Instituut, etc.
1842. Dichtregelen bij het 50jarig bestaan van het Departement Groningen der Maatschappij tot Nut van 't Algemeen.

Confecit Lulofsius *et alia, quibus recensendis supersedeo, varii argumenti parva poemata, in quibus quaedam Belgice translata* Schilleri Goethei*que carmina.*

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA GRONINGANA

DIE 31 DECEMBRIS 1848

FUIT 225,

Quorum Philosophiae theoreticae et Literis humanioribus operam navabant	65.
In his autem numero *triginta* qui ad Theologiae, *viginti et tres* qui ad Jurisprudentiae studia sese praeparabant.	
Jurisprudentiae	86.
Medicinae	39.
Disciplinis Mathem. et Physicis	13.
In quibus *novem* ad praeparanda Medicinae studia.	
Theologiae	22.
	225.

SERIES
DISSERTATIONUM DEFENSARUM
IN ACADEMIA GRONINGANA
1848—1849.

Anno 1848.

d. 20 Dec. hora 12, SYBRANDUS WITTEVEEN, F. FIL., ex pago Metslawier Frisius, defensis Quaestionibus Juris inauguralibus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

d. 22 Dec. hora 10, JACOBUS HERMANNUS NAUTA, ex pago Lutjegast Groninganus, defensis Thesibus Juris inauguralibus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Eodem die hora 11, EVERHARDUS VAN LOON, Appingedamensis, defensis Quaestionibus Juris inauguralibus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est *cum laude.*

Anno 1849.

d. 3 Febr. hora 11, FREDERICUS HENRICUS SCHULTZE, Palembango-Sumatraënsis, defensis Quaestionibus Juris inauguralibus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

d. 10 Febr. hora 11, Vir venerandus, S. M. Candidatus EGBERTUS HENRICUS TENCKINCK, ex pago Tzum Frisius, defensis Quaestionibus Juris inauguralibus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est *magna cum laude.*

d. 3 Mart. hora 5, Vir Doct. FRANCISCUS HESSEL, Heerenveen-Frisius, Med. Doct., defensis Thesibus argumenti Obstetricii, artis Obstetriciae Doctor creatus est *magna cum laude.*

d. 31 Mart. hora 10, BERNARDUS OOSTING, Assena-Drenthinus, defensis Quaestionibus Juris inauguralibus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est *magna cum laude.*

Eodem die hora 11, JOHANNES VICTOR CHRISTIANUS WICHERS, ex arce Delfzyl, defensis Quaestionibus Juris inauguralibus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est *magna cum laude.*

Eodem die hora 5, Vir Doctiss. HENRICUS STEPHANUS DUSSELDORP, Med. Doct., defensis Thesibus argumenti Obstetricii, artis Obstetriciae Doctor creatus est *cum laude.*

d. 28 April., Vir Doctiss. PETRUS ALTING MEES, Med. Doct., defensis Thesibus argumenti Obstetricii, artis Obstetriciae Doctor creatus est *cum laude.*

d. 5 Maji, Vir Doctiss. WILHELMUS AUGUSTINUS THEODORUS WARREN, Med. Doct., defensis Thesibus argumenti Obstetricii, artis Obstetriciae Doctor creatus est *cum laude.*

d. 14 Maji, HENRICUS LAURENTIUS ALEXIUS BERNARDUS VROOM, ex pago Pekela Groninganus, defensis Dissertatione Medica inaugurali *de ruptura lienis spontanea*, eique additis Thesibus, Medicinae Doctor creatus est.

d. 11 Junii hora 4, Vir Doctiss. J. R. C. PENNINK, Med. et Art. Obst. Doct., defensis Thesibus Chirurgicis, artis Chirurgicae Doctor creatus est *cum laude.*

d. 19 Junii hora 12, JANUS GUILIELMUS JACOBUS DE VOS VAN STEENWYK, ex pago de Wyk Drenthinus, defensis Quaestionibus Juris inauguralibus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est, *magna cum laude.*

Eodem die hora 1, JANUS HERMANNUS VAN ROYEN, Zwolla Transisalanus, defensis Quaestionibus Juris inauguralibus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est *magna cum laude.*

d. 20 Junii hora 10, GERRIT RINSE VOORMEULEN VAN BOEKEREN, Groninganus, defensis Quaestionibus Juris inauguralibus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est *cum laude.*

d. 22 Junii hora 12, ARNOLDUS GULIELMUS ALINGS, Groninganus, publice defensa Dissertatione Mathematica inaugurali *de superficierum curvatura*, Matheseos Magist. et Philos. Natur. Doct. creatus est *magna cum laude.*

d. 28 Junii hora 10, FREDERICUS JOHANNES HENRICUS SORMANI, Groninganus, defensa Dissertatione Medica *de Gastromalacia*, Medicinae Doctor creatus est.

Eodem die hora 11, Martinus Jacobus Nieubuur, Harlingensis, defensa Dissertatione inaugurali Medica *de Zona*, Medicinae Doctor creatus est *cum laude*.

Eodem die hora 12, Johannes Hendrikus Rutgers, ex pago Breede, Groninganus, defenso Specimine inaugurali, exhibente *editionem libri Hippocratis de capitis vulneribus*, Medicinae Doctor creatus est *magna cum laude*.

d. 30 Junii hora 10, Auke Heeres Wartena, ex pago Terzool Frisius, defensa Dissertatione inaugurali *de ulcere pylori cum perforatione*, Medicinae Doctor creatus est.

Eodem die hora 11, Fredericus Constantinus van den Ham, ex pago Barneveld Gelrus, defensa Dissertatione inaugurali *de obscura diagnosi morborum renalium*, Medicinae Doctor creatus est *magna cum laude*.

Eodem die hora 5, Vir Doct. J. Veenhoven, Med. Doct., defensis Thesibus argumenti Obstetricii, artis Obstetriciae Doctor creatus est *magna cum laude*.

d. 27 Sept. hora 11, Georgius Mauritius Star Busman, Winschotanus, defensis Quaestionibus Juris inauguralibus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est *magna cum laude*.

Eodem die hora 12, Ernestus Jongsma, Leovardia-Frisius, defensis Quaestionibus Juris inauguralibus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est *magna cum laude*.

d. 5 Oct. hora 11, Cornelis Wichers Wierdsma, Leovardiensis, defensis Quaestionibus Juris inauguralibus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est *cum laude*.

ATHENAEUM ILLUSTRE

AMSTELAEDAMENSE.

ACTA ET GESTA

IN CONVENTIBUS CLARISSIMI ORDINIS PROFESSORUM ATHENAEI ILLUSTRIS AMSTELODAMENSIS.

INDE AB ANNO 1834 USQUE AD ANNUM 1849 [1]).

Anno 1834.

d. 11 Junii in Cl. Ordinis conventu recitatae sunt literae Curatorum significantes, Virum Cl. J. P. E. Voute, Professorem philosophiae theoreticae, matheseos, physices, Astronomiae et Chemiae, rogatu suo missionem honorificam accepisse, inque locum hujus Professorem matheseos, physices, Astronomiae et Chemiae creatum esse Virum Doctissimum, W. S. Swart; munus autem philosophiam theoreticam docendi cum titulo Professoris Ordinarii delatum esse Viro Cl. T. Roorda, functo adhuc munere Professoris extraordinarii linguarum literarumque et antiquitatum Orientalium, qui sub hoc titulo munere illo functurus esset durante vita Viri Cl. Jo. Willmet, quo defuncto demum conjunctim obtenturus esset utrumque munus sub titulo Professoris Ordinarii.

Significatum quoque iisdem literis, Virum Doctissimum W. H. de Vriese, qui adhuc Roterodami Med. Dr. et Botanices Lector fuerat, creatum esse Professorem in Ill. Athenaeo Botanices extraordinarium, eoque sub titulo functurum esse hoc munere, quamdiu Vir Cl. G. Vrolik munere Professoris Botanices ordinarii fungeretur; denique constitutum esse, ut si Vir Cl. F. van der Bregghen, Medicinae Professor, vel morte, vel vivus missione impetrata, munus

---

[1]) Visum est, ab anno 1834 hujus narrationis initium ducere, cum *Illustris Amstelodamensis Athenaei Memorabilia*, a Viro Cl. D. J. van Lennep edita, ad annum usque 1832 pertineant; sequens vero annus (1833) nihil quod memoratu dignum sit, attulerit.

illud derelinqueret, hoc conjunctim cum Professione Botanices et titulo Professoris Ordinarii Vir Cl. DE VRIESE obtineret.

d. 24 Junii introducti sunt in Cl. Ordinem novi Professores, Viri Cll. SWART et DE VRIESE, eodemque die, praeside Viro Cl. DEN TEX, ornatissimus vir juvenis J. VAN DE POLL, defendit scriptam ab se Disputationem Juridicam *de vi legis novae in criminum antea commissorum poenas, condemnationes et persecutiones.*

d. 26 Junii, eodem Viro Cl. praeside, ab ornatissimo viro juvene C. G. E. VAILLANT defensa est scripta ab eo Disputatio Juridica, exhibens *interpretationem locorum quorumdam Juris in Hugonis Grotii Epistolis.*

d. 7 Oct. in conventu Ordinis recitatae sunt literae ad eum d. 23 Junii a Viro Cl. J. P. E. VOUTE scriptae, quibus de abdicato ab se munere certiorem Ordinem faciens, gratam injicit mentionem pristinae suae cum illo necessitudinis, officiosaeque semper in se collegarum voluntatis, quam ut in posterum quoque ipsi servare velint, eos humanissime rogat; recitatum etiam quod ad eas literas Cl. Ordinis praeses, quique ab actis erat, responsum mittendum curaverunt significans dolorem Ordinis ob Viri Cl. discessum, addictumque semper ei, ut antea, collegarum animum.

d. 20 Oct. Vir Cl. W. S. SWART munus suum adiit Oratione inaugurali *de Chemia physicae auxiliis ad dignitatem scientiae evecta et physicae auxiliis ulterius perficienda.*

d. 10 Nov. Vir Cl. W. H. DE VRIESE Orationem inauguralem habuit *de progressu physiologiae plantarum prudenti naturam indagandi rationi tribuendo.*

Anno 1835.

d. 18 Junii, praeside Viro Cl. G. J. ROOYENS, ornatissimus vir juvenis J. J. PRINS defendit scriptum ab ipso Specimen hermeneuticum *de loco Evangelii Lucae II.* 25—32.

Anno 1837.

d. 21 Junii in conventu Ordinis nunciatum est, Virum desideratissimum Jo. WILLMET, d. 14 Octobr. a. 1835 vita functum, testamento suo sexcentos florenos legasse unde in usum Bibliothecae Civitatis publicae libri, maxime Orientalis literaturae, coemerentur, eique supremae Viri optimi voluntati jam plene satisfactum esse.

Anno 1838.

d. 3 Maji praesentes certiorem Ordinem fecerunt Curatores, Virum Cl. D. J. VAN LENNEP, cum alio munere publico, quod ei delatum erat, impediretur, quominus professorium, ut oportebat, exsequeretur, rogatu suo ita missionem honorificam impetrasse, ut immunis quidem esset ab necessitate lectiones habendi, sed tamen liberum ei relinqueretur, lectiones quas commodum ipsi foret, si expeterentur, habere, creatumque in locum ejus Historiae, Eloquentiae, poeseos, antiquitatum literarumque Graecarum et Latinarum Professorem, Virum Cl. JOANNEM BOSSCHA, e Regia militari Academia Bredana, ubi Historiarum literarumque Professor fuerat, in hanc stationem vocatum, qui, eodem illo d. 3 Maji in Cl. Ordinem introductus,

d. 6 Maji novum munus ipsi delatum adiit Oratione *de Historiae et literarum necessitudine.*

Anno 1839.

d. 15 Martii diem suum obiit Vir Cl. N. G. VAN KAMPEN, in cujus locum paullo post Historiae patriae et literarum Belgicarum Professor creatus est Vir Cl. HUGO BEYERMAN, eodem munere antea functus in Daventriensi Athenaeo. Is

d. 28 Oct. in Cl. Ordinem introductus, eodem hoc die Orationem suam inauguralem habuit vernaculo sermone: *de laude, quam Montesquivius Britannis tribuit, quod omnium populorum maxime religionem, liber-*

tatem et mercaturam in publicam utilitatem vertissent, rectius Batavis tribuenda (over den lof door Montesquieu aan de Engelschen gegeven, als hadden zij het meest van alle volken Godsdienst, Vrijheid en Handel ten algemeenen nutte aangewend, beschouwd als veeleer toepasselijk op de Nederlanders).

Anno 1840.

d. 25 Junii, praeside Viro Cl. DEN TEX ornatissimus vir juvenis F. F. KARSEBOOM, J. U. Cand., scriptum ab ipso Specimen Juris gentium et publici defendit *de navium detentione, quae vulgo dicitur* embargo.

Anno 1841.

d. 2 Nov. in conventum Cl. Ordinis introductus est Vir Amplissimus A. Q. VAN PERSYN, ab senatu Amstelodamensi Athenaei Curator creatus in locum Viri Amplissimi F. VAN DE POLL, qui reipublicae causa ab rege alio vocatus ex urbe migraverat.

Anno 1842.

d. 26 Jan. certiorem Ordinem fecerunt Curatores Virum Cl. G. VROLIK Botanices Professorem ordinarium rogatu suo missionem impetrasse honorificam, inque hunc ordinariae professionis titulum successisse Virum Cl. W. H. DE VRIESE.

d. 7 Aug. Regio decreto linguarum et literarum Orientalium Professor in Regiam Academiam Delphensem vocatus est Vir Cl. T. ROORDA, qui cum inde Delphos migrans suam in Athenaeo stationem vacuam reliquisset, in ejus locum earundem linguarum literarumque et Philosophiae Theoreticae Professor ordinarius factus est Vir Cl. P. J. VETH, cui illo nomine

Anno 1843

mense Januario in Cl. Ordinis conventum introducto gratulati sunt collegae.

d. 23 Febr. in locum Viri Amplissimi A. Q. VAN PERSYN, d. 8 Febr. 1842 defuncti, ab Senatu Amstelodamensi Illustris Athenaei Curator creatus Vir Amplissimus H. J. KOENEN a collegis in Cl. Ordinis conventum introductus est.

d. 27 Martii recitatae sunt literae Viri Cl. G. C. B. SURINGAR, in Instituto Clinico Amstelodamensi Medicinae Professoris ejusdemque in Ill. Athenaeo Professoris honorarii, nunciantes ipsum Regio decreto Leidam in medicinae cathedram vocatum, ei vocationi obtemperandum duxisse, ceterum non nisi peracto annuo cursu stationem Amstelodamensem ab ipso relictum iri, cui dolorem Ordinis ob jacturam, quam digresso illo Institutum Clinicum et Athenaeum factura essent, Viri Cll. praeses et actuarius significarunt.

d. 1 Maji Vir Cl. P. J. VETH orationem suam inauguralem habuit *de Religionis Islamiticae ejusque historiae studio a Theologis Christianis minime negligendo.*

d. 16 Oct. factus in Instituto Clinico Medicinae Professor, idemque in Athenaeo Professor honorarius, F. S. A. ALEXANDER, delatum sibi munus adiit Oratione vernaculo sermone *de conjungendo studio artis Medicae antiquioris cum recentiore* (over de verbinding van de studie der vroegere Geneeskunde met die van lateren tijd). Hic, cum jam

Anni 1844

d. 4 Aprilis praematura morte stationem illam suam vacuam reliquisset, in eam post aliquot menses vocatus est Vir Doctissimus P. H. SURINGAR, qui

d. 24 Nov. Orationem suam inauguralem vernaculo sermone habuit *de recte ordinanda institutione Clinica* (over de doelmatige inrigting van het Clinisch onderwijs).

Anno 1845.

d. 25 Sept. in locum Viri Amplissimi J. H. VAN REENEN, d. 3 Aug. defuncti, Illustris Athenaei Curator ab senatu Amstelodamensi creatus

Vir Amplissimus P. J. Teding van Berkhout a collegis in Cl. Ordinis conventum introductus est.

d. 9 Oct. Vir Cl. C. A. den Tex exactum quintum suae in Athenaeo stationis lustrum celebravit Oratione *de iis, quae proximis hisce viginti quinque annis in Jurisprudentia tractanda tradendaque praesertim in patria nostra nova acciderunt.*

Anno 1846.

d. 2 Martii in locum Viri Cl. W. H. de Vriese, qui superioris anni mense Julio in Leidensem stationem vocatus, Amstelodamensi excesserat, Botanices et Medicinae Professor ab senatu Amstelodamensi factus Vir Doctissimus F. A. W. Miquel in conventum Ordinis introductus est, eodemque die delatum ipsi munus adiit Oratione *de regno Vegetabili in telluris superficie mutanda efficaci.*

d. 29 Maji in conventu Ordinis recitatae sunt literae Virorum Amplissimorum M. C. van Hall, H. J. Koenen, P. J. Teding van Berkhout, Athenaei Curatorum, significantes aliquid intervenisse quod illos moverit, ut honore eo sese abdicarent, quibus Cl. Ordo quem hoc accepto nuncio senserat dolorem, scripto perque delegatos ab se praesidem et actuarium testificatus est non sine mentione grati sui in viros, optime de Athenaeo meritos, animi.

d. 11 Junii in locum Viri Cl. G. J. Rooyens, d. 9 Jan. vita functi, Theologiae et Historiae Ecclesiasticae in Athenaeo Professor ab senatu Amstelodamensi creatus Vir plurimum reverendus W. Moll munus illud suum auspicatus est Oratione *de iis, quae nostra aetate in futuris Ecclesiae antistitibus instituendis minime negligenda sint.*

Anno 1847.

d. 28 Jan. Vir Doctissimus J. van Geuns ab senatu Amstelodamensi Professor factus Medicinae forensis et pathologiae Orationem suam

inauguralem vernaculo sermone habuit *de arte Medica, locum sibi inter eas artes vindicante, quae ad naturae scientiam ducunt* (over de geneeskunde als eene zelfstandige natuurwetenschap).

d. 19 April. in conventu Ordinis recitatae sunt literae Virorum Amplissimorum H. J. Koenen, P. J. Teding van Berkhout, J. J. Uytwerf Sterling, quibus se ab senatu Amstelodamensi Curatores Athenaei factos nunciant.

In eodem conventu placuit, ut Theologiae in Seminariis, quae Amstelodami sunt, Remonstrantium, Teliobaptistarum, Lutheranorum Professores invitarentur ad communicandum quotannis lectionum suarum indicem, qui in Athenaei Seriem lectionum et institutionum, quae dicitur, referretur.

d. 8 Oct. et 16 Dec. recitatae sunt literae Curatorum significantes in locum Viri Cl. W. S. Swart, d. 12 Martii defuncti, ab senatu Amstelodamensi Professores creatos physices quidem et Matheseos Virum Doctissimum C. J. Matthes, Chemiae autem et pharmaceuticae Virum Doctissimum E. H. von Baumhauer.

d. 20 Dec. Vir Cl. C. J. Matthes munus suum adiit dicendo vernaculo sermone *de urgente nostro aevo necessitate serii artium Matheseos et physices studii* (over de in onze dagen dringende noodzakelijkheid eener ernstige beoefening der Wis- en Natuurkunde).

Anno 1848.

d. 31 Jan. Vir Cl. E. H. von Baumhauer, quo munus suum adiret, vernaculo sermone Orationem habuit ad probandum *Viventibus in rerum natura necessariam esse cognitionem ejus* (wij leven in de natuur en moeten haar kennen).

d. 5 Oct. recitatae sunt literae Viri Cl. J. van Hall, quibus ille, in Ultrajectinam juris cathedram vocatus suamque hinc in Athenaeo stationem relinquens Ordinem singulosque collegas humanissime valere jubet, relatumque est a Viro Cl. praeside, se responsum ad eas

literas misisse dolorem Ordinis ob discessum Viri optimi collegae significans: recitatae quoque literae Curatorum nunciantes, in digressi locum ab senatu Amstelodamensi Juris Romani et Civilis hodierni Professorem creatum esse Virum consultissimum M. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, qui vir

d. 9 Oct. a Curatoribus in conventum Ordinis introductus, eodem hoc die munus suum adiit Orationem habendo *de arte recte gerendi muneris professorii.*

NOMINA PROFESSORUM

QUI

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI

A. D. VIII FEBR. MDCCCXLVIII AD VIII FEBR. MDCCCXLIX

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

PROFESSORES MEDICINAE.

J. VAN GEUNS, Clar. Ord. praeses.
GER. VROLIK.
GUIL. VROLIK.
C. B. TILANUS.
P. H. SURINGAR.
E. H. VON BAUMHAUER.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

F. A. G. MIQUEL.
C. J. MATTHES.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D. J. VAN LENNEP.
J. BOSSCHA.
H. BEYERMAN.
P. J. VETH.

JURIS UTRIUSQUE.

C. A. DEN TEX.
M. DES AMORIE VAN DER HOEVEN.

THEOLOGIAE.

G. MOLL.

SERIES LECTIONUM

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI

INDE A FERIIS AESTIVIS A. MDCCCXLVIII AD FERIAS AESTIVAS A. MDCCCXLIX.

JOANNES VAN GEUNS,
Med. Doct., Medic. forensis et Pathol. Professor extraord., Cl. ord. h. t. praeses,

privatim, *Pathologiam generalem*, d. Lun., Mart., Merc., Jovis, docet hora X.
Morborum signa indagandi methodum exponit, simul cum exercitationibus clinicis, diebus Lunae, Martis, Jovis et Saturni, h. VIII.
Toxicologiae doctrinam ejusque usum in *Medicina forensi* exponit diebus Lunae et Jovis, hora IX.

GERARDUS VROLIK,
Med. Doct., Botan. et Art. Obstetr. Professor,

privatim, docet *Obstetriciam theoreticam*, d. Mercurii et Veneris, h. II—III.

DAVID JACOBUS VAN LENNEP,
J. U. D. Litt. Humaniorum et Philos. Theor. Professor,

publice, praecipua quaedam *Historiae* et *Literarum* capita tractat, vel ipsi juventuti, exercitationis causâ, disceptanda proponit;
privatim, tum *Scholas* habet *Paedagogicas*, die Martis, horis vespertinis; tum *Antiquitates Graecas* vel *Historiam Artium* et *Doctrinarum* ab initio ad renatas in Italia literas tradit, d. Lun. et Sat., h. I—III.

CORNELIUS ANNE DEN TEX,
Phil. Th. Mag., Lit. Hum., Jur. Rom. et Hod. Doct., Jur. Nat., Gent. et Publici Professor,

publice, varia loca ex *Jure Naturae*, *Publico* et *Gentium* juventuti disceptanda proponit;
privatim, tradit *Jus publicum*, *cum universum*, *tum patrium*, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII, matutina,
Encyclopaediam Jurisprudentiae, d. Mart., Merc., Jov. et Ven., h. IX,

Doctrinam Judiciorum criminalium, diebus Martis et Jovis, h. X,
Initia Oeconomiae politicae, diebus Mercurii et Veneris, h. XI,
Jus Gentium, diebus Martis et Jovis, hora XI.

GUILLIELMUS VROLIK,

Med. Doct., Chirurgiae theoreticae, Anatomiae, Physiologiae et Hist. Natur. Professor,

privatim, *demonstrationes anatomicas* habet, tempore hiemali, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora p. m. I,

docet porro, tempore vernali, *Zootomiam*, diebus Jovis, Veneris et Saturni, hora matutina X,

Osteologiam, tempore autumnali, iisdem diebus, hora matutina X,

Physiologiam, iisdem diebus, hora matutina IX et XI;

Methodum secandi docet, tempore hiemali quotidie.

JOANNES BOSSCHA,

Phil. Th. Mag., Litt. Hum. Doct., Hist., Eloq., Poës., Antiquit., Litt. Gr. et Lat. Prof.

privatim, *Historiam Universalem* tradit, Veterem quidem, praesertim Romanorum, diebus Martis et Mercurii, hora XII—I, Recentiorem autem, praesertim Francici Populi, diebus Jovis et Veneris, eadem hora.

Literas Latinas docet interpretando librum CICERONIS qui inscribitur *Orator*, et *Satiras* aliquot JUVENALIS, iisdem diebus, hora I—II,

Graecas Literas, interpretando EURIPIDIS *Phoenissas*, iisdem diebus, hora II—III.

HUGO BEYERMAN,

J. U. D., Historiae Patriae et Literarum Belgicarum Professor,

privatim, *Rhetoricen* sive praecepta stili Belgici, additis belgice scribendi exercitationibus, tradit die Lunae hora X—XII et die Saturni hora IX—XI;

Historiam Patriae enarrat, die Lunae hora XII—II et die Saturni hora XI—I;

Pronuntiationis sive *eloquentiae exterioris* exercitia moderatur.

PETRUS JOANNES VETH,

Phil. Theor. Mag., Lit. Hum. Doct., Linguarum Orient., Antiquit. Hebr. et Exeg. V. F. atque Phil. Theor. Professor,

privatim, docet *Exegesin Veteris Foederis*, interpretandis *Proverbiorum partibus selectis*, diebus Martis et Mercurii, h. VIII, matutina,

Grammaticae Aramaicae elementa, diebus Jovis et Veneris, hora VIII, matutina,

Antiquitates Hebraeas, diebus Mart., Merc., Jov. et Ven., h. IX,

Grammaticam Hebraeam, adjuncta libri *Geneseos* lectione continuata, iisdem diebus, hora X;

Logicam tradit, die Lunae h. VIII et IX, et die Saturni, h. VIII;

Cum provectioribus legit *Kosegarteni Chrestom. Arabicam* et *Actorum librum in Versione N. T. Syriaca, Peschito dicta*, alternis vicibus die Saturni, hora VI—VIII post meridiem.

FRED. ANT. GUIL. MIQUEL,

Med. Doctor, Medicinae et Botanices Professor,

privatim, *Pharmacologiam generalem et specialem* tradit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XI.

Botanices Elementa explicat, iisdem diebus hora XII. Excursionibus Botanicis praeest, diebus commodis.

Stirpium medicinalium, venenatarum et oeconomicarum historiam tradit ter per dierum hebdomadem.

Stirpes Cryptogamicas vel *selecta Physiologiae Capita* provectioribus, horis commodis, explicare paratus est.

Geologiae fundamenta docet semel vel bis quavis hebdomade.

publice, Athenaei in auditorio, *de Telluris historia* praelectiones geologicas habet.

GUILIELMUS MOLL,

Theol. Doct., Theol. et Hist. Eccl. Professor, Athenaei Concionator,

privatim, tradit *Exegesin Novi Testamenti*, interpretandis *Actis Apostolorum*, diebus Martis et Mercurii, hora X,

Historiam Religionis et *Ecclesiae Christianae*, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora XI,

Theologiam Christ. dogmaticam, diebus Jovis et Veneris, hora X.
De praecipuis partibus sacri cultus publici cum discipulis familiariter colloqui pergit, horis vespertinis deinceps indicandis.
Exercitationes Homileticus moderatur.

CAROLUS JOANNES MATTHES,

Math. Mag. Phil. Nat. Doctor, Matheseos et Physicae Professor,

privatim, docebit *Planimetriam*, inclusa *Trigonometria rectilinea*, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora IX matutina,
Physicam experimentis illustratam, diebus iisdem, hora XI,
Aequationum solvendarum Theoriam et Stereometriae Elementa, in commodum Medicinae nec non Literarum humaniorum studiosorum, horis cum auditoribus constituendis.

EDUARDUS HENRICUS VON BAUMHAUER,

Phil. Nat. et Litt. Hum. Doct., Math. et Phil. Theor. Mag., Chem. et Pharm. Professor,

privatim, *Chemiam anorganicam* docebit, d. Lun., Mart., Merc. et Jov., h. X.
Chemiam corporum organicorum, diebus Lunae et Martis, hora XI.
Chemiam Pharmaceuticam, diebus Mercurii et Jovis, hora XI.
Venena indagandi modos exponet, dieb. Lunae et Martis, hora I.
Exercitia practica in Laboratorio Chemico moderabitur, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora II—IV.
Provectioribus discipulis Laboratorium Chemicum quotidie patebit.

MARTINUS DES AMORIE VAN DER HOEVEN,

Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. Juris Rom. et Hod. Doctor, Juris Civilis cum Romani tum hodierni Professor,

privatim, *Jus Civile Hollandicum* tradit, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora IX matutina;
Institutiones Imp. Justiniani interpretatur, iisdem diebus, hora X;
Methodum procedendi in causis civilibus docet, iisdem diebus, h. XII.

CHRISTIANUS BERNARDUS TILANUS,

Medicinae et Chirurgiae Doctor, Chirurgiae et Artis Obstetr. Professor,

privatim, docebit *Chirurgiam theoreticam*, ter per dierum hebdomadem, hora octavâ.

Examen aegrotantium et *Praxin chirurgicam*, in Nosocomio Scholae Clinicae, diebus singulis, hora IX;
Artem obstetriciam ter, quavis hebdomade, hora meridiana,
Exercitationibus Chirurgicis in cadavere praeërit, diebus et horis indicandis.

PETRUS HENRICUS SURINGAR,
Medicinae Doctor et Medicinae Practicae Professor,

privatim, *Therapiam generalem* docet, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora p. m. I.
Doctrinam morborum singularium interpretatur, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora p. m. II.
Praxin medicam ad lectulos aegrotantium moderatur, diebus singulis, hora matutina X.

ATHENAEUM

DAVENTRIENSE.

ATHENAEI DAVENTRIENSIS FATA

A^{is}. ACAD^{is}. 1840—1848.

Cl. JACOBO VERBURG, quum d. 22 Octobris a. 1840 Rectoris Magnifici munere abiens, Athenaei regimen traderet Cl. VORSSELMAN DE HEER primumque Chemiae et Botanices Professorem salutaret FREDERICUM JOHANNEM HOFFMAN, laeta prosperaque fata Illustri Scholae augurari licebat. Spes vero fallaces mox evanuerunt. Brevi enim jam mutata rerum facie, funesto ac luctuoso illo anno 1841 duplicem eamque gravissimam jacturam fecit Athenaeum. Nondum ad finem perducto anno academico, quo advenerat, ante quam orationem inauguralem dicere potuit, 11 Junii 1841, flebili casu diem obiit supremum HOFFMANNUS. Vix autem MARINUS JOHANNES COP, qui e Senatus decreto d. 27 Julii illi successor creatus erat, lectiones chemices botanicesque habere inceperat, quum jam iterum fatale vulnus infligebatur Athenaeo. Die 26 Decembris e vita discessit PETRUS OTTO CONRADUS VORSSELMAN DE HEER, qui per septennium, optime de sua docendi provincia meritus, scholae decus fuerat et spes. — Neque ita contigit Cl. VERBURG, quod munere defunctus habebat in votis, integro servato Professorum ordine, novum Rectorem successori regimen solemni modo tradentem videre. Ipsi vero Professorum seniori, iterum extra ordinem Rectoris munus suscipiendum fuit. — Ut autem, quantum posset juvenum studiosorum commodis prospiceretur, dum defuncti disciplinarum provincia successori essét mandata, Logica Cl. BOSSCHA, Mathesis vero et Arithmetica universalis Cl. COP tradenda committebantur. Curatoribus tamen, Viris Nobilissimis interea Athenaei saluti consulentibus remque sedulo agentibus, effectum est, ut jam d. 2 Martii a. 1842 ad docendas disciplinas physicas mathematicasque et philosophiam theoreticam vocatus sit CAROLUS JOHANNES MATTHES. Idem autem sequente d. 17 Junii de-

latum sibi munus suscepit, habenda Oratione *de conjuncto physicorum labore, temporibus accommodato, philosophiae naturali promovendae ac propagandae egregio adjumento*, cum pridie 16, post annuam fere muneris functionem dixerat Orationem Cl. Cop *de Botanices, cum ceteris philosophiae naturales partibus, inprimis cum Chemia necessitudine.*

Inde ab anno 1635 *Rectoris introductioni* (ut fert annotatio in Actis ad i. a. d. 31 Martii) constitutum est tempus exactis feriis proximum. Solebat autem Athenaei regimen tradi tertii cujusvis anni mense Octobri. Anno 1834 Nobilissimus civitatis Daventriensis Senatus statuit, ut in posterum Rector Magnificus munus suum deponeret ipso Athenaei die natali, qui est 16 Februarii. Rebus tamen ita ferentibus solemni actui primum agendo dies, natali proximus 17 Februarii 1844 fuit indicatus. Quo die igitur Cl. Verburg regimen tradidit Cl. Mees habita Oratione, *qua ab eo inde tempore, quo praecedens Rector Magnificus functionem suam adiit, hujus Illustris Scholae fata repetebat, atque ex iis ansam disserendi quaerebat.* Grate autem Athenaei auctorum liberalitatis recordatus, variisque per annorum cursum fatis recensitis, praecipue de defunctorum Hoffmanni Heerique vita et meritis egit orator.

Rectore Gregorio Mees, ad annum 1847 usque satis prospere evenerunt Athenaei res; ipso vero illo anno denuo grave fecerunt damnum. Duo e Professoribus viri egregii tunc profecti sunt, magnum sui desiderium relinquentes apud omnes litterarum scientiaeque cultores atque fautores; Cl. Mees Roterodamum ad obeundum judicis munus abiit m. Aprili, Cl. Matthes autem, ad docendas disciplinas mathematicas physicasque in Athenaeum Amstelodamense Illustre vocatus, discessit m. Novembri. Successores illis creati sunt eodem anno, d. 5 m. Julii Guilielmus Josephus Andreas Jonckbloet, Ph. Th. M., L. H. D. et d. 9 Decembris Volcardus Simon Martinus van der Willigen, M. M., Ph. N. D. Docendi autem munus susceperunt brevi post ferias hibernas a. 1848, Cl. Jonckbloet quidem nuper levato morbo gravi, in quem cum m. Septembri ante advenerat, continuo fere inciderat.

Cl. Verburg ab Athenaei regimine vix otium fuit. Abeunte enim Cl. Mees jam tertia vice extra ordinem suscepit Rectoris munus implevitque ad diem 16 Februarii 1848 usque, quo tandem tradidit Cl. Cop

habenda Oratione *de fatis, quae sub praeterito regimine Athenaeo evenerunt*, qua Meesii, Mathesiique merita celebravit novosque collegas salutavit. Hoc facto eodem die munus auspicatus est Cl. Jonckbloet oratione belgica *over de klippen, die bij eene grondige studie der Nederlandsche Letterkunde behooren vermeden te worden.*

Athenaei opes, varii generis studiorum adjumenta scientiaeque supellex egregie sunt aucta atque emendata.

Cl. Hoffmanni Herbarium, insignem inprimis in Germania atque in patria lectarum plantarum thesaurum complectens, a patre illius Viro nobilissimo dono est acceptum.

Laboratorium chemicum instructum est studiosorum exercitiis accommodatum.

Instrumenta physica multa magnique pretii comparata sunt sumtibus cum civitatis, tum societatis studio naturae dicatae.

In Observatorio astronomico locati sunt apparatus ad determinandum tempus et loca idonei.

Bibliotheca denique libris varii argumenti est locupletata.

NOMINA PROFESSORUM, CET.

QUI

ANNIS 1840—1848

IN ATHENAEO DAVENTRIENSI

DOCUERUNT.

J. VERBURG, Prof. Theol. et Litt. Orient.

P. BOSSCHA, Prof. Litt. Hum., Antiquitat. et Histor.

J. DUYMAER VAN TWIST, Prof. Jur.

P. O. C. VORSSELMAN DE HEER, Prof. Math., Phys. et Phil. Theor. Ob. d. 26 Dec. 1841.

G. MEES, A. FIL., Prof. Litt. belg., Hist. patr. et Eloq. Roterod. *profect.* m. Apr. 1847.

F. J. HOFFMAN, Prof. Chem. et Bot. Ob. d. 11 Jun. 1841.

M. J. COP, Chem. et Bot. Prof. creat. d. 27 Jul. 1841.

C. J. MATTHES, Math., Phys. et Phil. Theor. Prof. creat. d. 2 Mart. 1842, Amstel. ab. m. Nov. 1847.

G. J. A. JONCKBLOET, Litt. belg., Hist. patr. et Eloq. Prof. creat. d. 5 Julii 1847.

V. S. M. VAN DER WILLIGEN, Math., Phys. et Phil. Theor. Prof. creat. d. 9 Dec. 1847.

S. SUSAN, Lector linguar. hodiern.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORIS

QUI IN

ILLUSTRI ATHENAEO DAVENTRIENSI

ANNO 1848—1849

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

J. VERBURG, Theol. D.

P. BOSSCHA, Ph. Th. Mag., L. H. et J. U. D.

J. DUYMAER VAN TWIST, J. U. D.

M. J. COP, M. Mag., Ph. N. D., h. t. R. M.

G. J. A. JONCKBLOET, Ph. Th. Mag., L. H. D.

V. S. M. v. D. WILLIGEN, M. Mag., Ph. N. D.

S. SUSAN, Ling. hod. Lect.

ORDO LECTIONUM

IN ILLUSTRI ATHENAEO DAVENTRIENSI

A. D. XIX M. SEPT., A. MDCCCXLVIII, USQUE AD FERIAS AESTIVAS A. MDCCCXLIX.

Marinus Johannes Cop, *Math. Mag.*, *Phil. Nat. Doct.*, *Chemiae et Botanices Professor*, h. t. Rector Magnificus, Chemiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, horâ XI. Botanices elementa tractabit, iisdem diebus horâ XII. Artis pharmaceutices studiosis Chemiam tradet diebus Lunae, Mercurii et Saturni, Botaniam autem diebus Martis et Jovis eadem horâ IX. Chemiam theoreticam atque analyticam docere et ordines plantarum naturales exponere paratus est. Exercitiis chemicis quotidie praeërit. Faventi anni tempestate, cum auditoribus excursiones botanicas instituet. *Publice* de plantarum vita disserendo agrorum culturae praecepta illustrabit.

Jacobus Verburg, *Theol. Doctor*, *Literaturae Oriemt. Theologiae ac Doctrinae Moralis Professor.* Diebus horisque commodis, initia linguae Hebraeae tradet. Porro provectioribus discipulis, ad penitiorem monumentorum Hebraeorum cognitionem aditum patefaciet, illustrandis varii styli speciminibus, diebus Mercurii et Veneris, horâ X. Linguae Arabicae exercitiis occasionem dare perget, diebus Martis et Jovis, eâdem horâ. Diebus Martis et Jovis. horâ IX, interpretationis librorum Novi Foederis exercitandae exemplum praebebit. Diebus Mercurii et Veneris, eâdem horâ, Christianem doctrinam Moralem tractabit.

Petrus Bosscha, *Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. et J. U. Doct. Hist. Antiq. Eloq. et Ling. Graec. Professor*, *Historiam Vet. Univ.* ad ductum Compendii sui tractabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, horâ

meridianâ. *Antiquitates Romanas* explicabit, diebus, Lunae horâ XI, Martis X, Mercurii et Jovis XI. In his vero lectionis a dictando fere abstinebit et, auditorum industriae rerum investigationem relinquens, de singulis capitibus accuratius cum iis disceptabit. De scriptore Graeco et Latino explicando diebus Lunae, Martis et Jovis horâ IX, Lunae, Mercurii et Veneris horâ X, consilium cum auditoribus inibit.

Janus Duymaer van Twist, *Jur. Rom. et Hodiern. Doct.*, *Jur. Professor*, Institutiones Justinianeas explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ IX. Historiam Juris Romani tradet diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris horâ XII. Pandectas docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris horâ XI. Gaji Institutionum Commentarios exponet, diebus Lunae et Mercurii horâ X. Iis, qui aliarum juris doctrinae partium studio operam dare velint, dux erit, tempore postea cum auditoribus constituendo.

Guilielmus Josephus Andreas Jonckbloet, *Phil. Theor. Mag.*, *Litt. Hum. Doct.*, *Litt. belgicarum et historiae patriae Professor*, Historiam patriae enarrabit diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris horâ XI. Poeseos belgicae historiam tradere perget diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris horâ XII. Litteras medio-belgicas docebit diebus Martis et Jovis horâ X. Elementa linguae Gothicae tractabit ad ductum compendii Cll. v. d. Gabelentz et Loebe, diebus et horis cum auditoribus constituendis. Archaeologiam belgicam explicabit diebus Mercurii et Veneris horâ X. Eloquentiae quae dicitur exterioris exercitiis et disputationibus academicis praeërit diebus dein indicandis.

Publicas habebit *lectiones* historico-politicas de iis, quae obtinuerunt in patriae nostra sub finem seculi XVIII, die postea indicanda.

Volcardus Simon Martinus van der Willigen, *Math. Mag.*, *Phil. Nat. Doct.*, *Matheseos*, *Physices et Philosophiae Theoreticae Professor*, Elementa Geometriae explicabit, diebus Martis, Mercurii et Jovis horâ matutinâ VIII. Arithmeticam universalem docebit, diebus, Mercurii horâ IX, Jovis horâ X et Veneris horâ IX. Physicam theoreticam atque

experimentalem, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ post meridiem I. Logicam tradet diebus, Martis horâ X, et Veneris horâ matutinâ VIII. Mathesin sublimiorem, Physicam mathematicam et Astronomiam theoreticam atque practicam tradere paratus est, diebus ac horis postea cum auditoribus constituendis.

Astronomiam quam popularem vocant *publicis* exponet *lectionibus*, horis dein indicandis.

Sallius Susan, *Litterarum hodiernarum Lector*, Athenaei civium, qui Litteras Germanicas, Anglicas et Gallicas sibi tradi cupient, desiderio lubens satisfaciet. Idem cum auditoribus de tragoedia Anglica, *Shakespeare's Hamlet, Prince of Denmark* inscripta, ad ductum auctioris editionis *C. Knight's Illustrated Edition*, nuper emendatae, disseret.



